OBSERVATIONVM PHYSICO-MEDICARVM ACADEMIAE CÆS. LEOP. CAROLINÆ NATVRAE CVRIOSORVM CENTVRIA X.

OBSERVATIO I.

Dn. Caroli Guſtavi Heræi.

De oſſium petrificatorum ortu diluviano.

QUod otio deſtitutus, de tractata ſtudiis meis aliena quæſtione accuſatores non verear, ſatis excuſari videor ipſa perquiſitionis, quam inſtituo, cum Hiſtoria conjunctione. Si res ita ſe habet, ut monimenta Diluviana, aut gigantum, draconum, monſtrorum, reliquiæ ſint quædam osſium, vertebrarum, coſtarum, dentium, maxillarum, non niſi beſtiis convenientium capitum, cornuum, linguarum, concharum, herbarum, piſcium imitamina,

mina, quæ pasſim minerarum formatrix diſpoſitio, vel in margæ fosſilibus ſolida, vel in alcalicis lapidibus picta ſculptave præbet effodienda. Iſta verò ad ſuccorum exhalantium ſulphureorum, ſalinorum, acidorumve plaſticam vim, & ad varios naturæ in Oſteocolla & Unicornu fosſili luſus referre quum non ſatis prohibere videatur doctisſimorum quorundam virorum, ut Valkeniri, Whodwardi, Scheuchzeri, ſuis de diluvio hypotheſibus faventium auctoritas; dabunt veniam, ſi de his, ut ſecurior reddar, non ad privas ſingulorum opinationes, ſed ad curiata in commune conſulentium Academiarum ſuffragia provocem. Serò quidem, poſtquam ubicunque mineralis vegetationis fœcunda eſt terra, vel generantis vel ſervantis naturæ miracula ſpectatotum toties ſtuporem excitarunt. Rei proinde non novæ veniam deprecari magis cogerer, ſi quantum eſt non nova, tantum etiam eſſet certis dijudicationibus cognita. Si etiam ea, quam nuper examinandam mihi ſumſi, in Styria ſuperiori, caverna, nulli quam vidi & audivi, ſitu ſublimi, vaſta concameratione, longitudine, rerumque ſingularium fertilitate ſecunda, orbi litterario ſatis innotuiſſet pro ea luce, quam ejus naturalis diſpoſitio huic indagationi poteſt afferre.

Hanc deſcribere inſtitui, non meam facere diſputantium litem, minus id mihi deferre judicium, quod ſingulis aliis derogo, docilem me ſubmittens majori numero, æquo veritatis amore, parique ingenio & experientia dijudicanti. Ne, qui diſſentiunt, in propria cauſa judices conſtituantur. Etſi enim in his quæſtionibus, quatenus de factorum circumſtantiis non agitur, auctoritati minus concedendum; tamen in iis ipſis, quæ ſola deliberatione dijudicantur, fatendum eſt: Oculo oculos, ſi illo non ſint minus ſani, plus videre, & multitudinem errantium non eſſe timendam, niſi in facultatum diſparitate. Quam in Vobis, quos conſulo, Illuſtres & Doctisſimæ Societates, non licet ſine inverecundia ſuſpicari. Meum eſt Veſtram expectandam ſententiam, quid ego opiner, ita timide pro

de proferre, ut narrationis potius contextu id prodidiſſe, quam dixiſſe videar; dum Vobis, Judices, quæ ſpectavi, tantùm fide bona & narratione ſimplici ob oculos pono. Illam quod lingua, quam eſt Latina, vulgariori in gratiam curioſorum Latine non loquentium primùm conceperim, atque ne in Latinam transſcriberem, tempori pepercerim; facile excuſabitis, Vos, qui non unam linguam pro veſtra habetis, & qui in cauſam potius, quam dictionem eſtis intenti. Veſtrum erit, obſervationum comparatione, momentorum ponderatione, dubiorum deciſione, judicium facere, cùm de his, quæ quanta poſſum moderatione propono, tum de iis, quæ alii aut leniter aut durius contra me ſunt dicturi. Nam ingenuis artibus prorſus indignæ contentioni non ſolum non vaco, ſed etiam, ſi vacarem, nunquam me forem daturus. Veſtrum, inquam, erit, pro illa, qua ſingulorum conatus juvatis, & ætatem noſtram illuſtratis, doctrinâ, hæſitantes erigere. Si dignum habetis veſtra attentione naturale prodigium, quod Magnus hujus ſæculi Auguſtus inter belli pacisque negotia, ut ſcientias omnes artesque, admisſione eſt dignatus. Quippe quod ultimas à ſummo rerum Conditore naturæ vegetæ conceſſas vires oſtendit, vel in productis olim vivis, nulli temporum memoriæ notis monſtris; vel in producendis ordinariorum imitationibus, adeò fallacibus, ut ad explicandas eas ſolertiâ opus ſit perſpicacisſimâ.

Par utique eſt admiratio divinæ, noſtrasque notiones ſuperantis potentiæ, utras ex duabus illis quis defendat partes: ſeu velit modum excedentia oſſa, ut vera, & conchas ceterasque ludentis naturæ fictiones in locis nulli ſæpe, ne diluvii quidem acceſſui, patentibus fosſiles, ut tempeſtate quadam delatas ſuſpicere; ſeu malit Oſteocollæ ſpecies, non olfactu, non attrahenre viſcoſitate, nec præcipitandi medendive effectu (ut quidem colore, magnitudine, crasſitudine, duritie & figurâ, ex ſoli cujusq; diverſitate) diſtinctas, pro partu agnoſcere margæ coaleſcentis, cujus partium volatilium ſimili ex-

halatione & fermento ſimiliter formato proplaſmate incluſæ deprehenduntur. Nam hoc poſtremum formamenti genus quantumcunque cauſarum in oculos incurrentium nexui, & ordini naturali, (qui præſcriptos ſibi à ſupremo Ente generationis motusque limites raro in vivis monſtris excedit,) ſit convenientius: Nihilominus incredibilis imitamentorum ſimilitudo, (maxime ſi à deformi deficientis luſus errore perfectiora ſemoveantur) nobis in operibus regni, quod dicitur vegetabilis, primum motorem formamentorum mineralium ſiſtit ſupra noſtras ideas mirabilem.

Ea certe, quam deſcribo, caverna Retelſteinenſis, Palermitanæ, quam celeberrimi Kircheri deſcriptio doctisſima inſignivit, haud cedit. Tamen osſium fruſtis, magnitudine ordinaria vaſtioribus utcunque ſit repleta; nullum ibi repertorum os, præter genus, cujus eſt ſpecies, commune quid habet cum portentisſimis osſium partibus, quæ ſupra omnem modum ſervantur in arce Neoſtadienſi. De quibus, ubi ſint effoſſa, nondum liquet. Inter ea inferior capitis, ut videtut, pars longitudine ſuperat 15. pedes, ſtructura ab animalium notorum Anatomia abhorrente. Ejusdem longitudinis ibidem oſtenduntur duo oſſa coſtarum nomine. In quibus vero dentium foramina inveni, qualia dentibus & vacua & plena in Retelſteinenſi caverna reperiuntur; adeoque tantam deprehendi deformationem, ut oſſa illa nec coſtis nec maxillis poſſint adnumerari. Spero fore, ut horum delineationes cum orbe literato communicentur. Cum annuente Sacra Cæſarea Majeſtate animus ſit, quidquid in hoc genere obveniat, Neoſtadium ad illuſtranda illa deferre, & ſingularem hujus generis fosſilium collectionem inſtituere. Obſtupuit poſtrema ætas litteris & ſcientiis dedita, tum minoribus, tum paris fere vaſtitatis osſibus detectis. Præſertim in Germania, in Auſtria prope civitatem Cremeſiam olim ex relatione Theatri Europ. de A. 1646. & ex dentium delineatione, quam Lambecius Bibl. Vindob. Appendici inſeruit; nuper prope viam Langen-

luis;

luis; ex dentibus quos habui, Lambecianis adhuc majoribus. In ſylvæ Herciniæ montibus ex relatione Conringii de antiquo ſtatu Helmſtadii, & Henningii Behrens Hercinia curioſa. In famoſa ſpelunca Baumanniana. In Miſnia & Saxonia, ex relatione Albini in Germanico Chronico metallico, & nuper in Memorabilibus Saxoniæ ſubterraneæ G.F.M. De Hilsdesheimenſibus Lachmundus; De Querfurtenſibus Buttnerus. In Franconia ex relatione Laur. Bauſchii in Schediaſmate curioſo de unicornu fosſili. In Norico ex Oryctographia nov. Jo. Jacobi Bajeri. In Wirtenbergia teſtibus iis, quæ ibi aſſervantur, & pasſim factis recenſionibus. In Thuringia, ex relat. Tenzelii in Colloquiis menſtruis de *1696*. In Helvetia ex relat. Scheuchzeri in Oryctographia Helvetiæ Germ. In Haſſia ex relat. Winckelmanni in Deſcript. Hasſiæ, & nuper D. Wolfarti in Hiſtor. natur. Haſs. infer. Prope Quedlinburgum, ex relat. Ottonis Guerike, clari Experimentis de Vacuo. In Styria teſtibus aliis, & ab iis, quæ recenſeo, diſtinctis fosſilibus. In Tranſylvania, teſtibus, quos habeo, osſibus. In Bohemia, ex relat. Bolesl. Balbini in Miſcell. Regni Bohemiæ. In Moravia ex relat. Crollii de Signaturis. In Sileſia ex Catalogo fosſilium Sileſiæ, & nuper Volckmanni Sileſia ſubterranea. In Hiſpania, & quidem regno Valentiæ, ex relat. Jacobi Sponii in Itinerario. In Anglia teſtibus Transactionibus Societatis & Luidio. In Hungaria antiqua & nova Matthiæ Bel. (*) In Belgio, ex relat. Goropii Becani in Origin. Antwerpiæ. In

 Italia,

(*) In illius, quam edere parat & quam Phyſicam inſcribit, Sect. III. cap. VIII. agit de Antris Hungariæ. Horum maxime admiranda ſcribit in Comitatu Liptovienſi; qualia ſunt ad vicum Demiafalva, ab incolis 1. Cſerna, 2. Okno, 3. Dwere, etymi ratione ex lingua Sclavonica deducta. Prodigioſa hic oſſa, & infiniti naturæ luſus, ex aqua lapidiſcente nati, reperiuntur, quæ ſingula prolixa commentatione, idem ille Auctor proſequetur.

Italia, in agro Viterbienſi, ex relat. Ephem. Nat. Curios. de 1688. In Sicilia ex doctisſima perquiſitione Kircheri in Mundo ſubterr. In Islandia ex relat. Wormiorum, Patris & Filii. Ac de vegetatione, ut dicitur, petrarum inſigne teſtimonium perhibens caverna maris Ægæi in Cycladum Inſula hodie dicta Antiparus, quondam Oliarus, non Præpeſinthus, ut quidam. Cujus admirandæ creſcentes è ſolo plantæ fruticesque nihil habent, quod posſit ad diluvium derivari, ex laude dignisſimo examine Illuſtriſs. Gall. Legati Dn. de Nointel & ſollertisſima recenſione Dn. de Tournefort Voyage au Levant.

Ex his oſſa minora noſtræ cavernæ, propius ad verum accedentia facilius oculis imponunt, quam illa, quæ exorbitantis naturæ luſum manifeſtius produnt. Inprimis quum fosſilis Oſteocollæ pondus non excedant. Ne tamen pro veris osſibus habeantur, obſtat formationis diverſitas. Ferunt Tranſylvaniæ montes metallici oſſa hujusmodi tam craſſa, denſa & dura, ut ſecata ebur æquent. In noſtris quandoque nitri actuoſa vis contextam ramuſculis crasſitudinem, eodem, quo frigoris ſal coaleſcit, concretionis genere, ſupra modum ordinatum format; Interdum intus omnia adeo replet, ut deſinant ramuſculi referre medullæ filamenta, quibus forent ſimiles, ſi eſſent minus frequentes & minus friabiles. Accedit extrinſecus adhærens formantis Margæ quaſi matrix ſive proplaſma. Sicut Maſcardus in Muſæo pag. 187. fatetur, ſervari à ſe fungorum petricoſorum matrices lapideſcentes, ut tophi.

Oſſa majora ex utraque parte integra raro deprehenduntur, in minoribus ſæpe, quæ excitatur unius partis cartilagine admiratio, alterius terminatione iniqua aut deficiente eluditur. Inveni parvas acetabuli partes, cujus concavo appoſita fuit dimidia pars globi osſis extremum referens.

In craniorum aut fruſtis informibus, aut mirandis partibus, quæ ſuturis ligantur, quorundam externa lævitas proxima eſt vero, aliorum interior ſtructura quaſi apium alveis confundi-

funditur. Eo quidem ſitu, qui cerebelli cellulas posſit exhibere, niſi in altera oppoſita parte deficeret. Qualia ebullantis fermenti foramina alias ſæpe ſceleti partes, quibus minime congruunt, pariter deturpant.

Coſtæ, quæ ſicut cetera ſingillatim effodiuntur, omnium minime ſunt ſuſpectæ.

Vertebrarum vix duas uno loco invenire datum fuit, ut quidem earum quatuor certâ & determinatâ figurâ diſtinctas ſpecies obſervare; quarum par in ſingulis ſymmetria quantumcunque mirabilis eſt; quid tamen habet, quod vel in florum ſecturis ſemper & ubique æqualibus minùs mirum videatur? Aut quid intereſt ad gloriam Conditoris, in quo magis emineat ejus potentia, utrum in regno minerali, ac animali, an vegetabili?

Maxillas inveni dentibus quibusdam armatas; alias haud dentatas; ſed, quod mirum, juſtis dentium cavis perforatas. In ipſis dentibus hinc inde diſperſis, nec effodiendis niſi in terra immota, major eſt diverſitas. Dantur primores, non recti ſeu inciſores, ſed curvi, quales aprini & lupini, his majores, illis minores; dantur molares, cum radicibus, quales ſerpentum coronas fingit traditio vulgaris; alii concavi, alii crasſiores, alii ſolidi, adeoque externâ quàm internâ formatione ſibi ſimiliores.

Inprimis notandum eſt, me vertebram ſpinæ effodiſſe, cui dens inhæſit, qui quidem excidit, at veſtigia coaleſcentia minimorum dentium molarium oculis præbens, quemadmodum in concharum conglutinatis acervis (quorum aliæ cavernæ, pro fermenti virtute alia, ſunt feraces) minimæ formæ quædam naſcentes conchæ inter majores conſpiciuntur.

De omnibus æque obſervandum: quod in terra mota & perveſtigata, non deprehendantur, niſi omiſſa, neglecta, perdita. Ut detegantur ſingularia, quærendum eſt in receſſu ſolum compactum, non argillaceum modo, ſed etiam arenoſum, quod nitri & margæ ſtratis, quibus interſecatur, probet ar-

chæum non turbatum & proventum, qui ſulcos quærentium fugiit. Margæ ingens copia eſt friabilis, quæ, ubi osſibus hæret, inſtar calcis concreſcit. Nitrum ubique oculis ſubjicitur. Fundum ſpeluncæ pavimentat terra limo ſabuloque miſta. Aquæ mineralis indurantis ubique veſtigia in petrefactis, ſtiriarum inſtar, guttis, quæ ſtalactitis nomine veniunt. Accedit poſitus, per Limen, altitudine & longitudine æque ultra 150 pedes apertum, recipiens aërem auſtri. Sicut antrum cavernæ huic verſus ſeptentrionem oppoſitæ ducit in fundum plane ſtrerilem. In ipſo aditu notandum maxime eſt ingens os adhærens ſaxo ſummo dextri lateris.

Ex his quæ ſint concludenda, Veſtrum, Societates illuſtres, eſto judicium, non meum. Liceat ſolum veſtra cum venia ex aliorum hujusmodi fosſilium ubicunque repertorum obſervatis adjicere:

Quod nulla terra, nullum ne monſtrorum quidem reliquiis recipiendis capacisſimum antrum (qualia exempli gratia in Carniola ſatis multa aliorum mirabilium feracia occurrunt) hæc oſſa protuliſſe deprehendantur, niſi ex cauſis oſteocollæ conſtitutivis quædam ſimul detectæ ſint.

Quod nullibi miſceantur ſpecies, ſed quod diverſum ſolum pro ſua conſtitutione diverſæ certæque productionis ſit fœcundum, ſicut dentes oſſaque cavernæ hujus Reteliteinenſis toto cœlo differunt ab aliis, quos alibi terra condit, inprimis à Coloſſalibus monſtroſisque, qualium indagationem noſtras Lambecius ſuis ſtudiis non alienam habuit, delineatasque exhibens in appendice Bibl. Vind. Gigantibus tribuit, qualem etiam poſſedi cum parte maxillæ, quæ naturæ errantis luſum inſigniter prodit. Quod multo minus, mixti reperiantur quos miſcere potuiſſet Diluvium, dentes ex. gr. Lamiæ Melitenſes; qualium pasſim in Germania & noſtræ feraces ſunt lapicidinæ Eiſenſtadienſes.

Quo(d)

Quod nunquam & nusquam repertum ſit ſceleton exhibens juſta proportione animalis noti œconomiam,aut partium neceſſariarum haud plus vel minus oſtendens.

Quod in horrendis & ingentibus monſtris, quæ proxime accesſiſſe ad verum credita ſunt, nullum perfecte cohæſerit, aut defectu caruerit. Ubique de incuria foſſorum, de deperditis querelæ; ubique excuſationes & ſubterfugia apud ſtructores diſſolutæ machinæ.

Sufficiat his probandis unicum & quod omnium maxime corpus Elephantinum mentiri noſtra ætate viſum eſt, exemplum in osſibus A. 1685. prope Tonnam vicum, qui eſt in Sereniſs. Ducis Saxo-Gothani Thuringica ditione 10½. pedum profnndo colle effosſis. In quibus Elephanto aſſerendis minus operoſe deſudaſſet tot ſcriptis clarus Polyhiſtor Tenzelius, ſi in delineatione quam ipſe exhibuit, attendiſſet de incurrente in conſpectum poſitu primorum dentium, qui abhorret ab Elephantinis, (*) nec cum maxillarum ſtructura convenit. Partes deficientes diſpalatas non ſatis videtur excuſare querela, de diſtrahentium incuria, & inſtituta cum osſibus ſepultis comparatio. Nam oſſa ſi ſeparat putredo, non divellit, maxime in tam compacto ſolo, quale hoc eſt, quod immotus ſtratorum ordo ſecat. Neque deficit apta his formationibus loci conſtitutio, terra argillacea, in qua tophus & marga ſcatent, ſuisque meatibus & venis radicum inſtar transcurrentibus cochleas ferunt tantæ etiam parvitatis, ut oculos microſcopio non armatos fugiant. Quemadmodum noſter Vindobonenſis ager Lerchenfeld quotidie putreſcentia & renaſcentia fert conchilia minuta. Taceo repertas cum hoc capite informes alias oſteocollæ figuras, nec non cavitatem dentis in nullo extremorum aperti, quam replevit tamen prima argillaceæ terræ materia, incorrupto elementari vigore excludens putredinis ſuſpicionem.

Huic

(*) Qui ſurſum incurvantur.

Huic naturæ portento explicando multum confert aliud & majus prope Studgardiam noſtra detectum ætate. Sunt in Saxi Canſtadienſis cavo, quod vix C. paſſuum circuitu patet ex compacta argilla effoſſæ millenæ cornuum, osſium, maxillarum partes monſtroſæ, quas neque ad gigantes, neque ad elephantos, vel animalium noſtrorum maxima licet referre. Prout cujusque examini in Muſeo Duc. Würtenberg. ſunt propoſitæ à claro his perquiſitionibus Dn. Prof. Schuccardo. Cujus induſtria microſcopii ſubſidio ejusmodi osſium easdem in eodem limo formas à prima ad ultimam usque magnitudinem detexit.

Propterea non deſino ſtupendas ejusmodi ſtructuras mirari & demirari, quibus, ingenue fateor, ita oculi perſtringuntur, ut lubens eorum ſubſcriberem ſententiæ, qui ne evidentem in his fosſilibus formationem mineralem negent, duas earum claſſes conſtituunt, animalium & mineralium; poſtremo generi relinquentes, ut mineræ productiones, communisſimas quasque oſteocollæ non tam generationes, quam coagulationes; primo tribuentes mirabiliores ſtructuras, ut pro veris animalium osſibus habeant; ſed ſoli, quo conduntur, minerali virtute ita calcinatis, aut petrefactis, ut cadaveribus conditis & pollinctis æquiparentur. Non enim dubitatur, quin lapideſcant quædam, ut in aquis annoſa quercus; incruſtentur alia, ut in notisſimis fontibus, quos dicunt petrificos, ex. gr. extra Germaniam in crypta Aureliana & Agrippinæ circa Puteolos &c. quin etiam, ſicut metalla per gradus maturantur, ita lapidum genera per gradus indurentur & perficiantur, prout quædam ex dimidia tantum parte lapidiſcentia deprehenduntur, nihil minus, quam par diluvii ævum teſtantia. Neque in oſteocollæ, quam recenſeo, ſpecie effluvies per margæ proplaſma diſcurrentes ſtatim eandem duritiem produnt, ſed pro diverſa ætate minus magisque ſunt friabiles. Dummodo hæc ſuppoſitio pro una, quam declinat, difficultate, non duplici premeretur. Primo in admittendis omni tempore & loco

loco ignoratorum monſtrorum veris generationibus, quales ne quidem in eorum reliquiis fingenti naturæ audet concedere; Deinde in longe quæſita metamorphoſi, nihil diſcrepante à materia, quam ſponte natam agnoſcit.

Locorum præterea, ubi reperiuntur, ſitus habitusque & caſui, & induſtriæ modum recuſat, inventas res eò deferendi. Interdum anguſtia aditus, ut ſpeluncæ Baumannianæ nunc demum ampliatæ, excludit monſtra, quarum oſtendit reliquias; vel præceps altitudo, ut in noſtra Retelſteinenſi caverna, vel profunditas terræ ordinatis ſectionibus ævum & immotam quietem demonſtrantibus, immo Saxorum viſcera, non alii motui locum relinquit, quam Diluviano, ſumma imis miſcenti.

Diluvium autem, ſi præter Divinas, quibus nititur, probationes, aliis egeret, his ſane certiores forent quærendæ. Tantum abeſt, ut de impugnando divino miraculo animum inducam, quam ſuſtinet nulli cedens demonſtratione auctoritas, conjecturæ factò, quod probare conantur, incertiores labefactent. Poteram me intra examinis à me propoſitæ oſteocollæ Retelſteinenſis terminos continere, & conchyliorum, piſcium, cæterasque formas, quam hæc ignorat caverna, tacere; Niſi perpenſis iis, quæ diluvio magis videntur poſſe accommodari, deinde minor verorum oſſium ſuſpicio noſtram maneret oſteocollam, cujus in marga coagulatio oculis ſe objicit, etiamſi quædam alia liceret Diluvii reliquiis adnumerare. Cæterum quantumcunque montium everſionem ejus inundationi concedamus, vix poterit illa extendi ad ſaxa, in quorum medio natura formatrix toties deprehenditur; aut ad profundiſſimas fodinas Mexicanas ebur foſſile præbentes.

Quodſi nihilominus recurrendum eſt ad novam terræ faciem, atque ad mutationem, haud quidem illam, quæ potuit inundationibus ſecare freta, & inſulas cingere, vel etiam colles ſabuloſos congerere; Verùm ad integram oſſium terræ, montium inquam, & rupium deſtructam mutatamque adeo compagem, ut cum Burnetto non creationi, ſed Diluvio tri-

buenda ſit terræ gibboſa forma. Utque diluvio demum non mineræ ſuas modo venas, quaſi antea non exiſtentes, ſed etiam per canales ſubterraneos remeantes fluvii prima ſua phylacteria in montium jugis debeant. Quanquam ipſe ſacer codex doceat, ſeparatis, ſedimenti inſtar, quæ aquis in creatione innatabant, terræ elementis & *congregatis ſemel aquis*, montes ante Diluvium extitiſſe, nec novos eorum meatus ſubterraneos à ſummo rerum Conditore productos eſſe, ſed per continuationem, (qua ſine creatio fruſtra foret,) *aquas congregari*, tanquam *in utre*, & *in theſauris*, in montium penetralibus occultis, *poni abyſſos*, Pſ. 32. quæ quidem in Diluvio ſupra naturalem modum *ruptæ*, ut ſolitis longè largiora emitterent flumina; ſed iterum *clauſæ* ita fuerunt, Gen. 8. 2. ut non ſolùm ſint idoneæ per eosdem canales recipiendis *aquis euntibus & redeuntibus* v. 3. Verum etiam ſervandis *certis legibus, quas Deus ponebat aquis, ne transirent fines ſuos*, Prov. 8. v. 29. quibusque in creatione abyſſos vallabat v. 27. *ut pertranſeant inter medium montium & emittantur in convallibus* Pſalm. 103. & receptaculis, è quibus (ut ea deſcribit Eccleſiaſt. 1. 7.) *omnia flumina intrant in mare, ut mare non redundet, atque ad locum, unde exeunt, revertuntur & iterum fluunt.*

His non attentis ſi ſuccini mollis viſcoſitas integris ardeſiæ ſive lapidis fisſilis montibus eſt adſignanda, ut recipiendis, quorum figuris notantur, piſcibus, herbis, conchis &c. magis aptentur; cur figuræ hos lapides ultra primum proplaſma interdum tam alte penetrant, ut variæ ſectiones easdem repetant? Cum præter certas ſpecies & faciles aſteriscorum, ramuſculorum, circulorum, linearumque figuras (quas frigoris ſal vel in nive ſiliciformi & ſtellata monſtrat) plurima, quæ Diluvio commodius vehi & electro retineri poterant, hæc monimenta lapidea effugiunt? Cum pro marcidis, tenuibus & fluctu facile complicandis herbarum foliis (quæ extra undas ne ſicca quidem in herbariis vivis diligentior ars poteſt ſic

expla-

explanare, ut explicata in lapidibus cera liquidioribus creduntur) non apparent ſolidiores exoticæ plantæ? Cur pro ebore fosſili, pro gravioribus monocerotis cornibus non gladii piſcis ſerræ, aut piſtris, torpedines, orbes muricati, lacerti ſquamoſi, teſtudines &c.? Cur radices foliis incorruptiores, ut fuerunt dilutæ & evulſæ, ſimul cum herbis, non apparent. Cur apparent multa, quæ natura nullo alio loco oſtendit, exempli gratia nautilorum genera incognita, aut talia, quæ ex mari Indico in noſtrum continentem derivare diligentisſimus & ingenioſisſimus reliquiarum diluvianarum aſſertor Scheuchzerus tam parum audet, ut potius recurrat ad mutatam terræ faciem & montibus commutata maria.

Si tantam deſtruentium fluctuum rapiditatem ferret arcæ ſecuritas, & ſeminum ad ſuccedentem rerum cunctarum continuationem non turbanda conſervatio; ſi ferret etiam ipſa diluvii hiſtoria, quæ ante exſiccatam depresſiorem terræ ſuperficiem in monte undis iterum emergente Noachi columbæ relinquit ramum olivæ virentibus foliis & ita quidem tenerum & recentem, ut ab ave potuerit decerpi. Quid ſtatuendum tamen de tot tantisque ad diluvii reliquias non referendis? De iis, quæ mentiuntur naturam? De Wormii homine ſiliceo Muſ. p. 82, de Monachis lapideis ſpeluncæ Baumanuiæ, de humanis leoninisque figuris in Angliæ caverna dicta Poolshole, quam exhibet Car. Leigh in hiſtoria naturali Lancaſtriæ, de humani corporis partibus, de lapideis manibus, pedibus, auribus, de humani corporis partibus, de lupideis manibus, pedibus, auribus, de inguinibus Hasſiæ; de caryophyllis lapideis Helvetiæ, de fungis ſaxo, ex quo ſurgunt, adhærentibus, aut Gothlandicis contra naturam agglutinatis & inſertis. Et, (ne pingenti quam ſculpenti naturæ minus artis tribuamus) de integrarum regionum arboribus conſitarum, turribus, ruderibus, fluviis, maribusque diſtinctarum tabulis, de ſolibus, aſteriſcis, roſis; de Muſis in achate Pyrrhi regis, quam Plinius recenſet, de capite Paniſci in diffiſſo ſaxo Chiorum, cujus Ci-

 cero

cero meminit in lib. de Divinat. De capite regio diademate inſigni in achate, quem monſtrat Venetiis Baſilica D. Marci; de Summi Pontificis ter coronati imagine, quam citat Agricola, aliisq; Islebienſium minerarum iconibus; de ſimia in lapide Aldrovandi; de gallina Muſei Weimarienſis; de iis, quæ imitantur artem; de ſolidis clavibus Nidroſienſibus Wormii, & de picta Suecica in Saxo prope Sigtunam, cujus delineatio in Suecia illuſtrata nondum edita; de fibulis Hasſiæ, quæ monti integro nomen dederunt Spangenberg; De cultris pugionibusq; Mexicanorum, ante ferri uſum, de cuſpidibus telorum haſtarumque; de cavis nummis Gothicos æmulantibus; de patellis Blanckenburgenſibus; de lapidibus ollaribus &c.? Haud prætereunda ſilentio eſſent literæ in Achate Theſauri Cæſariani, quem Lambecius recenſet, ſi novæ artis poſſent probari antiquiores. De nautalis Indicis, quos notant numeri muſici; de talis Badenſibus, non cumulate, ſed ſingillatim effodiendis, & tanto temporis tractu effosſis, quorum exactis æqualibusque numeris quod mirandum magis ſit, nulla protulit terra. Sufficit ad eorum aſſerendam veritatem auctoritas quotidianorum teſtium oculatorum, & maxime in pacis poſtremæ tractatione Legatorum Cæſarianorum Gallicorumque conjuncta perquiſitione ſuſceptum gravisſimum examen. In transcurſu hic non eſt prætereundus lapis cum naſcentibus minoribus talis, numeris ſignatis & petræ hærentibus. Quales nuper in monte Legritia, ut narratum eſt, effoſſos Cæſarique oblatos posſideo.

De cubis, quos tot generum mineræ formant, timendum non eſt, ut quidem de numeris, niſi Badenſium quotidiana exempla pro illis militarent.

Quid tandem de iis, quæ fidei ſiſtunt myſteria, de Servatoris Chriſti, ſanctisſimæque Matris Virginis &c. tot imaginibus? Quæ in lapidibus haud liquet, cur magis debeat mirabiles videri, quam in floribus ſatyrii antropophori, in radicibus

cibus, ut Mandragoris, in lignis, ut Lapponum idolis, quæ manu fieri apud eos nefas eſt, &c. ? In his equidem ingens differentia agnoſcenda, inter ea, quæ raro & quidem disſimili forma apparent, ut cancri fluviatilis quædam in fisſili tantum lapide deprehenſa veſtigia, & ea quæ determinati generis pares ſemper ſpecies exhibent, ut echinites, ut conchites, ut orbiculati cancri ſive paguri maſſæ integræ ſiliceæ. Illa ad naturæ ludentis caſus videntur referenda ; hæc ad opera, quibus ubique DEus præſtabilitas certas formas adſignavit ; ut ejus in iis Majeſtas tanto ſplendidius eluceret, quanto in occultatis quandoque rerum finibus magis abſconditur ; nam quid prohibet ſemina, naſcendorum compendia, ex. gr. in conchyliorum, coralliorum ſtructura, minerarum ſali, æque ut marino, adſerere ? Siquidem ſalium ejusmodi per meatus ſubterraneos communicatio non demum ex rerum omnium deſtructione & mixtione petenda. Neque ſpecierum diverſitas pro luſu habenda, ex. gr. quum gloſſopetrarum varia magnitudo, jam ad avium vel natricum linguas, jam ad lamiæ dentes ; quum cornua Ammonis ad nautilos, ad arietes, ad ſerpentes pertinere putantur. Quod ſi, ut ad mea redeam, in campis aſperis terra tantùm mollior depresſiorque everſa credatur, & nova collium ſtrata formaſſe, quomodo ad easdem ſectiones in antris excelſis & ſaxeo muro cinctis ſternendas gravem mineris terram æquis partibus in locum tam ſublimem extulit ? &, ſi extulit, cur vacuas reliquit alias minoris aut ejusdem altitudinis cavernas, quales ſunt aliæ ſteriles, & qualis eſt vicina huic, patulaque ex altera appoſita parte ſpelunca, ſilicibus pavimentata. Tandem ſi vortices ſubterranei non potuerunt tantam aquarum emittere, quanto erat opus ad inundandam ſuperficiem ſphæricam altitudinis 15. cubitorum, qua operti ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo Gen. 8. 19. unde in aquis cœleſtibus, dulcibus & levioribus tot marina ? Taceo repugnantias, ſi credatur Diluvium intra tempus, quo cœpit ſedimentum, integra cadavera elephantina & conchy-

 lia,

lia, ſi natant tardisſima, ſi non natant, gravia, ex natali ſolo in Germaniam vexiſſe.

At de contentis quam continente magis ſum ſollicitus; cur pro animalibus portentoſis non leves & obvias res; cur non homines? cur non animalia nota? cur non promiſcue, quæ mixta vexerunt aquarum turbines, eodem loco ſepelivit Diluvium? Qui poteſt tanta certis argillis, certa Oſteocollæ genera, certis lapidibus certas impresſiones ſervans ſecernensque induſtria cadere in fortuitos fluctuum caſus? Dubitare, non decidere audeo, nec forte Whodwardo alicui in Anglia Luidium, vel Dickinſonium; in Helvetia Scheuchzero Langium; in Italia Mercatum commentatori opponendo, ſingulorum ſuffragia meo ſubmittere inverecundo judicio. Veſtrum, Societates illuſtres, judicium, qua par eſt docilitate, exſpecto.

OBSERVATIO II.

Dn. Lic. Danielis Hoffmanni.

Cerebri violenta Laceratio non lethalis.

ANnorum 12. Puer, paulo ante meridiem domo egreſſus, contentaque pileo fraga manducans, ſubito ponderoſa quinque librarum tegula ex ſublimi viciniæ tecto ruente, ſiniſtrumque capitis latus feriente, proſternitur; Præteriens vir mortuum eum credens, tollit humo proſtratum brachiisque impoſitum in ædes defert, videns largisſimos arteriarum ſanguinem in arcus ejaculantium rivulos continuò proſilientes, cerebri unum alterumque gyrum tunicæ ſuæ illapſum, obvio offert Chirurgo, pueroque in lectulum repoſito, majorem aliam cerebri portionem adhuc vulneri adhærentem, una cum portione capillorum novacula quaſi abſciſſorum, cerebroque adhærentium, Chirurgus cochleari, obvio tum, excipit, offertque mox accedenti Medico D. D. & Prof. Eliæ Camerario

ſocero

meo honoratisſimo, qui ut præeſſet curæ, vocatus fuerat, gyros aliquot cerebri adhuc quaſi calentes, pia matre egregie inveſtitos, vaſculis capillo tenuioribus mirificè exornatos, ac arbuſculis quaſi tenerrimis purpureisque conſperſos, non meram exhibentes corticis cerebri ſuperficialem lamellam, ſed profundius paulo excuſſam, candicantisque etiam ſubſtantiæ ſtamina oſtentantes, cerebri hac portione longitudine digitum, latitudine lineas quinque, profunditate quatuor, non eadem tamen ubique denſitate, excedente; (nec unquam tamen primo morbi octiduo reclufum eſt vulnus absque novo cerebri propulſi diſpendio, adeò, ut vel octava die prodiret portiuncula, piſi majoris quantitate, tota nitidisſimè candicans, nec quidquam admixtum habens cinerei) obſtupuêre innumeri ſpectatores, conſpecta hac nitidisſima cerebri portione, vixque oculis credidere etiam rerum iſtarum periti, ea potisſimum, quam deſcribere mox dabitur vulneris ratione, perſpecta. Qui eum ulnis exceperat vir robuſtus, inter geſtandum vacillationem osſium cranii fractorum probè ſenſit, Medicoque mox indicavit, monens ſimul, puerum digitos mox manuum conſtrinxiſſe arctius, magnaque vi ſpaſmos extremorum paſſum, dextro latere mox dein comparente reſoluto, clamores ſimul enormes aut ululatus potius penetrantisſimos ejaculante thorace, oculis diſtortis, corneis, ac ſubclauſis, conniventibus palpebris, ſenſibus amisſis; Ictus ac proſtrationis violentia, lapidis pondus, teneraque ætas, magnum indicabant vulnus, autopſia verò parvum id exhibuit, vulnus enim integumentorum capitis ne digiti quidem æquabat longitudinem, lateribus parum hiantibus, intus vero latuit terribilis effectus tanti ponderis. Locus vulneris fuit in ſummo oſſe frontis lateris ſiniſtri, præciſius determinandus, ſi concipias Triangulum Iſoſceles, cujus baſin, diſtantiam nempe inter ſiniſtri oculi canthum externum, ac principium meatus auditorii, æqualia latera in vulneris centro coëuntia, integro ad minimum pollice ſuperabant magnitudine; nec tamen trianguli hujus

apex

apex mali centrum fuit, ſed fracturæ quaſi initium, oſſis enim fruſtum depreſſum duos digitos latitudine non attingens, longitudine eos excedebat, protenſum quippe à vulnere verſus latus dextrum, vacillans admoto ſpecillo, depreſſumque figuræ trapezoidis, à cujus angulo inferiore magna fiſſura deſcendebat per os frontis totum ipſamque oculi orbitam, lato hiatu tactui obvio. Prima dies 10. ſcil. Jun. 1718. & nox eam inſequens inter ſpaſmos, vomitus, cruorem quoque extorquentes, ſiniſtri pedis agitationes violentisſimas transacta eſt; Mane vero diei Jun. 11. ultima vice vomuit, facie magis magisq; intumeſcente ac deformata. 12. die Jun. plena lateris dextri immobilitas cum involuntaria fecum alvinarum excretione obſervabatur, nihilominus tamen juſculum carnis & mixturam confortantem crebrius deglutivit; capiti tum & univerſæ dorſi ſpinæ balſamum cephalicum, ſcrobiculoque cordis & pulſibus epithema cordiale imponebatur atque admovebatur. Die 13. iterum eædem agitationes atque inquietudines ægrum torquebant, mentis tamen attentione transparente; Urina multa, tincta, non turbata, nubibusque gravis conſpiciebatur, qualis & 14. Jun. prodiit, quo die non niſi à ſpiritu vini camphor. cum ſpiritu matricali commixto vulneri infuſo tam ſtentoreé clamabat. Ob lateris dextri omnimodam paralyſin asſiduo inſiſtendum erat confortationi nervorum inunctione oleo penetranti nervino; Ob pulſum fortiorem caloremque totius corporis manifeſtiorem, ſtatus febrilis increſcentis & ſigna & ſymptomata, pulviſculi bezoardici nervino-refrigerantes frequentius exhibebantur: Die 15. Jun. motus lateris dextri reſoluti, haud obſcuris ſeſe iterum prodebat initiis, qui indies magis magisque creſcebat; carnis juſcula aliquoties, redeunte jam appetitu, comedebat, urinam non ita tinctam reddens, illius verò excretionem, profluvium materiæ cujusdam pultaceæ albicantis, ſtatimque in urina ſubſidentis ſubſequebatur, profluebat enim hæc materia demum reddita urina, ſeorſim prolabens per urethram, eodemque die clara

ſatis

latis voce orationem Dominicam recitabat. Die 16. Portio ſubſtantiæ cerebri candidisſima ex vulnere, cum ſanie quadam ſpumoſa flaveſcente prodibat, ægerque de dolore cardialgico conquerebatur, qui tamen exhibitis medicamentis convenientibus, excretisque diutius retentis fecibus alvinis die 17. multum remiſit; Die 18. nec viſus nec memoria videbatur recte ſe habere, appetitus vero auctus cibos frequentius poſtulabat, ridebat ferè continuò æger, dumque adſtantes canebant, ipſe lacrymas profundebat; ſequente die 19. menſis de dolore illius oculi ſiniſtri querelas movebat acerbiores, idem de cætero appetitus, eademque urina. Die 20. Jun. læſio memoriæ in hoc maxime adhuc ſeſe manifeſtabat, quod multa, ipſi alias maxime familiaria ſuis nominibus indigitare ac denominare non potuerit, quæ læſio maxime circa ſolſtitium erat manifeſtior. Die Jun 21. Palpebra ſuperior oculi ſiniſtri in abſceſſum elevata cultello inciſorio aperiebatur, manente in fronte linea illa lata, ſeu rima hiante, qua non obſtante d. 22. & ſeqq. ſuffultus ab aliis erectusque in publicum tantillum proſpiciebat, cætera melius jam ſe habens; maximè autem notari meretur, quod ulcera antiqua brachii atque femoris ejusdem lateris ante aliquot annos jam conſolidata, ſaniem quandam, ratione coloris cum illa vulneris capitis convenientem ſtillare inceperint. Sequentibus menſis Junii diebus ſatis bene ſeſe habebat, duriora ſine ullo dolore maſticabat, capilli capitis ſine moleſtia novacula reſecabantur, labiaque vulneris reunionem atque conſolidationem maximè affectabant. Die 1. Julii adhuc læſæ memoriæ ſpecimina edebat, ſequentibus diebus proprio marte ſe erigit, atque in lecto erectus ſedet, inſertionem ſtyli ferrei in vulnus vix ſentit, die 12. Jul. nullas plane movet querelas & quaſi liber ab omni malo metuque obambulat, Chirurgusque ſicca ſaltem methodo vulnus obligat, continuatis nihilominus pulveribus cephalicis, nervinis confortantibus: Die 16. & 17. ex hypocauſto egreſſus eſt æger, imò die 18. exire domo auſus eſt, non obſtante capite

 tam

tam graviter læſo, tanta cranii portione vacillante ac depreſſa, tanta ad orbitam oculi fiſſura excurrente. Die 19. Jul. ex improviſo corripiebatur coryza cum larga ſalivatione fortique ſine ullo incommodo ſternutatione, quæ per plures dies ſub continuatione medicamentorum convenientium durabat. Videbatur jam res omnis confecta, conſolidatioq; vulneris omnimoda inſtare Chirurgis videbatur, hactenus enim vi quaſi coalitio repreſſa eſt, ut puri pateret via: & coaluit vulnusculum usque ad rimam quaſi minimam, at rebellem, quod prædixerat Medicus, ſemper enim aliquid ſtillavit laticis, puero vegeto, agili, ſano, omnibusque ætatis ſuæ actionibus aptisſimo. Novembri demum præteriti anni prima eaque exigua, osſiculi corrupti prodiit lamella juxta cum aliis ex foraminulo, puero rectisſime valente, pollet enim memoria & ad diſcendum, ut prius aptitudine eadem (erat enim jam ante paulo tardior ingenio) occluſumque jam ab aliquo tempore eſt valnuſculum, rima autem frontis eadem imo amplior tangitur, ſuo, quem monſtrat, pulſu conſpicuo, adhuc dum in amplo illo hiatu poſt menſes à vulnere accepto ſeptendecim, id verò jam plenè clauſum eſt, quæ occluſio an futura ſit conſtans, dies docebit atque ulteriora pueri fata. Cæterum ab inciſionibus abſtinuimus manum, haud vanè ſperantes, prodituram liberâ, eademque via ſaniem, qua tot tantæque cerebri portiones majores, minoresque prodierint atque propulſæ ſint. Abraſis ſaltem circa vulnus capillis, reliqui abſcisſi ſunt, admotis capiti ſacculis cephalicis, donec progreſſu temporis capillis penitus abraſis, ſacculisque remotis, caput tegeretur Empl. d. betonica. Inter remedia interna potisſimum Liq. Corn. Cerv. Pulv. pannon. r. ſpecif. cephalic. M. Corn. Cerv. aurat. Conſ. alkerm. unicorn. ver. Nitr. cryſt. Cinnab. nat. Cort. peruvian. Elix. aperitiv. Cl. ℞r. ♂t. cydon. Conſ. cichor. exhibita ſunt. Externorum reliquorum ſupra injeci mentionem.

OBSER-

OBSERVATIO III.

Dn. Lic. Danielis Hoffmanni.

De perficienda Molarum, Arbortuumque Doctrina.

PRoficuum omnino foret Medicinæ, ſi frequentius liceret Medicis rimari attentius atque inſpicere ea, quæ à gravidis intempeſtivè ex utero deponuntur, ea enim plerumque mulierculæ ſub grumorum molarumque nomine ſine ulteriori ſcrutinio abjiciunt; ſæpe verò ſecundinæ habentur pro grumo ſanguinis, aut huic includuntur atque una abjiciuntur. Sperandum tamen aliquid hoc in negotio foret, ſi ea ſaltem diligenter conferrent in publica commoda Medici, quæ obſervare ſolent in praxi ampliore, & ſi enim hic non liceat cum Malpighio ova incubata juxta ſeriem dierum inſpicere, tamen ex inſigni abortuum numero certius tandem quid obtineremus circa molas æquè ac abortus, cum plerisque nec Ruyſchiana circa molas hypotheſis ſatisfaciat. Anſam de iſtis cogitandi dedit hisce diebus fœmina 25. ann. prima vice gravida, ab aliquot annis chlorotica, illa menſibus emanentibus à duodecim ferè ſeptimanis frequentia violentiaq; vomituum ſingulari miſerrimè torta fuit, viribusque exuta, ut & diu ipſi eſſet decumbendum, ac ſub finem quidem non ſine rigoribus febrilibus, deliquiisque levioribus uterinis creberrimis, ac proſtrato penitus appetitu; medicamentis verò ſtomachicis, nervinis atque uterinis id tandem effectum eſt, ut vomituum & vehementia & frequentia ceſſaret, rediretque tandem appetitus, ſuperſtite tamen laſſitudine inſigni, ac cephalalgia frequenti, tandem tamen gaudet ſe menſtrua iterum experiri, Medicoque id refert, qui de abortu hactenus ſollicitus ac meticuloſus jubet eam pacatius & in lecto agere, accedunt verò tormina, ejiciturque ſine aliis incommodis inter largiorem ſanguinis fluxum oblonga maſſula carnoſa, ovum columbinum magnitu-

dine haud multum ſuperans, excretioni illi teterrimus jungitur fœtor, qui & fœminam & adſtantes terret; maſſam vero illam conſiderans deprehendo eam qualiscunque placentæ indolem referre, apertaque quæ adhærebat veſicula, conſpexi maſſulam fabæ magnitudine ex tenui filo pendulam ac liquido innatantem, quæ conglobata primum attentius videbatur mereri examen, ſed nihil organici, fœtuique ſimile potuit conſpici, quod alias vel in minoribus embryonum rudimentis obtinet; verum immiſſo aquæ toto fruſtulo, maſſula illa funiculo connexa mox latius duorum ferè digitorum diffuſa eſt diametro, ac diſcerpta quaſi diſperſaque in filamenta tenuia, fluctuantia per aquam. Probabile ſatis erat hæc fœtus rudimenta, tam tenui funiculo connexa, turbata in accretione natura, transiiſſe in fibrarum iſtum glomerem laxum ac malè cohærentem, modus verò quo id factum ſit, non æque liquebat. Putredine tamen infectam jam fuiſſe hanc maſſam odor teſtabatur, qui & lochia comitabatur, rectiusque jam ab aliquot diebus videbatur valere fœmina, poſtquam ſeparata ab utero hæc qualiscunque putreſcens placentula fuerat. Quæ ſi non rara ſint, erunt ſaltem ad hiſtoriam abortuum verorum falſorumve augendam non inutilia.

(*Tubinga Auguſtam Vind. d.* 12. *Novembr. A.* 1719. *miſſæ.*)

OBSERVATIO IV.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Mutus horâ quâvis primâ pomeridianâ loquens.

MUtus ille, per horam tamen quotidie à meridiana præciſè ad primam loqui valens (cujus hiſtoriam ſanè mirabilem dederunt Bb. *Reiſelius, Wepferus, Gmelinus*, in Eph. dec. 1. ann. 10. rationes autem quæſiverunt per Dei gratiam ſuperſtites,

tes, *Schroeckius*, *Valentini*, *Lentilius*, dec. 2. ann. 1. & 3.) vivit adhuc. Significandum hoc videbatur publico, tam ad confirmationem illius obſervationis, quàm ad invitationem curioſorum, ſi qui de phænomenis fortè pluribus velint informari, ut id faciant tempeſtivè, priusquam mortalitatis legem ſubeat ſenex. Scilicet, *Georgius Algajer*, civis & caupo *Jeſingæ*, quod pagi nomen eſt propinqui *Kirchemio*, ſub Teck, priſcâ Ducum ſede; natus anno 1653. parentum ſuorum primogenitus, uxoratus anno 1683. inde pater trium filiarum, filii unius, è tribus eorum ſuperſtitibus ſex nepotum avus: *ſenex* quidem, ſanus tamen, vivit, cætera liber, modò non eſſet & manſiſſet à tot annis *Aphonos*, excepta hora dicta unica, quaſi concedente loquelam.

Vera ſunt omnino, quæ de hoc ſcripſerunt ante multa luſtra *laudati Viri*: addenda videbantur, quæ & mihi de ipſo innotuerunt bona fide. Nimirum, ut κατ᾽ ἄρσιν procedam, *non* ſubeſt caſui huic inſolito *fraus*, dolus, aut impoſtura; ſiquidem res eſt publicæ notitiæ, tantæ durationis, tot examinum (à doctis, nobilibus, principibus, quorum & munuscula ſervat & monſtrare ſolet) ut nullus fallaciæ aut ſuſpicioni ſupereſſe videatur locus, & unicuique dubitabundo maneat liberum, ſit facile, per ſe vel per alios veritatem rei inquirere & diſcere.

Non eſt malum *congenitum*: etenim ad decimum ætatis annum liberè & clarè ſemper non modo loqui potuit, verùm etiam legere & ſcribere, ſupra conditionem ſodalium, didicerat jam tum.

Non eſt etiam affectus *hæreditarius*. Sicut parentes ipſius nullo linguæ vitio laborarunt, ita ſuum noſter non derivavit in liberos, nec in nepotes; quippe qui omnes ſunt liberi, nullum patiuntur ſermonis defectum.

Non cœpit à *vermibus*, in quos potuiſſet cadere ſuſpicio, tanquam paradoxorum alias phænomenorum autores,

pueris familiares; De his enim quæſitus noſter reſpondit negativè, non recordatus, ſe quondam iis fuiſſe obnoxium.

Non voluit deduci à principio quocunque *magiæ* ſuſpecto; quale vulgò in affectibus miris & dubiis ſolet accuſari facile: ſilentium eſt de tali cauſa.

Sed, κατὰ θέσιν, aphonia hæc videtur habuiſſe ſui principium in *terrore*, ab *angore*, ſubito, gravi, per Dei gratiam tamen ſuperato feliciter, in ætate quidem puerili. Scilicet pater hunc puerum tunc decem annorum, eo ipſo quod & obſequens & firmus, nec minus eſſet expeditus, voluerat comitem in itinere ad coemenda domumque devehenda vina: Accidit autem, ut reduces cum curru onuſto, ubi vado transeundus erat fluvius, Fils, ad Blochingam, illo tempore ultra modum magnus, periclitarentur uterque, pater quidem equo inſidens ultimo, & ab hoc retro fugiens & currum conſcendens, puer autem anteriori primo inſidens, quater cum ipſo merſus firmiter tamen ſeſe tenendo, ſervarentur, cum ruſtici miſerorum clamore vocati, motique periculo, opem tulerint quidam noſtro, alii patrem liberaverint.

Factum hoc ad ipſum tempus meridianum (quæ hactenus ſtrictæ adeo & miræ manet obſervantiæ) fuitque tam grave, ut pro mortuo ex aqua fuerit extractus, pro more ſubverſus, in loco tamen ſtatim, magis adhuc in proximo pago, refocillatus, vel tandem potuerit patrem comitari domum, ubi dubiè valentes jam dum vocem claram non ediderunt, habiti pro raucis, à terrore, & contentione clamoris.

Inſuper autem uterque etiam vix præterlapsâ ſeptimanâ incidit in *febrem*, acutam, quia dicuntur in ea deliraſſe valde. Unde pater evaſit planè liber, filius etiam, ſed ita tamen, ut abhinc ſubinde pateretur abolitionem vocis, primò quidem incertam vago tempore, non conſtanter; donec tandem, quod præcipuum eſt, nec ſatis declaratum, fuerit facta & firmata illa ad certam horam vocis determinatio, privatio autem per omne reliquum diei & noctis: quæ jam plus *quinquaginta*

anno-

annorum decurſu ita continuat in ſtatu eodem, ut datæ primum occaſioni reſpondeat conſuetudo planè radicata ad loquendum & ad tacendum.

In eodem, inquam. Scilicet non ſuppetit exemplum per tempus tam longum loquelæ extra illam horam, niſi unum & alterum, niſi perbreve, & ex hac causâ ortum. Cum vel *ante triginta annos* milites eſſent in hybernis, inter multos ex incolis etiam noſter correptus fuit febre malignâ; tunc in ſummo caloris & delirii, præ quo duorum veſicatoriorum ſenſum habuerit nullum, ſemel ad noctem loqui cœpit, non ita perfectè tamen, ac alias hora ſua ſtata, Paſtorem vocari, Sacramento cœnæ frui deſiderans; atat ab illo adveniente jam iterum loquendi potentia privatus & ſui non compos, fuit deprehenſus. Iterum ante *14. annos* febre acuta decumbens, lacrymis ſuorum commotus, extraordinariè filium conſolari potuit, ſed & hinc brevi rurſum obticuit, non niſi ſuo tempore locuturus.

De his omnibus, & de conſtantia phænomeni, publicè omnibus conſtat laudati oppidi, pagi, & vicinorum incolis, quos inter verſatur caupo, ſtaturæ mediocris, macri potius quam craſſi corporis, capillis ſubnigris, ſed incipit caneſcere, ſenſibus omnibus adhuc integer, non ſutdus, minime ſimplex, teſtimonii boni, ſignis & literis per tempus impotentiæ ſenſa ſuæ mentis exprimens, negotia potiora deſtinans horæ, qua loqui datur, tum quoque hilaris & facetus: interim cum res ſit tot annorum, longa conſuetudine jam quaſi non amplius attenditur, ſed ut in talibus caſibus fieri amat negligitur.

Accedant examini & hiſtoriæ olim recenſitis adhuc circumſtantiæ quædam: Obſervantia temporis tandiu eſt accurata, non obnoxia mutationi per tentamina, occupationes, converſationes. *Diſcurſus* data opera cum ipſo inſtitutus non poteſt protrahi ultra terminum fixum, ſed in medio ſermone ſolet abrumpi, obmuteſcit noſter præcisè ad horæ ſuæ

non

non tam ſonum quam complementum, vanus eſt tunc & poſthac omnis ad loquendum conatus.

Adeo, ut non conſtet, unquam vel ab *ira* aut *terrore*, quales utique ipſi dicuntur obtigiſſe graves & ſubiti, vel & à *vino*, ipſum verba feciſſe, aut erupiſſe vocem ullam. Etiam cùm *tuſſi* laboraret magna & ſonora, quod factum non ſemel, loqui tamen non potuit extra ſuum tempus.

Non autem aphonia hæc eſt per modum *raucedinis*, ad vocem modò ſubmiſſam, ſed ad planè nullam, ne quidem inſtar ſibili vel ſpiritus, ulla ratione vel niſu formandam. *Fiſtulare*, quod potuiſſe legitur, intelligendum eſt non ſaltem de flatu per fiſtulam, ſed & ex ore ſonoro; hoc autem jam ſenex edentulus non æquè amplius valet præſtare.

Ad horam denique iſtam *vox* ipſi eſt libera, clara, *naturalis*, nihil ſingulare aut à communi loquendi modo diverſum habens. Nec tunc ipſe de ſtatu ſuo quidquam referre poteſt, aut ſolet queri, niſi ſimplicem iſtam impotentiam. Liberè enim tam *reſpirat*, quàm os movet, *lingua* ſub ſilentio nec paralyſin patitur nec ſpasmum, nec viſu vel tactu ullum in *organis* obſervatur vitium.

Qualis autem ſubſit diſpoſitio in penitioribus, ſi quis in corpore potius organico, quàm ipſius actu, vellet fundare conſuetudinem, divinationi ejusdem relinquitur. Pro harmonia quidem tali mentis ad corpus & ad tempus, varia, ut deſiderium cibi ad prandium, vires à prandio, altitudo ſolis meridiana, motus humorum illi reſpondens, & ſimilia in conſiderationem venire poſſent: præcipuum tamen momentum videtut conſiſtere in memoria temporis & periculi teneræ adhuc ætati fortius impreſsâ, firmius retentâ; ſed non cum latitudine quadam, verùm ſub tam accurata conſtantia, præciſè ad horam reſtricta, hoc mirum eſt æquè, ac obſcurum illud: quid ſint illi mentis modi, illa ſive objecta ſive producta, quibus dari ſolet nomen idearum, habituum & id genus entium nobis intimorum ſed ignotorum.

Excel

EXcellentisſimus hujus Obſervationis Author d. 26. Martii A. 1720. ſequentem de Muto hoc ſuperaddidit Relationem: Vel tandem finis eſt hujus etiam hiſtoriæ. Manſerat *per hyemem*, qualis *autumno* fuit deſcriptus *ſenex*, *Georgius Algower*, *Caupo Jeſingenſis*, qui ſingulari *loquelæ* phænomeno inclaruerat, diu adeò temporis ſui ad loquendum & tacendum obſervans. Sed cum ad Martii principium inciperet ægrotare, mutari etiam cœpit longa illa ſuæ conſuetudinis obſervantia. Amiſerat ſub finem Februarii *uxorem*, & hanc jacturam ægrè tulerat, quòd cum ipſa vixiſſet diu concorditer. Die *tertio* Martii *ſacra cœna* fuerat uſus in templo. *Quarto* iverat *ad nundinas* in urbem vicinam, Kirchemium ſub arce Teck. Verum enim verò ibi & inde principium *morbi* acuti & funeſti: Aegrè enim præ languore redux illa veſpera properavit ad lectum, cum catarrho & vomitu, *pleuriticè* correptus.

Hoc tamen ipſo die fuit obſervatum principium loquelæ *extra* ſuam horam: Cùm enim dubium eſſet inter ſuos de pretio rei emptæ, *circa horam ſecundam pomeridianam*, ipſe præter opinionem, & ad conſternationem ſuorum, interfari cœpit, his primis verbis: Et ego hoc pretio emi. Ultra, filiæ mirabundæ & quærenti: Mi pater, loqueris? ut vales? ubi doles? reſpondit: ubique: laſſus modo ſum adeo. Nec plura tum dixit, nec horum prolatorum voluit recordari *ad veſperam*. Qua, cum forte dubium eſſet, quota hora, ſexta vel ſeptima, ſonuerit, rurſus erupit in verba pauca: Ita, non fuit niſi adhuc ſexta. Sed & in hoc ſubſtitit: eo ipſo autem ſuſpectum ſuis dedit omen, ad inſtans inde fatum concludentibus; prout quidem vel olim fuerit ipſi prædictum, redituram prius quam moreretur loquendi potentiam. Abhinc iterum ſilentium, morbo interim gravisſimè invaleſcente, usque ad diem *octavum* Martii, & *horam* ipſius antemeridianam undecimam: illam ipſam, qua puer olim fuerat in periculo ſubmerſionis in aqua. Tunc per bihorium, ab illa ſcilicet undecima ad primam ſuam pomeridianam, locutus, iterum obmutuit.

Tandem die *nono* Martii (quo *NL. Saturnus* ſtat retrogradus, ad *hyemem* martiam) à quinta veſpertina poſthac *planè quoad vocem liber* quæ voluit, quando libuit, eloqui potuit omnia, non amplius unquam intercepta loquendi potentia. Sub his tamen circumſtantiis: Præ doloribus punctoriis, & reſpirandi difficultate, verba proferebat ægrè, pauca, ſub languore, per ſomnolentiam, qua ſubinde corripiebatur. Nec ſuppetit notabile quid ex prolatis, præterquam, quod adhuc ſemel de principio modoque ſuæ obmuteſcentiæ interrogatus, caſum iſtum ſuæ quondam periclitationis in fluvio, morbumque ſubſequum, repetierit, ulteriorem inquiſitionis moleſtiam deprecatus, cum addito: *Vox mea toties ſolebat absque ſenſu doloris venire & abire; cum loqui inciperem vel deſinerem, neque melius mihi erat, neque pejus.* Servavit tamen hanc quam recuperarat linguæ libertatem per dies noctesque vitæ ſuperſtites paucas: Morbo enim fractus ad nonum hujus diem occubuit; benè præparatus, à Paſtore fideliter ex verbo Dei ſolatiis recreatus & ſuſtentatus. Moriendi *modus* dicitur fuiſſe tandem quaſi ex improviſo, absque prævio delirio, nec cum diritate motuum, placidus: *Tempus,* media ferè nocte inter d. 12. & 13. Martii 1720.: *Ætas,* ann. 67. minus 7. ſeptiman.

Habuit ergò hoc commune cum aliis ad ultima properantibus, mutationem ante obitum notabilem in eo ipſo, quo per visam fuerat mirabilis: ut ſolet fortè mente captus redire ad ſaniorem mentem abituriens; aut apparere melior quoad corpus ægri ſtatus, ſed morituriéntis. Utrum ille fortius commoveri cœpit, dum ſenſit fatum appropinquans, & hoc ipſum ultimi conatus dedit ſpecimen? aut hisce jam gravioribus intentus curis veteris terroris & conſuetudinis oblitus ſepoſuit Ideam? Organa ad ſenſum mutata non fuerunt: De intimioribus non conſtat: de occultis nervorum ſive in exortu ſive in progreſſu difficile eſt judicium: Spiritus fingi poſſunt pro lubitu: Anima novit omnia, præter ſe ipſam.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Character Plantarum internus.

S*Emen* plantarum principium & finis rectè quidem ſed vix ſatis attenditur in negotio *ordinationis* ipſarum. Non videtur manendum eſſe in aſpectu externo; eſt aliquid ultra & intra *vaſculum* & *corticem*, quod inſpici meretur, ſcilicet *nucleus* & *germen*. Hoc præcipuum eſt in ſemine, hujus etiam in *methodo* haberi debet ratio & poteſt, ſiquidem ipſa *ſeminalis Plantula*, utut parvula quibusdam & abſcondita, jam dum tamen figuram ſuam habet certam, & locum, tam conſtans in hisce ſuis diverſis per genera modis, ac in ullo alio quocunque apparatu. Singulare in prolegom. *Raji* ad hiſt. plant. de his legi meretur caput; figuræ *Malpighii* & *Leuenhockii* multa illuſtrabunt: potior omnibus erit avtopſia. Liceat ergò conſenſum requirere *Characteris interni*, quando vi *externi* volunt conjungi plantæ: ſufficiat opponere diſſenſum, illius, caſu quo malè jungi videntur quædam. Certè claſſes illæ plantarum tam ampliores quam meliores, quas temere explodere nullus auſit botanicorum, ſuorum æquè germinum intus habent modum conformiter ac externè ſeminum: & ſi quis indè & levem & qualemcunque in flore vel cortice receſſum fecerit divortium, modò cætera potiora cum germine ritè conſpirent, factum illud non probavero. Examen autem claſſicum dubiarum, vexatarum, arbitrariarum, ad hunc quoque lapidem quaſi lydium poterit inſtitui. Prolixum erit hoc ſtudium: liceat ſpecimina quædam proferre ad declarandam noſtram ſententiam.

Ponamus caſum: In claſſe bacciferarum eſſe quasdam, quibus plantula ſeminalis eſt non bifolia, non diviſa, ſed per pulpam quandam teretis inſtar vermiculi protenſa, hasne ſocias patiemur eſſe cæterarum, quibus ſuæ ſunt plantulæ bifo-

 liæ?

liæ? Atqui cum *Aſparago* & *Polygonato* ita comparatum eſt. Ergo ægrè feremus illa jungi Solanis vel carnoſis quibuscunque aliis. Rajus quidem *Pæoniam* ſe habere voluit, ut de biga illa diximus, ſed bifolium eſt, quod in ſua planta occultat, germen; rectiùs ad monocotyledonon genus ex hac quoq; ratione retulit *Arum*. Conſpirant autem cum Aſparagi & Polygonati charactere interno etiam extus ſex florum crenæ & baccæ tripartitæ.

Pergamus ad alias: Reſpectus *Apicum* ad *veſiculas ſeminales* tanti momenti in negotio Generationis, quippe fundans *Plantarum ſexum*, non tamen arripi debet ita ſimpliciter pro methodo ipſarum in præjudicium characteris interni, & cæteri apparatûs in germinatione & fructificatione diverſi. Exemplo poſſunt eſſe herbæ, quarum *Flores* ſunt in eadem planta ſejuncti à *ſeminibus*. Hîc *Ricinum* adjungere *frumento Turcico* cum ſociis præter alia vetat Germen illius bifolium, planum, in medio pulpæ, cum alteri ſit gemma benè diverſa, foliorum ſcilicet convolutorum, adhærens extus cotyledoni ſuo, more Cerealium proprio; & eò magis notabili, quòd *multiplicatio frumenti* eſt Thema modernum curioſum: cui illuſtrando inſervire poterit hoc ipſum germinationis principium, non ſimplex, ſed, juxta obſervationes laudati Autoris, plantulæ præter mediam majorem quaſi maternam dantur inſuper in grano e. g. *hordei* quatuor, *ſecalis* tres, *avenæ* & *tritici* duæ ſociæ minores, ſingulisque ſex foliola, ſuis omnia declarata figuris.

Nec herbæ, quarum ſexus eſt per individua diſcretus, ſocietatem ſuſtinent ſatis firmam, diſcrepante iterum germinis modo: *Cannabis* enim plantula ſola ſuum corticem explet, craſſa, arcuata; *Spinachiæ* illa globulum farinaceum ſinu ſuo complectitur; *Mercurialis* autem protenditur per mediam talem farinam; *Urticæ* tandem ſua eſt plana, recta, nuda, pulpa caret &c. Ne ad plures, ad arbores tales, procedam.

Porrò

Porro, ſitus ſeminis, in eoque Germinis, quem attentus planè obſervavit *Cæſalpinus*, non debet prætermitti. Exemplum dabit *Cerinthe* & *Echium*, invitâ naturâ ab ita dictis Aſperifoliis, quæ cor in ſummo gerunt, ſeparatum. De illâ jam olim in his Eph. dec. 2. ann. 9. Ad *gentianam* quidem nimis propè locare ipſam non ſinit inſuper plantula illius ſeminalis, in media pulpa, qua Cerinthe caret. Transeant plura ſitus inverſi exempla: ſpeciminis tamen adhuc loco ſit *Scabioſæ* ſemen, hoc ipſo diverſum à cæteris florum propriè dictorum compoſitorum ſeminibus.

Acriviola, curiosè adeo ab *Ill. Dn. Directore* Eph. deſcripta, vindicanda etiam beneficio characteris interni & eximenda à conſortio Aconitorum erit non flore ſaltem ſed etiam vel maximè plantulâ ſeminali, cui ſunt bini lobi valdè craſſi, cum minuſculo adhuc inter ipſos germine, planè aliter, ac in corniculatis multis ſiliquis, quorum parvulum germen hæret in extremo pulpæ indiviſæ. Nec tamen, ut quod res eſt fatear, heteroclitum *Cardamindum*, cum *Viola* ſatis convenit, quippe cui eſt parvula per medium pulpæ extenſæ.

Denique *Coffé*, cujus ramum floridum & fertilem figura elegans exhibet in cent. 4. ſitum habet plantulæ ſingularem: Scilicet in extremo dorſo convoluti quaſi cotyledonis reſectâ tantillâ pulpæ portiunculâ detegitur latens germen parvulum, planum, bifolium, cum radiculâ oblongâ. Utrum ita conveniat cum *Jaſmino*, determinent Alii, nobis enim hujus flores quidem ſuppetunt abundè, non autem baccæ; nec mentem modò ſubeunt aliarum ſemina, quibus ſuum ſimiliter locetur germen.

Atque ita quidem proſequi contemplationem ſeminum intimiorem & ad plantarum ordinem applicare foret non difficile, nec forſan inutile: Verum iſta modò ſufficiant pro ſpecimine.

(*Tubinga Auguſtam Vind. d. 15. Novembr. A. 1719. miſſæ.*)

 OBSER-

OBSERVATIO VI.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Vulnus capitis ad cerebrum usque penetrans poſt 5. ſeptimanarum decurſum letale.

ANno proxime elapſo d. 8. Martii Noſocomio Status Maritimi illatus eſt Claſſiarius quidam, acinace per medium os ſyncipitis ſiniſtrum gravisſime vulneratus, vulnere ab oſſe frontis ad illud occipitis usque juxta longitudinem exporrecto & ad ipſam cerebri ſubſtantiam viſui per hiatum fracturæ ſatis obviam penetrante. Primo menſe æger ſic ſatis bene ſe habens nullisque periculoſis ſymptomatibus infeſtatus, fragmentis cranii læſi usque & usque ſeparatis, vulnereque cutis conſolidationem indicante & ipſe optimam reſtitutionis ſpem concipiebat, & medentibus dabat. Quinta demum à decubitu hebdomade conqueri incipiebat de dolore & gravitate capitis cum vertigine, leniaque convulſionis ſigna ſeſe offerebant; inſtituta itaque ſtatim cranii perterebratione ſubjacenti & hactenus in inſidiis latenti hoſti exitum dare ſtudebamus, ſed fruſtra, die enim illam factam ſubſequente convulſus æger moriebatur. In cauſam mortis inquirentes, cranio remoto, illam ſatis manifeſtam reperiebamus, fragmentum ſcilicet laminæ interioris osſis bregmatis ſiniſtri magnum per ipſas cerebri membranas transfixum & cerebrum pungens, cum vicinæ fruſtum illud ambientis cerebri ſubſtantiæ putrefactione, ſatis late & profunde, ad ovi ſcilicet gallinacei magnitudinem ſerpente.

OBSERVATIO VII.

Dn. D. Hieroymi Laubii.

Vulnus thoracis per accidens lethale.

VUlneratus in thorace à nebulone quodam clasſiarius curæ Chirurgi civitatis hujus ſe committit, à quo per integras 6. hebdomades tractatus, propter improvidam & diutius continuatam turundarum craſſarum & compactarum in vulnus intruſionem plus damni quam ſolatii ſentiens, tandem Noſodochium Regium petit. In prima autem ægri deligatione obſervatum fuit inter quartam & quintam coſtam veram lateris dextri & vulnere factum ulcus rotundum, pollicem admittens, calloſum cum ſinu ſuperiora verſus abeunte, absque notabili penetrationis in cavum pectoris ſigno. Viribus & carne deſtitutus æger tusſi moleſta ſicca, dyſpnœa & febre hectica jam afficiebatur quibus ſuccesſit tumor femoris ac tibiæ ejusdem lateris œdematoſus mox auctus mox imminutus: ulcus ipſum materiam fundebat crudam, fœtidam, quæ tandem in pus magis coctum & laudabile abire viſa conſolidationem ulceris ſpondebat: ſed ſtatim à latere novus ſe extollebat tumor, qui pro facilitando materiæ adhuc latentis effluxu apertus aliquot ſinuum, ipſarumque coſtarum cariei indicia dabat. Auctis interim febre hectica memoratisque ſupra ſymptomatibus miſerrimus æger tandem poſt 24. ſeptimanarum decubitum moritur. Cujus cadaver eadem die examinatum ſumme macilentum, ſed quoad femur & tibiam dextram œdematoſum, monſtrabat in thorace dextro duo foramina, primum ultro olim malitioſe in regione 4. & 5. coſtæ veræ inflictum, alterum intra coſtam 5. & 6. arte, ut ſupra dictum, factum. Remotis integumentis ac muſculis coſtæ nominatæ apparebant carie exeſæ, ſternoque ſublato, pulmo lateris affecti totus coſtis, pericardio ac diaphragmati undique firmiter adnatus & denſa membrana inveſtitus, coloris obſcure coerulei ad ni-

gredi

gredinem vergentis, durus pureque craſſo, ſpiſſoque marcidus, pleura gangræna tacta, cavitas dextra ichoris fœtidisſimi circiter libram civilem continebat: in regione vulneris inflicti obſervabatur foraminulum in pleura vix piſum recipiens, minime verò ad pulmonis ſubſtantiam ubique annexam penetrans. Quod examen patefecit vulnus demortuo olim inflictum non niſi occaſionalem mortis cauſam, minime vero abſolutam fuiſſe, & ex accidente ſaltem per inconſideratam primi Chirurgi tractationem letale evaſiſſe.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Vulnus lienis & renis ſiniſtri letale.

CUltro lato infra coſtas ſpurias lateris ſiniſtri transfoſſus nauta die nona poſt acceptum vulnus moritur. In læſionis naturam inquirere jusſi ego & Status Marini Chirurgus, vulnus per medium lienem in renis ſiniſtri ſubſtantiam penetraſſe, ſanguinisque in abdomen effuſioni notabili anſam dediſſe obſervavimus, ideoque vulnus hoc abſolute letale fuiſſe: nec mirum eſſe, quod febris vehemens cum vomitibus, diarrhoea & mictu cruento mortem præceſſerit, pronunciavimus.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

In flexura cubiti graviter vulnerati anatome.

MIles gregarius in duello graviter vulneratus ad Noſocomium Militare Regium miſſus, jam per aliquot dies ab ali[o] Chirurgo tractatus vulnus monſtrabat in cubiti flexura gladi[o] profunde inflictum & tres digitos latos longum, multoqu[e] linteo carpto intruſo dilatatum, quo exemto caro gangræn[a] proxim

proxima conſpiciebatur. Mox ab ingreſſu febris vehemens corripiebat vulneratum, cum tumore circa vulnus plumbei coloris, totum ſtatim brachium occupante: omnique medela incaſſum tentata, febre ac doloribus enervatus æger 26. die moriebatur. Examinato poſt mortem accuratius quam in vita licuit, vulnere, illud in ipſam juncturam Cubiti ultra medietatem penetraſſe, radiumque & apophyſes humeri læſisſe, parvaque horum fruſtula penitus reſecta fuiſſe, viciniamque gangræna correptam deprehendimus. Itaque quamvis vulnus iſtud pro abſolute & per ſe letali declarare non potuerimus, illud tamen ad ſumme periculoſa & propter funeſta ſymptomata plerunque ſupervenientia, ſi non ipſam mortem totius, membri tamen extirpationem ſæpisſime cauſantia referendum eſſe judicavimus. Cumque præterea iſtius ægri conſtitutio morboſa, & accedens primis ſtatim diebus gravisſima febris cum brachii intumeſcentia ejusdem amputationem impediverint: pulmonum inſuper dexter lobus una cum hepate inflammatione correptus deprehenſus fuerit, hunc ægrum in vita conſervari non potuiſſe pronunciavimus.

OBSERVATIO X.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Ex ſcirrho ventriculi vomitus aſſumtorum diuturni.

IN cadavere Viri ultra ſemeſtre ſpatium moleſto aſſumtorum vomitu excruciati & poſt ſex hebdomadum in Noſocomio decubitum demortui obſervabantur Pulmones ſani, & naturaliter conſtituti, niſi quod ſiniſter vicinæ pleuræ & diaphragmati fuerit adnatus. Muſculos abdominis rectos ſphacelus corripuerat, peritonæum erat tenue admodum, ventriculus flatibus ac multo liquore nigricante turgidus, ejusque orificium dextrum, quod Pylorum vocant, ſcirrho quatuor digitos transverſos

verſos lato adeo arctatum, ut non niſi niſu quodam aditum ad duodenum inteſtinum digito concederet: veſica fellis collapſa & indurata, pancreas & meſentericæ glandulæ ſcirrhoſæ, inteſtina gangrænata & inania, lien parvulus, urinaria veſica conſtricta admodum, ſed renes boni obſervabantur.

(*Haſnia Auguſtam Vind. d. 16. Nov. A.* 1719. *miſſæ.*)

OBSERVATIO XI.

Dn. D. Joannis Adami Göritzii.

Anatome hydropici, cadendo ſuffocati.

JUvenis xvii. annorum aſcite laborans jam ultra duos annos, ne quid dicam de calculis excretis, quorum unus & alter magnitudinem pruni nuclei adæquabat, poſt multa adhibita hoc levamen ſentiit, ut detumeſcente ſenſim abdomine & ſcroto iterum ambulare in domo, & ſcalas adſcendere inciperet, qui prius præ aſthmate & tumore inſigni jam diu lecto affixus erat. Convaliturum ſic ſe, quamvis pedetentim, eo minus dubitavit, quòd appetitus rediret, & reſpiratio melior eſſet. Sed præter ſpem accidit, ut, dum aliquando, poſt aſſumptum largius & læto animo prandium, celerius, quam par erat, hypocauſto exiret, pronus caderet in terram, & ſtatim etiam ſuffocaretur. Scrutaturus cauſam hujus ſubitaneæ mortis, apertionem cadaveris petii, quâ impetratâ, in præſentia duorum Illuſtrium virorum, ſequentia notavimus. Tota facies livebat, non aliter, ac ſi laqueo ſuffocatus interiiſſet. In abdomine reperiebantur adhuc ultra xxiv. libræ humoris extravaſati luridi & vappeſcentis, cum peritonæo putrido. Inteſtina juſto minora erant, alba & fere vacua, forſan à repetitis hydragogis. In hepate autem vidimus quod admirationem meretur, ſolito quippe grandius fuit, figuræ ovalis, una maſſa, & nullus lobus in illo viſendus. Tunica inveſtiens hepar, craſ-

ſitiem corii vitulini habens, facili negotio detrahi poterat, cujus portionem adhuc ſervo & petentibus oſtendere poſſum. Subſtantia hepatis per medium diſſecta exſanguis erat, inſtar ſpongiæ expreſſæ. In veſicula fellea vix x. guttæ bilis conſpiciebantur. Lien ſuæ magnitudinis erat, & fere naturaliter conſtitutus, niſi quod latus exterius eodem fere corio tegeretur ac hepar. Ad diaphragma ubi perventum eſt, foramen in parte dextrâ carnoſa conſpeximus, per quod digitus facile transire poterat: hinc cùm thoracem plenum videremus ejusdem humoris, quem ex abdomine ollâ exhauſimus, hîc punctum lethalitatis eſſe dixi adſtantibus: rupto enim, poſt caſum violentum, diaphragmate fracido, aqua abdominis ἀθρόως καὶ βιαίως thoracem ingrediens, ſtitit pulmonum motum & miſerum ſuffocavit. Cor magnum erat, intus fovens polypum pituitoſum in aortam deſinentem, qui forſan circulum ſanguinis impediendo, ad ſuffocationem ſuum quoque contulit. Reliqua viſcera in ſtatu fere naturali ſeſe offerebant, & mirati ſumus, quod in utroque rene & in veſica urinaria nihil amplius de calculo vel ſabulo renali repertum fuerit.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. Joannis Adami Göritzii.

De capillorum pica.

PLurima exempla à diverſis Autoribus notata ſunt appetitus abſurdorum, qui præcipue in gravidis occurrit. Vidimus tamen etiam puellas chloroſi laborantes, tritico, creta, carbonibus & cera Hiſpanica veſci: alias hordeo, ellychniis, calce viva, carne cruda, ligno & arenâ. Sed capillorum eſum nondum audivi, hinc quod nuper his oculis vidi, utpote rarum contingens, Ephemeridibus noſtris ut inſeratur, æquum duxi. Pagus eſt, Affecking dictus, diſtans à Ratisbona 2. milliaribus, in quo puella eſt x. annorum, venatoris filia, quæ maximâ cum

delectatione capillos devorat. Parentes ſancte teſtantur, quod omnes capillos ad minimum ter ſibi extraxerit & voraverit, licet centies ob id caſtigata. Modum hunc ſervat: capillos convolvit ſupra digitum, & parum maſticatos deglutit. Proprii non ſufficiunt, ſed, ubi modo occaſio occurrit, aliis hominibus capillos aufert; inſuper aliquot pelles leporinas etiam voravit. Id omne tamen absque noxa, ſanam enim eam hactenus fuiſſe Parentes mihi dixerunt. Quærenti, unde hic mirus appetitus ortum traxerit, mater faſſa eſt: ſe gravidam aliquando macellum prætereundo os bovinum piloſum vidiſſe, illudque valdopere appetiiſſe; ſed ob pecuniæ defectum ſibi prius domum eundum fuiſſe. Hac accepta ad macellum feſtinâſſe, tardius autem redeundo os illud piloſum non amplius inveniſſe, utpote ab alia fœmina interea emptum & ablatum. Hinc triſtem abiiſſe, & poſt aliquot hebdomadas filiam hanc peperiſſe, in qua obſervatum fuit, quod ſtatim ac capilli crevêre, illos evellere & ori indere ceperit.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. Joannis Adami Göritzii.

Muræmula in pede.

GRavida quædam hujus loci, aliquando muræmulas appetens, maritum, qui mercator eſt, & tunc temporis ipſe illas vendebat, rogavit, ut ſaltim unicam edendam daret, ob inſignem appetitum, ne embryoni noxa accideret. Aſt ille, uti non ſolum avarus eſt, ſed præterea cappadocium portentum, indignabundus muræmulam denegat, reſpondendo, ſtolidam hanc eſſe imaginationem, hoc tempore eas eſſe raras, & plurimo vendi poſſe. Gravida in lachrymas ſoluta muræmulas ſe ubique odorari teſtatur. Ancilla nunciat hæc hero ſuo, qui abortum veritus, parvulam ſeligit, eamque in cauda tenendo hypocauſtum intrat & uxori oſtendit, ejusque imaginationem

&

& lacrymas deridet. Verum illa, ira frendens proſilit à ſede ſua, abreptamque è manu mariti murænulam in terram projicit & pede conterit, his verbis: en avare, nec ego edam, nec tu vendes. Metuunt quidem in domo omnes uxoris abortum, ob hanc excandeſcentiam, non tamen nocuit gravidæ; filia autem, quam legitimo tempore peperit, effigiem murænulæ habuit in planta pedis, & etiamnum habet, licet jam mater ſit aliquot liberorum.

(Ratisbona Auguſtam Vind. d. 17. Novembr. A. 1719. miſſæ.)

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. Joannis Salzmanni.

De mira cranii fractura in homine per XL. *annos ſuperſtite.*

VIr ſexagenarius Abraham Eſtermann, in Pago Sinſenheim prope Heidelbergam natus, nunc vero civis in Barbelroth, ditionis Suecicæ, ad tertium à Landavio lapidem diſtante, cum viceſimum circiter ætatis annum ageret, & in pago Ober Engenheim / duobus à Moguntia milliaribus Germanicis, vietori à ſervitiis eſſet, tempore vernali in cella vinaria dolium 16. amphoras Argentinenſes capiens, ſed duabus tertiis partibus vacuum elevare conatus eſt. Sed huic labori impar manus ſubito ſubtraxit dolio, quo facto aſſeres ſuperiores prominentes, qui noſtratibus, die Gargel dicuntur, vino refluente & in partem ejus poſticam impetum faciente, ipſi in ſpatio valde anguſto, murum inter & dolium conſtituto, circa medium osſis frontis non modo enormem integumentorum contuſionem, ſed & osſis fracturam, cum inſigni partium comminutione produxit, non ſine magna, uti conceptu facile eſt, cerebri commotione. Solus erat, nemoque afflicto ſuccurrere poterat, utut haud notabilis ſenſuum vel externorum, vel etiam in-

ternorum læſio, neque ulla alia gravia ſymptomata, quod fidem ſuperat, ſubſecuta ſint. Æger more ejusmodi hominibus familiari, nullius Medici vel Chirurgi opem implorans, remedio è Microcoſmo & proprio corpore petito, nempe urina, uti erat recens emiſſa, lavit & eluit vulnus, idque per plures annos continuavit. Poſt elapſum aliquod tempus animadvertit portiones integumentorum & fragmenta oſſium ſubinde ſeparari & exire, quæ hiatum in fronte inſignem reliquerunt, majorem tamen cutis atque cranii tabulæ externæ, nec non ſubſtantiæ intermediæ, quæ diploë Anatomicis vocatur, quam internæ, uti icon calci adjecta illud accurate exhibet. Nova cutis non ſuccrevit, neque cranii tabula externa, ſed plura fragmenta internæ cum reliquo oſſe, vel cum ſe invicem rurſus coaluerunt, quæ ſubſtantiam inter os, & cartilaginem mediam præ ſe ferunt. Hinc dura mater, ſeu craſſa meninx, externum cerebri involucrum, multum eſt denudata, hiatu latitudine ad 3. digitorum transverſorum craſſitiem accedente, longitudine illam duorum ſuperante. Externa tabula magis deficit, quâm interna & tantundem, quantum cutis, nempe ad latitudinem 4. vel 5. digitorum. In latere dextro prominentiam inſignem, & plures in reliqua circumferentia inæqualitates, uti cutis habens. Hæc in fronte inferiore, ſuper radicem naſi in plura quaſi tubercula elevata eſt, id quod cariei oſſis ſubtus latentis ſuſpicionem nobis præbet. Sed & ſilentio prætereundum non eſt, ægrum noſtrum, cum puer 7. annorum eſſet, patre baculo illum petente, & falcem meſſoriam è pariete ſuſpenſam feriente, ab hujus delapſæ cuſpide in fronte vulneratum eſſe, quam læſionem tumor, ſeu excreſcentia quædam inſignis magnitudinis, & coloris à reliqua cute diverſi inſecuta ſit, cujus veſtigia dicta tubercula eſſe absque dubio eſt. Dura mater tabulæ cranii internæ valde adhæret, & in latere ſiniſtro ex illa quaſi enaſci videtur, excepta parte inferna, qua ad proceſſum, criſta galli dictum, via patet, ubi ab oſſe libera quam maxime eſt, cui interſtitio immittit linteola, uti & illi, quod

inter

inter cutim & tabulam externam occurrit, maxime in latere ſiniſtro. Sæpius allegata craſſa meninx motu quodam proprio & activo gaudere vix conſpiciebatur, ſed ſolum communi, nempe dilatabatur à cerebro, & hoc à ſanguine illud irruente, unde etiam ejus diaſtole cum pulſu arteriarum ſynchrònica erat. Movebatur pariter ab expiratione fortiori v. gr. tusſi, à qua multum extra hiatum protuberare videbatur. Collabente cerebro, & hæc ſubſidebat. Ipſa illa membrana non occalluit, ſed non niſi aliquatenus ſicca eſt, & coloris naturalis; ſi digito illa pariter ac cranii tabula interna vel leviter tangitur, æger uti plus una vice nobis retulit, notabilem ſonum & quaſi ſtrepitum exaudit. Vulnus alio apparatu non obtegit, quam ſplenio triplicato, ſuperimpoſita mitella ſeu peplo è corio facto. Cæterum præter ſenectutis incommoda de aliqua, non vero magna capitis debilitate conqueritur, & auditus difficultate nonnihil laborat: quod ſi curru vehitur, cumprimis per loca ſalebroſa multum inde afficitur; ſentit etiam ab aëris mutationibus externis aliquid moleſtiæ; tempore hyemali æſtivoque melius ſe habet, quam vel verno, vel autumnali. Poſt cibum, utut paucum aſſumptum, à ſomno temperare ſibi non poteſt, à vino pejus habet, ut & ſi quando pulvinis plumeis incumbit. Ab eo tempore, quo infauſtus hic caſus ipſi accidit, expertus eſt copioſum materiæ purulentæ effluxum, & frequentes inſignesque hæmorrhagias, ita ut à tuſſi non raro ſanguis è ſede vulneris inferna cum impetu ſurſum propelleretur, quæ non niſi aliquot abhinc menſibus ceſſarunt. Nunquam vero vel ſanguis, vel purulenta materia è naribus profluebat, unde conjicere licet, laminam internam ſinuum frontalium nihil damni paſſam eſſe, neque cavitatem, quam inter duram matrem, & cranium illius loci exiſtere ſupra notavimus, dictum in ſinum hiare. Duxit interea uxorem, & ſex liberorum parens factus eſt, trium filiorum, & filiarum totidem, inter quos nullus (quod mirandum) ne minimam quidem labem contraxit à patris deformitate. Bis à febre,

bre, qua correptus interea fuit, acuta altera, altera petechiali ſalvus evaſit & incolumis, & quod miraculo proximum eſt, per quadraginta fere jam annos cum inſigni hac deperditione ſubſtantiæ cranii ſatis bene vivit, & ante aliquot menſes, pedeſtri itinere octo circiter milliarium Germanicorum facto, huc venit, & à multis Medicinæ Doctoribus, & Studioſis non ſine magna admiratione viſus eſt.

Vid. Tab. VIII.

Explicatio Figuræ.

AAA. Cutis calvariam inveſtiens.

BBB. Ejus circumferentia & oræ, quouſque illa ablata fuit.

C. Portio tabulæ cranii externæ, quæ dextro in latere prominet.

DDD. Tabula cranii interna, vitrea alias dicta; hic valde inæqualis, cujus fragmenta intercedente ſubſtantia cartilaginea rurſus coaluerunt.

E. Dura mater, ſeu craſſa meninx à cranio hic prorſus denudata.

F. Pars ejus dextra lobum cerebri anteriorem, & dextrum inveſtiens.

G. Duplicatura craſſæ meningis falcem figura referens, cui ſinus longitudinalis ſuperior inſculptus eſt.

H. Cutis hoc in loco multum à cranio dehiſcens, cui interſtitio æque ac hiatui K. ſpleniola immittere æger ſolet.

II. Locus tabulæ cranii internæ, cui dura mater firmiter adhæret, & velut adnata eſſe videtur.

K. Hiatus inſignis inter cranium & duram matrem occurrens, è quo multum ſanguinis & puris effluebat, & per quem fere ad criſtam galli usque oculis aditus patet.

LL. Cutis in plura tubercula elevata, quæ tumoris à falce meſſoria producti reliquiæ eſſe videntur.

M. Portio tumoris multum prominens & circa naſi radicem tuberculum inſigne formans.

OBSER-

OBSERVATIO XV.
Dn. D. Joannis Caſpari Fehrii.
Colica aqua fontana curata.

CApitaneus quidam laboravit Colica atrociſſima, cum alvi obſtructione, vomitibus frequentibus, ſiti intenſa, & oris amarore, à clyſteribus alvus non aperiebatur, purgantia, laxantia, emollientia absque effectu revomebantur, opiata, terrea abſorbentia,antiſpasmodica dolores non levabant, quævis aſſumpta alimenta, potulenta, vinum, cereviſia, decocta, emulſiones, acidulæ, juſcula, quin omnia medicamenta, ſpirituoſa, oleoſa, dulcia, amara, acida, æſtum & ardorem excitabant, & brevi revomebantur; judicavi hæc omnia ab acrimonia bilis excesſiva oriri, unde ad diluenda ſalia bilioſa ſuaſi, ut potum largiorem aquæ fontanæ ſucceſſive ſumeret, à quo æger nullum ardorem, ſed ſitis & doloris aliqualem mitigationem ſenſit, ſubſequente alvi apertione, & excretione multorum bilioſorum & viridium humorum, hinc ſuaſi ut potum hunc, ægro admodum acceptum, aliquoties repeteret, hinc excretis copioſis humoribus bilioſis, brevi temporis ſpatio reſtitutus, & poſt paucos dies caſtra ſecutus eſt.

Sic Judæa quædam querebatur colicam & paſſionem hyſtericam cum ardore & æſtu circa præcordia, oris amarore, ſiti clamoſa, vomitu, alvo ſicca; quæcunque ore aſſumſit, ardorem & æſtum, hinc anxietates, dolores & vomitus excitabant, ſuaſi itidem ut aſſumeret potum largum aquæ fontanæ, unde dilutis ſalibus bilioſis alvus aperiebatur, multa bilioſa excernebantur & curatio abſorbentibus abſolvebatur.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. Joannis Caſpari Fehrii.

Partus curioſus.

UXor vinitoris cujusdam die ſolis peperit filium, ſecundinæ vero non ſequebantur, nihil profuerunt conatus parturientis, nihil ſternutationes, nihil pellentia aliàs probata; interim obſtetrix funiculum umbilicalem ſemori parturientis alligabat, die Lunæ & Martis omnia in eodem ſtatu permanebant, & puerpera ſibi bene habere videbatur, unde non ſolum curam negligebat, ſperans ſuo tempore ſponte ſecuturas ſecundinas, ſed etiam è lecto ſurgebat, culinam intrabat, pavimentum ſuperius aſcendebat, in cellam deſcendebat & labores domeſticos, (uti ejusmodi pauperes mulierculæ ſolent) per duos dies ſubibat, nihil mali inde ſentiens, circa veſperam vero diei Martis, redeuntibus doloribus peperit alterum filium quem ſecundinæ absque labore ſequebantur.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. Joannis Caſpari Fehrii.

Globulus plumbeus cum urina excretus.

SEnatoris hujus loci uxor corripiebatur doloribus nephriticis, cum ſtimulo frequente ad mingendum, ſuaſi ut urinam vitro urinario immediatè exciperet, quo certus fieri poſſim de calculo; fecit hoc aliquoties *in mea præſentia*, ſed urina erat clara, pauca, absque arena & calculo, tandem vero iterum poſcit vitrum, & dum urina in majori copia proveniebat, ægra exclamat: hem! jam prodit calculus qui magnus erit, ſenſi enim ejus egreſſum manifeſtisſime, & omnis dolor ſimul & ſemel evanuit; inſpiciebam urinam, ubi nec arenam nec calculum ſed ejus loco globulum plumbeum, quibus lepores transfodi

ſodi ſolent, inveniebam, quem ægra ante aliquot dies ex incuria deglutiiſſe affirmabat.

OBSERVATIO XVIII.
Dn. D. Joannis Caſpari Fehrii.
Hypochondriacus vino generoſo curatus.

LIteratus mane è lecto ſurgens ſentit lasſitudinem totius corporis, hinc circa regionem fundi ventriculi oriuntur pulſationes, venarum in pedibus, manibus & toto corpore tremores & convulſiones, circa præcordia anxietates, in capite vertigines, cum tanta animi timiditate ut ſe à quovis viro honeſto occultet, quin, quando aliquos de viro honeſto loqui audit, ſtatim dicti tumultus oriuntur, ſimul hypochondriacus eſt, & ante aliquot annos bulimia laboravit, quando cibum aſſumit melius habet, & dicta ſymptomata minuuntur; Uſus eſt per plures annos multorum expertisſimorum Medicorum conſiliis, ſed fruſtra, quæcunque enim medicamenta aſſumſit, aut nullum effectum ediderunt aut ſymptomata graviora reddiderunt, quod imprimis martialia, amara, tartarea fecerunt. Ex hoc vero ſolo hactenus per plures annos levamen ſenſit, ſi vinum generoſum mane largius bibit, à quo non inebriatur, ſed tantummodo à dictis ſymptomatibus præcavetur, à vino minus generoſo eundem effectum non ſentit.

OBSERVATIO XIX.
Dn. D. Viti Riedlini.
Acidulæ Egranæ egregias exſerentes vires.

MAtrona quædam perilluſtris, ſexagenaria, aliquot liberorum Mater, dum hos adhuc edidit, aliquando tumore mammæ in abſceſſum ſponte apertum, terminato, & poſtea,

 menſi-

menſibus conſueto tempore ceſſantibus, achores in capite, & poſt aures ulcuſcula ſuboriebantur; quæ munditiei ſtudioſa ipſa ægre admodum ferebat; licetque ego non niſi interna quædam medicamenta commendarim, ceteraque conducere hæc ſanitati, crebro inculcarim, non deſiit tamen, donec externa ab aliis communicata hæc ipſa ulcuſcula exſiccarunt: atat brevi poſt dolore capitis ſat acerbo corripiebatur, remediis non niſi difficulter admodum cedente, præſertim cum nauſeam ab his multam præ ſe ferret, & quævis niſi illico juvarent, brevi ſeponeret, aliorumque tantum non quorumvis commendata aliquandiu in uſum duceret; hocq; occultare plerunque ſtuderet; unde, quam difficilis ejusdem reddatur cura, facile judicari poteſt. Licet ergo ante annum fere, acidulis Uberkingenſibus, calefactis quidem (ſicut multi illas hodie commendant, non ſemper tamen è re eſſe, & ex hac obſervatione patebit) præſervationis cauſa fuerit uſa, impedire tamen minus potuit; quin acerbisſimus capitis dolor rediret; cui quidem varia medicamenta tam interna quam externa oppoſuit, nullum tamen tam diu, ac quidem opus fuiſſet, continuavit. Sic inter cætera eſſentiam illam dulcem Hallenſium ſumme appetiit, magnamque in ejusdem uſum ſpem poſuit, hincque per triduum diligentisſime illam in uſum duxit, at levamentum non percipiens ſtomachabunda in ſumtus, qui erogandi erant, illam ſepoſuit: Magneſiam, quæ alvum ſemper pluries movebat, quia hac obſtructa quævis mala augebantur, diutius continuavit, ſed quia plurimas moverat ſedes, has numerans, hincque viribus non poſſe non inſidiari perſuaſa, & hanc etiam dimiſit. Martiatorum infeſtisſima hoſtis, ſi vel quosvis hæc improbantium libros perlegiſſet, magis contra illa proteſtari non potuiſſet: Licet cum malum caput paulatim relinquens, ad inferiora vergeret, iisdem opus vel maxime habuiſſet: nunc enim non ſolum ventriculus dolebat, ſed & quævis ingeſta rejiciebat; dolebat quoque dextrum hypochondrium, & durum ſubtus erat, hincque venter intumeſcebat;

bat; nec quicquam hinc inde conquiſitis remediis proficiebatur, ex quibus quædam mihi interdum advocato indicabantur, quædam reticebantur, prout commodum eidem videbatur: durities vero in dextro hypochondrio eam permovit ut aliquando, tactu hanc explorarem, me rogarit; nec ſane tangi non potuerat, & hinc indurati hepatis ſuſpicionem mihi injiciebat, parvamque convaleſcentiæ ſpem relinquebat, martiatis medicamentis mihi è manu plane excusſis: ubi inprimis etiam notandum; quod quando vel vomitus nimii, vel & dolores me permoverunt, ut ſymptomatibas his dicara remedia oppoſuerim, hæc ſopita quidem fuetint, at ſemper cum fœnore redierint; tandem quibusvis circumſtantiis rite perpenſis, judicans, & aliquoties indicans, niſi aquæ minerales, & inter has Egranæ auxilium afferant, non ſupereſſe mihi quidem notum remedium, quod illam posſit juvare, ut in has conſenſerit, Illam permovi; & cum petendæ aliunde eſſent, ſummo deſiderio ab ipſa expectabantur; ſic ſtatim ad illarum potum ſe compoſuit, & primo quidem, poſtmodumque bis terve adhuc me præſente eas bibit, impoſita lagena vaſi aqua fervente repleto, & primo quidem ultra dimidiam menſuram, nec nimium feſtinans, ſed paulatim, & poſt motum ſingulis vitris epotis ſuccedentem: ſicque illo ſtatim die ſe habuit, ut profuiſſe crediderit: licet ſolicitam eandem reddiderit, quod tantum, quantum biberat, non ſeceſſerit, quod tamen in principio vix neceſſe erat, repetiit hinc alacrius ſequenti die hunc potum, jam quidem minus calefactum, & eodem quo prius modo, nec minori emolumento; ſemper hinc & doſin augens, & tandem frigidas quoque aquas bibens, quotidie ſcilicet magis easdem prodeſſe perſenſit; primis diebus quidem pedum tumore ſuperveniente non parum fuit perterrita, qui vero, ſicut prædtxeram, ſponte denuo disſipabatur. Inde tanta alacritate, tamque ſedulo per integras tres hebdomadas non ſolum mane, ſed & veſperi plures lagenarum exhauſit, tanto cum fructu, ut non ſolum per alvum ſed & per

 urinam

urinam, quicquid hactenus varia deſcripta mala & produxerat, & foverat, ſic ſubduxerint, ut has aquas ſat laudibus extollere non potuerit; quin cum malum ſepoſitis illis reditum minaretur, ſponte fere ad hunc ſibi tam ſalubrem potum rediit, & pluſculas lagenas eo repletas comparavit, quas, ſi forſan rediret malum, bibere poſſet: interea vero, deficientibus aliquando acidulis Egranis, & noſtræ Uberkingenſes non parum eidem profuere, quin ſic mali reliquias ſubduxere, ut jam per aliquot hebdomadas, vix habeat, de quo queratur: Acidularum Egranarum præcipue uſum tam proficuum cum plures ſint experti, omnino tales producere obſervationes juvat, cum quovis tempore fuerint reperti, & hodienum reperiantur, qui nimis injurii in has & alias tales aquas ſalubres fuere: licet enim non deſint, qui exiguo cum fructu easdem biberunt, cauſæ tamen ſubſuere, quo minus prodeſſent aut debito modo non fuere in uſum ductæ, aut quæ alia accuſari potuere: Et quæ quæſo! medicamenta omnes & ſingulos juvant? juvat vero de omnibus & ſingulis ſic judicare, ut nullum eorum medentium manibus penitus excutiatur.

OBSERVATIO XX.

Dn. D. Viti Riedlini.

Abdominis percuſſio mortem ſubitaneam inferens.

MEnſe Septembris Anni M DCC XIX. exeunte, in pago quodam territorii Ulmenſis, inter duorum puerorum rixas, alter octennis ſeptennem, baculo ſat magno (an jactu factum, an vero manibus elapſus fuerit baculus uti quidem reus affirmavit, dubium) in abdomine ſic percutit, ut is, prolatis prius verbis germanis: **wart / ich wills meinen Etta ſagen/** *expecta, Patri meo referam*, & expirare ulterius nequiens aëre vehementius attracto, quod noſtrates **ragen** nominant, illico mor-

motuus in terram ſuerit prolapſus: quemadmodum vero abdomen fuiſſe percuſſum, qua parte quidem nemlne referente, nullum dubium erat, ita in hoc nec minimum quidem læſionis ſignum, ſe exſerebat, quin & ſublatis integumentis communibus, nec in his, nec in viſceribus ſub iis latitantibus vel minima læſionis nota comparebat; niſi quod ventriculum & inteſtina admodum fuiſſe inflata per Phyſicum cui munus inquiſitionis fuerat demandatum, relatum fuerit: Is itaq; in caput inprimis inquiſivit, cumque, dum Cranium à cerebro ſeparabatur, in regione ſinus ſagittalis, quædam ſanguinis copia ſponte emanaret, vaſaque ſanguiveha repleta & turgida conſpicerentur, apoplexia puerum fuiſſe mortuum, ſuſpicabatur: re per Ampliſſimum Senatum ad Collegium Medicum delata, hoc reſpondit: Ab apoplexia vix quidem derivari hanc mortem poſſe, cum in ea ſanguinem non tam in vaſis adhuc contentum, quam in partes interiores cerebri profuſum eſſe accuſandum, præter alios inprimis ſuo tempore Ill. Medicus Wepferus, in peculiari de hoc morbo ſcripto & ſuper obſervationibus anatomicis fundato tractatu demonſtret; ad hæc, à tali & tam forti apoplexia inprimis & vocem ſic intercipi, ut talis apoplecticus vix ac ne vix quidem verbum proferre poſſit: ſanguinem vero profluentem ſectioni tribuimus: merito autem multum inflata inteſtina & ventriculus nobis ſuſpicionem injecerunt, diaphragma ſic fuiſſe læſum ut alicubi hiarit, ſicque aër inſpiratione attractus has partes diſtenderit, reſpirationeq; inhibita puer fuerit ſuffocatus: cum & teſtem inſignem Medicum Bohnium adducere potuerimus; qui binas tam citæ mortis à diaphragmate læſo affert hiſtorias; utut modus difficillimus nobis videretur, cum de diaphragmatis conſtitutione & de partibus in pectore contentis in relatione nobis exhibita nec minimum quidem proſtaret: Ut itaque magis dilucidaret Medicus relationem ſuam, juſſus fuit: Uti vero is neque nunc de diaphragmate ea retulit, quæ accuratius in hoc inquiſitum fuiſſe, detexiſſent, nec thoracis vel minimum meminit, ſed ſolum

lum, ut apoplexiam defenderet, ſolicitus fuit, pro hac tamen magis ſtringentia argumenta, quam quæ in prima relatione allata fuerant, non attulit, & ideo ut ſententiam mutaremus, non habuimus opus: licet enim, quomodo hiare potuerit diaphragma in ventriculum, difficile ſit explicatu, in tam tenello tamen corpuſculo vi contingere potuiſſe, cujus ratio tam exacta dari non poſſit; minimum autem ſpasmum, cujus Bohnius meminit, in eo concitari potuiſſe, non dubitaſſemus, quomodo tamen flatibus hinc ventriculus cum inteſtinis repleri potuerit, non conſtat: omnino autem accuratior indagatio plura edocuiſſet: ad quam uti hac obſervatione merito omnes omnino Medici, quorum intereſt, inſtigantur; ita vix ullus in cerebro potius quam abdomine talis ſubitaneæ mortis cauſam quæret: cum inprimis ſic reus adultus capite plectendus eſſet; uti hic quidem ob ætatem ſumme puerilem, non tam huic pœnæ, quam ut virgis cederetur, adjudicatus fuit.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. Viti Riedlini.

Martis uſus vindicatus.

TExtor quidam quadragenario major, melancholici temperamenti, cetera tamen opificium ſuum ſtrenue exercens, nec diætæ erroribus aſſuetus; cum præterita æſtate ſub ſirio ardente quodam die longius exſpatiatus fuiſſet, & domum rediens plus ſolito cereviſiæ fuſcæ & frigidæ bibiſſet, ex illo tempore non adeo bene ſe habere cœpit; edit quidem adhuc & bibit, at ſine appetitu, labores aggreſſus eſt, at cum faſtidio, nec adeo diu iiſdem vacare potuit, hinc inde quidem inceſſit, ſed lubentius decubuit: Conſuluit vero in hiſce malis, inſigni ſuo infortunio, balneatores; & tandem famoſum quendam agyrtam, qui debito ipſi fuerat obſtrictus, ut ſic obtineret, quod is debuit; licet vero hic per integrum menſem

varia

varia ſuppeditarit medicamenta, ſpe tamen vaniſſima ſe fuiſſe lactatum vel inde notavit ægrotus, quia malum quotidie increvit, viresque magis magisque decrevere : ſuaſu amicorum ergo tandem meum conſilium ſolicite rogavit: & cum ſanguinis præcipue motum in eo impeditum deprehenderem, dum pulſus non ſolum parvus, ſed & rarior extiterat, ipſemet etiam tum de ſola laſſitudine, & quadam ſomnolentia querebatur, ut illum reſtituerem ⊖ volatile oleos. Sylv. ad guttas xx. mane, pulverem ex ſpecifico Cephal. & Lim. ♂ præcipue conſtantem veſperi, & Hbb. inſtar Thee poſt hæc ipſa medicamenta, in uſum trahendas ordinavi: & ecce! cum vix per quatuordecim dies hæc ſedulo in uſum duxiſſet, tam bene ſe habere cœpit, ut fere me dimiſiſſet: at induciis minime fidendum judicans, continuare medicamenta juſſi, & poſt octiduum ad illum rediens, magis quam prius unquam & inprimis quidem querentem inveni de uxore, quæ quoddam levamen tum notans, non ſolum illum ad labores conſuetos adegit, ſed nullam plane ulterius curam ejusdem geſſit, nec congruos cibos nec medicamenta eidem exhibendo, quin & maritum multis peſſimis verbis ad iram permovendo: cum vero malum nunc tam facile corrigi non poſſet, quin peſſima mulier rixari pergeret, dolores colici, de quibus acerbiſſimis nunc præcipue querebatur, & nunc demum, ſe & olim ſæpiuscule iisdem fuiſſe obnoxium, referebat, ſupervenere; hosq; fovente alvi obſtructione, ii ſic increvere, ut fere de eodem reſtituendo deſperaſſem; cum præcipue alvus non niſi clyſteribus aliquoties iteratis reſponderet; nec remedia alia, ſepoſito nunc Marte, eſſentia ſcilicet Trif. fibrin. & mixtura ex oc. ♋ præp. Cinnab. & Nitro præcipue conſtans cum Aq. & Sir. congruis in hanc formam redacta, multum prodeſſent: Verum cum ſerio admonita uxor debitam jam ejus curam gereret; & ego inprimis nunc iterum in marte præſertim auxilium quærerem, & pulverem ex Anal. fr. Mind. Lim. ♂ an. ℥iij. & Magneſ. ℥ij. conſtantem, ſepoſitis quibusvis aliis, poſt ſingula quadrihoria

cuſpidatim ut ſumeret, ſuaſiſſem, isque mandatis nunc ſedulo iterum pareret, brevi non ſolum quævis mala remiſerunt, verum &, Dei gratia, ſic convaluit, ut continuato per quatuor fere dies pulvere poſt ſingulas quatuor horas, hinc per plures dies poſt ſex horas, & tandem mane & veſperi: primo quidem labores ſuos iterum aggredi, & hinc publicum frequentare potuerit, ſoſtrumque ipſemet afferens gratum ſe præbuerit. Quæ quidem ſicut ea, quæ circa martem Centur VIII. harum obſervationum aſſerui confirmant; ſic, licet minime negem, martem interdum minus prodeſſe, (in quo vero medicamento ejuscemodi quid interdum non notatur?) eodem tamen medicus non carere poſſe, niſi eos, qui medicamentis majoribus præditis viribus ſunt inſtructi, tam frequentes obſervationes abunde teſtantur: modum itaque in eodem improbando & rejiciendo ſervare, omnino juvabit.

(*Ulma Auguſtam Vind. d. 9. Dec. A. 1719. miſſæ.*)

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. Jo. Georgii Liebknecht.

De quantitate motuum Præceſſionum æquinoctiorum in ſingulis planetis primariis.

CUm rationes motuum Nodorum ad motus Præceſſionis æquinoctiorum, quas alibi in ſolidiſſimis ſuis Philoſophiæ naturalis principiis Mathematicis Illuſtris NEWTON exponere voluit, non adeo certæ videantur, id quod pace tanti Viri dixerim; præſertim cum in Saturno & Jove phænomena adſint, quæ analogiam prædictarum rationum non ſervent: ideo mihi libere philoſophanti licebit ſequentia adnotare. Nam plana Orbium circumjovalium in eodem annuli Saturnini plano conſtituta deprehenduntur, ita & circumjoviales in eodem plano æquatoris Jovis verſari animadvertuntur. Et,

ſi vel

ſi vel maxime iſtos non ita verſari ſibi quis perſuadeat, adſunt tamen phænomena, quæ analogiam inter iſta corpora monſtrant, & quæ ſane cum analogia rationum Nodorum Lunæ à Celeberrimo Viro expoſitarum reconciliari vix poſſunt. Alias itaque easque multo clariores rationes præſto eſſe non tantummodo judicare liceat, ſed & invenire, quibus prædictæ analogiæ phænomenorum reliquorum ſatisfiat. Et hoc quidem ut eo clarius cognoſcatur, ſit ſequens Theorema: *Tempus periodicum cujusvis Planetæ primarii circa ſolem eſt ad tempus periodicum revolutionis axis primarii per antecedentia ſignorum circa orbis Polum in ratione compoſita, ex ratione triplicata diametri Solis ad axem transverſum Orbis primarii circa ſolem directe, & ex ratione duplicata temporis periodici converſionis ſolis circa ſuum axem ad tempus periodicum Primarii circa ſolem inverſe, & ex ratione ſubduplicata denſitatis ſolis ad denſitatem Primarii inverſe, & ex ratione ſubduplicata ſinus complementi inclinationis plani orbitæ Primarii in planum æquatoris ſolis ad ſinum totum directe, & ex ratione ſubduplicata ſinus complementi anguli inclinationis plani æquatoris Primarii in planum Orbis primarii circa ſolem directe.*

Quod theorema in ſe quidem longius, neceſſarium nexum habet, cujus etiam terminos maxime artificibus notos ut explicemus heic non neceſſarium duxi; quare ſolam nunc reſpicimus demonſtrationem ſequenti modo proponendam. Nimirum Diameter ſolis eſt ad axem transverſum orbis terræ circa ſolem ut 1 ad $215\frac{41066}{100000}$, hujus proportionis cubus juxta tenorem theorematis $= 9995430\frac{9}{10}$ minuatur per numerum $= 204\frac{23248}{100000}$ ceu rationem duplicatam temporis periodici converſionis ſolis circa proprium axem, ad tempus periodicum terræ circa ſolem, cujus ratio ſimplex eſt ut 1 ad $14\frac{291}{1000}$ & facta diviſione prodibit numerus $= 48941\frac{387}{1000}$ iterum minuendus per numerum $1\frac{9814751}{10000000}$ ceu rationem ſubduplicatam denſitatis ſolis ad denſitatem terræ, quæ eſt ut 1

 ad

ad $3\frac{9262421}{10000000}$ & facta hac diminutione prodibit numerus = $34699\frac{482}{1000}$; augendus nunc per proportionem = $1\frac{0441757}{10000000}$ cujus quadratum = $1\frac{090303}{1000000}$ denotat proportionem ſinus complementi obliquitatis Eclipticæ = 23. grad. 29. ad ſinum totum; & facta multiplicatione evadet numerus = 25796, iterum augendus per numerum = $1\frac{0047052}{10000000}$ cujus quadratum = $1\frac{0086288}{10000000}$ deſignat proportionem ſinus complementi Plani orbis terræ ad planum æquatoris ſolis anguli inclinationis = 7. grad. 30^{I}; & facta hac auctione emergebit tandem numerus = 25901,$\frac{629}{1000}$ definiens quantitatem temporis periodici terræ circa ſolem ad tempus periodicum revolutionis præceſſionis æquinoctiorum: quare motus præceſſionis æquinoctiorum annuus eſt = $50^{II}.\ 2^{III}.\ 7^{IV}$. Q. E. D.

Quodſi nunc alibi à nobis motus Aphelii terræ ſub ſtellis fixis eſt definitus = $11^{II}.\ 46^{III}.\ 12^{IV}$. in anno ſidereo; idem motus Aphelii terræ adjectis illis $50^{II}.\ 2^{III}.\ 7^{IV}$. evadet = $1^{I}.\ 1^{II}.\ 48^{III}.\ 19^{IV}$. ab æquinoctio ſpatio anni unius ſiderii. Quemadmodum vero non incogruum eſt ex Analogia in tam arduis Aſtronomiæ doctrinis veritatem deducere: ita nunc quod reliquos attinet Planetas primarios eorum præceſſionis æquinoctiorum motus ex iſtac analogia motus præceſſionis æquinoctiorum terræ pari ratione definiri poſſet, dummodo conſtaret, quanta ſit inclinatio Plani æquatoris cujusvis ad planum orbis ejusdem Primarii. His vero ignotis non licebit motus præceſſionis æquinoctiorum in ſingulis Planetis primariis definire. Fluit inſuper ex hisce præmiſſis ſequens corollarium: ſi plana æquatorum primariorum à plana orbium eorum in planum æquatoris ſolis conſimili angulo æquali inclinarentur; erunt motus præceſſionum æquinoctiorum in ſingulis Planetis proportionales quadratis axium transverſorum orbium inverſe; h. e.

h. e. tempora periodica revolutionum præceſſionum æquinoctiorum in ſingulis Primariis erunt inter ſe in duplicata ratione axium transverſorum orbium eorum circa ſolem directe. Sufficiant hæc inpræſentiarum, quibus tamen alia occaſione & loco tempus periodicum reſtitutionis Nodorum ſub Aphelio adnectere libet.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. Joannis Chriſtophori Hertii.

De Molis poſt partum perfectum & legitimum excluſis.

ILluſtrisſima Domina 33. circiter annorum, temperamenti ſanguinei & floridi corporis habitus, ſeptem infantium mater (inter quos filia natu quarta non vivit ſolum ſed ſatis quoque vegeta eſt) die 19. Novembris anni proxime elapſi puellam enitebatur, ipſe verò partus ſtipabatur imò veluti abſolvebatur atrocisſimorum ſpaſticorum motuum in hypochondriis apparatu, quibus levia quoque deliria jungebantur. Etenim cum ſecundinarum excretio juſto ſuccederet difficilius, ut etiam adhibita quadam vi evellere eas cogeretur obſtetrix, comitabatur etiam, imo excipiebat eum fluxus lochiorum tantò immoderatior, cum dolore continuò preſſorio, vires Illuſtrisſimæ Patientis non parum labefactans. Tertio poſt partum die ſpaſtici illi ac dolorifici motus, qui excluſis interea ſecundinis, à ferocia ſua, nonnihil remiſerant, denuò recrudeſcebant, quos ipſos ſtupenda mox ſequebatur hæmorrhagia, ſub qua demum & ſupervenientibus anxietatibus præcordiorum, refrigeratione totius corporis, animi deliquio, tres molæ edebantur. Quo facto Illuſtrisſima Domina Patiens paulatim ad ſe rediit & omnia aliquanto pacatiora fieri cœperunt, donec abhinc tertio die ſpaſticis torminoſisque pathematibus de novo ingruentibus atque cum enormi hæmorrhagia invaleſcen-

leſcentibus, quarta mola, hepatis vitulini parenchyma ſubſtantia ſua referens ejiceretur. Atque hæc deinceps ſcena eodem modo aliquoties ludebatur, ut videlicet natura poſt eliminationem unius alteriusque polypoſi concrementi ferians, collectis paulisper viribus, contra inteſtinum domeſticumque hoſtem, intenſisſimorum ſpaſticorum motuum inſultibus, impetuoſum ſanguinis profluvium, cum maxima virium proſtratione, præcordiorum anguſtia, emortuali totius corporis refrigeratione & pallore poſt ſe trahentium, inſurgeret, usque dum inſignis tandem truncus membranaceo - fibroſus, tres alias ejus generis moleculas incluſas habens, qui ſolus tetrum admodum ſpirabat odorem, elideretur. Quo ipſo huic tragœdiæ finis imponebatur & convenientium poſtea remediorum atque hæc inter pilularum balſamicarum Stahlianarum uſu recte expurgato utero ſenſim ſenſimque vires recuperavit Illuſtrisſima puerpera & cum priſtina ſanitate in gratiam rediit. Sicuti autem, in ipſo paraxyſmo nihil utique eorum omittebatur medicamentorum quibus ad præcavendam partis affectæ inflammationem hincque metuendam illius corruptionem ſphaceloſam, verior omninò virtus tribui poterat; ita notatu profecto dignisſimum eſt, Tincturam quandam ſolis, auro certe vix redimendam, quam Eminentisſimus Elector Moguntinus posſidet, dejectas prorſus Illuſtrisſimæ Patientis vires promtisſime ſemper reſtauraſſe eamque fere ſemimortuam non ſemel veluti reſuſcitaſſe, qualem quidem hujus remedii effectum merito adſiſtentes eò magis mirati ſunt; quo conſtantius eum præſtare obſervarunt, toties ſcilicet, quoties adhibere illud necesſitas jusſit. Ad eundem autem ſcopum, licet tantopere decantatata totq; elogiis & vix non miraculoſarum virtutum titulis commendata Eſſentia ☉ dulcis Hallenſis Illuſtrisſimæ Domi-Patienti ſecundum præſcriptam quoque methodum non ſemel propinata fuerit, tantum tamen abeſt, magnificarum ipſam promisſionum ſpem ſuſtinuiſſe, ut eandem potius prorſus eluſerit

ſerit & ne quicquam auxilii vel levaminis ſaltim ſenſibilioris attulerit.

SCHOLIUM.

QUæ fuerint jam tum ab *Hippocratis* temporibus circa Molarum generationem, cum qua efficientem, tum qua materialem earundem cauſam, opinionum divortia, ut in variis Medicorum ſcriptis videre eſt; ita ex operoſo maximè *Lamswerdii de Molarum Hiſtoria* tractatu elucere poteſt. Equidem *Hippocrates* ſeminis paucitatem à multis menſibus complexam accuſat, quatenus hac ratione, veluti obrutum ſanguinis copia paucum morboſumque ſemen impediatur, quo minus partium adumbrationem aggredi, aut jam inchoatam perficere determinate poſſit. Recentiorum alii auræ ſeminalis tanquam principii vitalis latitantia in ovulo futuri fœtus ſtamina vivificantis evolventisque modo defectnm, modo inertiam allegant: alii vero ipſi animæ ceu naturæ ſuum ſibi domicilium ſtruentis in energia ſua, flammæ vitalis, ſeminalis, tanquam proximi ipſius inſtrumenti defectu, aut alio quocunque vitio impeditæ culpam tribuunt: dum interea Lamswerdius prolixus eſt, ut oſtendat, qua ratione particularum ſeminalium amiſſus vigor, prava ſituatio externaque compreſſio pro cauſa proxima haberi mereantur. Alii denique aliter hac de re ſentiunt, ſæpius tamen verbis magis quam re diſcrepantes. At vero omnium recenſere velle ſententias, longum nimis atque ſupervacaneum foret. Paucis itaque, quid in re ardua atque abſtruſa nobis veritati conſonum videatur, aperiemus. Sicuti autem longe ſimpliciorem ſic dictarum molarum, quatenus videlicet conceptibus verius monſtroſis contradiſtingui merentur, eſſe geneſin exiſtimamus; ita ſi omnes omnino circumſtantias, quas earum nobis hiſtoria ſubminiſtrat, diligentius conferamus & paulo penſitemus penitius, apparebit, utplurimum non niſi pro ſecundinis aut potius præcipuè placentis uterinis earumque laciniis in utero ſive poſt abortum, quod quidem

quidem accidit frequentius, ſive poſt legitimum quoque partum, relictis, habendas eſſe. Enim vero illud utique certum eſt, fœminas non modo, quæ abortum vel ſemel vel aliquoties perpeſſæ ſunt, ſed etiam in quibus poſt legitimum partum ſecundinæ difficilius excernuntur, omnium maximè molas generare aut iis infeſtari ſolere, ubi quidem, ut priori caſu probabile admodum eſt, placentam & tenerioris quidem maximè abottus eò facilius retineri poſſe, quo firmius hoc tempore utero adhæret; ita etiam quomodo in difficiliori ſecnndinarum excluſione pars quoque ejus utero adhuc affixa relinqui poſſit conceptu minus difficile erit; cui accedit, quod ita dictæ molæ, quoad texturam ſuam membranaceo-fibroſam cum ſecundinis utique maximam ſimilitudinem habere obſerventur; quid? quod cui volupe fuerit varias variorum Medicorum obſervationes perluſtrare, non pauca forte deprehendet, quibus hoc de molarum generatione aſſertum confirmari poſsit. Notatu enim certe non indignum erit, quod inter alia de *Mola poſt fœtum perfectum rejecta Petrus Foreſtus Libr.* 28. *Obſerv. 63. p. m.* 729 refert, eam quaſi ſecundina inveſtitam fuiſſe, parte ſuperiore magis nervoſa inſtar ſecundinæ propendente ita quidem ut adſtantes etiam pro ſecundina habuerint, & obſtetricem quod hanc reliquerit, inculpaverint; ubi quidem circa hanc obſervationem illa circumſtantia non prætereunda erit, cujus à *Foreſto* quoque mentio facta, quod ipſe ſcilicet hanc fœminam in partu proxime præcedente à ſecundina relicta liberaverit. His præter alias jungi poſſunt, quas *Schenckius* collegit, obſervationes, ſiquidem *polypus ille monſtroſus*, cujus hiſtoriam *Libr.* 4. *Obſerv. Medic. p.* 677. recenſet, ſeptimo ſcilicet menſe à nobili Veneta excluſus, quem *molam prægnantem vocavit Thomas Bartholinus* M. N. C. A. I. Obſ. 36 *fœtum integrum includens maſculinum*, non niſi pro ſecundinis morboſis cenſeri debet: ita procul dubio ex illa quoque hiſtoria de *Mola utero adnata*, quæ eodem Libr. p. 680. proſtat elucere poteſt, quantum impeditior molarum

excre-

excretio ad molarum generationem conferre poſſit. Nec aliter ſentiendum erit de illa mola cujus figuram *Guil. Fabricius Hildanus Cent. 2. Obſerv. 52. p. m. 123.* exhibet, de qua ſcribit parte ſui ſpongioſa dextro uteri lateri non ſecus ac ſecundinam adhæſiſſe, ubi certè improbabile non eſt, in partu proximè præcedente fortè laciniam quandam remanſiſſe, quæ tractu temporis tantum augmentum cœperit inque talem molam excreverit, cum vel quoad contextum etiam ſuum cum ſecundinarum textura magnam ſimilitudinem habuiſſe apparuerit. Quod ſi autem horum Auctorum obſervationibus, quibus tamen mens aliunde præoccupata fuit, hæc de molarum generatione ſententia quodam̃odo comprobari poteſt, tanto minus procul dubio iis fides deneganda erit, qui obſervationibus accuratioribus edocti nec paucis rationibus ſuffulti idem apertius ſtatuere non dubitarunt. Neque enim *Kerckringius* ſolum in *Spicilegio Anatomico Obſerv. 38.* profeſſus eſt, molam nihil aliud eſſe, quam placentæ materiam in utero relictam, poſtquam tenellum fœtus rudementum inſcia matre exciderit; ſed ea inprimis, quæ *Ruyſchius* in praxi annotavit & *Obſervationibus* ſuis *Anatomico-Chirurgicis* inſeruit, pondus huic aſſerto addent. Hic verò licet obſtetricum maximè relationibus innixus *Obſerv. 28.* retentas teneriorum fœtuum placentas perperam pro veris molis haberi ab aliis & pſeudo-molas potius dicendas eſſe exiſtimet, adeoque communi forſan opinione adhuc præoccupatus utique aliud quid agnoviſſe videatur, quod verarum molarum nomen mereatur; *Obſerv. 58.* tamen, ubi de *Molarum Origine & Natura* agit, liberius ediſſerit, molas ita decantatas nihil aliud eſſe, quam carnoſas uteri excreſcentias aut placentulas retentas & ab utero compreſſas, neutiquam verò è mala conceptione ortum ducere, quas quidem placentulas earumque diverſas lacinias, quod ab uteri compreſſione varias induant figuras, credulis & nugacibus fœminis anſam præbuiſſe, ut de molis volantibus & viventibus ſexui ſuo tantopere extimeſcendis adeo multa ſomniaverint.

Qua de re inter alios vel ideo etiam ***Joh. Bapt. Verduc Oper. Chirurg. Tom. III. p.*** 313. legi poterit, quod Ruyſchianam ſententiam de ortu molarum non parum illuſtrare videtur. Cæterum ex Obſervationibus Ruyſchianis illud hoc loco memori mente tenendum, quod placenta uterina omnino quandoque citra vitæ diſpendium per longum tempus in utero remanere posſit, ſæpius autem admirandam mutationem & metamorphoſin ſubeat: & prius quidem de teneriorum fœtuum placentulis valet, quum perfectiorum fœtuum placentarum remanſio majori periculo conjuncta ſit & eodem monente *Ruyſchio*, in hydatides etiam nonnunquam prorſus degenerent. Ex his colligi poſſe arbitror, placentas uterinas ejusque reliquias, ſi non ſemper, utplurimum tamen concrementis illis informibus & irregularibus, quæ ſub molarum nomine ejici ſolent, materiam præbere, vitali autem progresſivo ſanguinis motui incrementum ſuum atque augmentum debere, quoad ſcilicet utero firmiter connexæ, ejus commercio fruuntur & ſucco alibili cum ſanguine per arterias ipſum perreptantes advecto ſuſtentantur, donec quibuscunque accedentibus cauſis ad ſecesſionem ab eo urgeantur, adeoque ſui aut excluſionem aut moliantur aut potius expoſcant. Cæterum hisce fortè addi meretur, quod Ruyſchius eodem loco *Obſerv.* 29. *de Cruore coagulato molam mentiente* commemorat, quando terreſtriorem ejus gelatinoſioremque partem adeo ſæpius concreſcere atque ab utero comprimi obſervavit, ut obſtetricum aliæ pro placentulis, aliæ vero pro molis ipſi obtulerint, quæ quidem ſanguinis coagula, quum certis quibusdam ſignis, quod idem docet *Ruyſchius*, à placentulis, de quibus nobis ſermo fuit, probe diſtingui queant, ſi quis pſeudomolas ad differentiam illarum, quæ placentis earumque reliquiis origenem debent, vocare voluerit, per nos licet.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. Joannis Chriſtophori Hertii.

De Concipiendi energia in vetula cum fluxu menſtruo velut reaſſumta.

QUemadmodum nemo facile in dubium vocaverit Divinum Numen varios actus in microcoſmo cum pro individui conſervatione in ſtatu non minus naturali, quam præternaturali, tum pro ipſius ſpeciei propagatione perpetuari ſolitos certis temporis legibus velut alligaſſe: ita, qui ad id, quod in hoc negotio circumſpectior experientia docet, animum advertere voluerint diligentius, inficias ire non poterunt, plures hujusmodi actuum non certis ſolum temporis periodis inchoari, continuari atque abſolvi, ſed ſpeciatim ſeptenario illius numero adſtringi. Ut de aliis non dicamus, quod quidem ſpeciei propagationem attinet, neminem latet, ſequiorem ſexum altero annorum ſeptenario utplurimum menſtruam ſanguinis excretionem primum experiri, eo ſcilicet tempore, quo ad concipiendum vel habilis factus jam eſt, vel cum ipſa illa excretione fieri ſolet. Deſinit autem eadem menſtrua ſanguinis exoneratio plerumque circa ſeptimi annorum ſeptenarii finem & perit ſimul cum ipſa concipiendi quoque energia. Interea tamen hic ordo adeo conſtans utique non eſt, quin quandoque vel citius ſe exerat hic fluxus vel diutius quoque ultra conſuetum tempus imo forte vix rarisſime in perpetuum emaneat, quid? quod accidere etiam obſervamus, ut, quæ hactenus per plurium quoque annorum decurſum per ætatem naturali ordine ceſſaverat menſtrua ſanguinis excretio, poſtmodum cum ipſa habilitate concipiendi redeat. Id quod inter alias ſequenti hiſtoria comprobari poterit. Fœmina Annæ Eliſabethæ Ruſſut nomine è Comitatu Lippiaco oriunda, annum 65. agens anno 1713. ſex ante Feſtum Paſchatis ſeptimanis, præſentibus aliis aliquot mulierculis, fœtum parvum &

ſpithamam circiter longum, ſuis tamen membris (niſi quod cujus ſexus fuerit, obſervatum minus fuerit) capite ſcilicet cum reliquo trunco & extremitatibus probe diſtinguendum in lucem edidit; quem die Jovis poſt dictum Feſtum alter quoq; ſecutus eſt, qui vero ſecus ac præcedens putrefacti ſolum carnis fruſti ſpeciem præ ſe tulit, ita quidem, ut præter ſpinam dorſi nihil in eo in conſpectum prodierit quod exacte atque diſtincte dignoſci potuerit. Ad ſecunda autem vota & ante plures quidem annos tranſierat illa mulier, cum hæc acciderunt, poſtquam in primo matrimonio tres filios totque filias genuerat & poſtmodum marito defuncto biennium in viduatu transegerat. In ultimo autem conjugio 18. fere annos ſterilis vixerat, donec circa Feſtum Michaëlis poſt ſubortum de novo menſtruum ſanguinis fluxum prægnantem ſe ſenſit, qui cum Feſto Epiphaniæ appropinquante denuo eruperit & jugiter poſtea continuaverit, peperit tandem dicto tempore primum & poſt ſex ſeptimanas alterum quoque fœtum. Ubi quidem notatu non indignum exiſtimamus, quam ipſa puerpera de ſua concipiendi energia fovit, ſententiam. Interrogata enim à Præfecto illius loci, quomodo fieri potuerit ut ſexagenaria major, ad concipiendum tamen non inepta fuerit, id ei reſponſi dederat, **A Herr Ambtmann/ ſo lange de Bohm blöhet/ kan he ock Fruchte dragen.** Non floruit autem diu poſt immaturos illos fructus annoſa hæcce arbor, eodem quippe anno d. 6. Decembr. corruit vitamq; cum morte commutavit.

(*Moguntia Auguſtam Vind. d.* 10. *Febr. A.* 1720. *miſſa.*)

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

De nimia pinguedine &c.

VIr ſexagenarius, robuſtus & vegetus, à longo jam tempore con-

conquerebatur de dolore tenſivo, comprimente & conſtringente, à nucha & ſcapulis ad pectus usque ſe dilatante, cingulique inſtar thoracem contrahente, citra vero diſpendium ullum virium, dum muniis ſuis obeundis aptus ſemper exiſtebat, athletice vivebat, ſæpius autem vago appetitui tam ratione cibi quam potus indulgebat, à quo tamen utplurimum male ſe habebat. Multis fruſtra adhibitis medicamentis, ut vocant, domeſticis, Medicus tandem advocabatur, qui hiſtoriam morbi percipiens, vitæque genus examinans, rheuma & ſtagnationem humorum à ſeri viſciditate exortam eſſe argumentabatur, affectuique multum contribuiſſe judicabat vitam ſedentariam, ſtrenuamque laborum asſiduitatem, cum continua pectoris inclinatione, æris enim ſculptor erat non infimæ notæ. Erat etiam qui organicum aliquod vitium internum ſubeſſe, atque aneuriſmatis in arteria aorta ſuſpicionem alebat, conſiderans, quod, cum Anno 1703. hoſtilibus Bavarorum & Gallorum copiis urbem obſidentibus, ipſe tormentarii civici munus obiens, tormentum bellicum majusculum in propugnaculo à ſtatione ſua protrudere magna vi anniſus, mox dolorem illum dorſi primo ſenſerit, & tantum non animi deliquium inciderit. Ordinabantur medicamenta indicationibus convenientia, incidentia ſcilicet, reſolventia, antiſpasmodica, interpoſitis neceſſariis catharticis, imo, cum plethoricus eſſet, venæſectio non erat neglecta, injuncta ſimul diæta ſtrictiore & corporis exercitio. Hac methodo per aliquam temporis interſpedinem continuata, & variata pro rerum circumſtantia, & nauſea medicamentorum evitanda, affectus quidem remiſit, nunquam tamen plenarie intermiſit: externa topica & fonticulus revulſionis ergo inuſtus, nullum levamen attulerunt; aciculas vero ob diſpendium temporis, quod fruſtra in earum uſu accuſavit, nunquam admittere voluit. Et quoniam malum, accedente ætate provectiore, indies adeo crevit, ut virum in publicum prodire ſæpius impediverit, alios Medicos conſulebat: qui morbi hiſtoriam, methodumque medendi perci-

pientes, in Ordinarii ſententiam abierunt, ſimiliaque medicamenta præſcripſerunt, pari tamen ſorte, affectus enim antiquum obtinuit, imo ſenſim ſenſimque periculoſior evaſit. Prognoſis itaque non alia quam funeſta eſſe potuit, Virum ſcilicet brevi tempore ſubitanea morte eſſe periturum, quod eventus etiam docuit, paucis enim abhinc ſeptimanis ſuffocatus animam Creatori reddidit.

Curationis difficultas, imo impoſſibilitas apparebit ex anatome illius cadaveris.

1. Inciſione enim cutis facta, ſtatim in conſpectum veniebat adipis quantitas inſignis.

2. Sterno remoto, pericardium præ nimia pinguedine viſui ſe ſubducebat.

3. Cor robuſtum excedens magnitudinem duorum pugnorum.

4. Ejus vaſa, arteriæ ſcilicet & venæ, capacitate inſigni prædita, inprimis autem vena cava, ubi cor ingrediebatur, præter naturam admodum extenſa.

5. Parvus polypus carnoſus in arteria aorta.

6. Pulmones prægrandes, totam pectoris cavitatem implentes, & aliquatenus inflammati, ubique coſtis ad vertebras usque tam firmiter adnati, ut vix avelli potuerint.

7. Abdomine aperto, omentum inſigni adipis quantitate refertum, ut & reliqua viſcera.

8. Ventriculus flaccidus, cæterum naturaliter conſtitutus, ut & hepar, lien & cætera interanea.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

De Phthiſi ex contagio.

VIrgo 21. annorum, optimi temperamenti, matrimonium iniit An. 1718. cum viro juvene 23. ann. ætatis, teneræ conſti-

conſtitutionis, qui ante annum & quod excedit, hæmaptyſi laboravit, à qua tamen convaluit, tusſi ſuperſtite manente. Ingravidata ab eo, de nullis incommodis conquerebatur gravidis interdum familiaribus, toto etiam geſtationis tempore bene valuit, legitimo tempore partum edidit, puerperiumq; optime transegit. Altero conjugii anno ſecunda vice uterum cum gereret, maritus hæmophyſeos paroxyſmo de novo corripiebatur, qui medicamentis quidem mox cedebat, aſt ſigna funeſta, phthiſeos ſcil. tertii ſtadii relinquebat. Et quamvis huic malo per longum tempus, ante invaſionem ultimi paroxyſmi, medela obviam iretur, ſemper tamen in deterius vergebat, & tabem conſumatam inducebat. Rebus ſic conſtitutis gravida noſtra magnis animi pathematibus, triſtitia & mœrore afficiebatur, nihilominus per Dei gratiam filiam ſanam juſto tempore peperit. Durante vero puerperio ſe manifeſtabant periculoſa ſymptomata, lochorum enim fluxus videbatur imminutus, ſuperveniebat tusſis ſicca, genarum rubor, phlogoſes, & manuum internus calor. His obviam venire, & febrem hecticam tam cito pede ingraveſcentem avertere omni ſtudio incubuerunt duo Medici; mœror autem, vigiliæ continuæ & curæ ob dilectum maritum quotidie moribundum conatui reſtiterunt. Hoc in ſtatu puerperium tandem ad finem perduxit. Elapſis aliquot ſeptimanis conjux expirat in ſinu mœſtisſimæ conſortis, quæ circumſtantia multum exaſperabat affectum. Sperabant tamen Medici felicius nunc ſe progreſſuros, dum ægra curam ſui ipſius tranquillius nunc inſtituere poſſet, & ordinabant convenientia medicamenta ad expugnandam febrem, temperandam acrimoniam à beato marito ſenſim contractam; omnia vero incaſſum fuerunt adhibita; febrrs enim minime obediebat cortici Peruviano, aliisque antifebrilibus, acrimonia non demulcebatur lacte muliebri, neque aliis temperantibus & balſamicis, tusſis eveniebat quotidie profundior, reſpiratio difficilior, rejiciebatur materia purulenta, fundum petens, totum corpus emaciebatur, facies apparebat hippocratica, accedebat

debat capillorum profluvium, verbo, phthiſis in ultimo gradu aderat: hinc lipothymiis ſupervenientibus d. 20. Mart. A. 1719. intra ſpatium trium menſium ſimili modo, ut maritus, vitam cum morte commutavit. Ex hac relatione neminem latebit, defunctam robuſta præditam natura, phthiſica labe ex contagio fuiſſe affectam, conſiderando ſcil. conjugale conſortium, quotidianum decubitum cum marito, in ſudoribus colliquativis continuo jacente, communicationem in cibo & potu, inſpirationem effluviorum muriatico-ſalſorum, oſculationes &c. Quod vero tam brevi temporis ſpatio noſtram jugularit affectus, cum alias curam palliativam per multos ſæpius annos admittat, ex ſingulari humorum acrimonia mariti, ſubjecto noſtro, curis & puerperio viribus exhauſto, communicata, proveniſſe exiſtimo.

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

Motus epileptici falſæ conceptioni ſupervenientes.

PUella conſtitutionis hypochondriacæ, valde meticuloſa, jam decimo tertio ætatis anno catameniorum fluxum patitur, in ulteriori virginitatis ſtatu regulariter quidem, aſt in minori quantitate eundem continuat; quod floccipendens ex compenſatione naturæ (vectigal nimis rigoroſe & juſto citius à ſe exigentis) dependere judicat, ſucceſſu temporis autem membrorum laſſitudinem ſentiens, cum appetitus proſtratione & reſpirandi difficultate, chloroſi ſe laborare animadvertit, & Medici conſilium implorat, qui neceſſaria medicamenta, præmiſſa V. S. revulſoria in pede, præſcribit, quibus per aliquod tempus continuatis, affectus fuit mitigatus, & tandem ſublatus, ita ut Parentes nulli dubitaverint dilectam filiam, obveniente opportuna occaſione, viro nubere. Nuptiis celebratis,

tis, à thori quaſi momento male ſe habet, perſentiſcens virium languorem, mœrorem inſuetum, appetitus dejectionem, inprimis vero nonnullas contractiones membrorum ſpasmodicas. Medicus ordinarius impraegnationem ſupponens, ordinat ſtomachica, tonica & antiſpasmodica. Augmentum vero ſemper capiebat affectus, & motus convulſivi fiebant atrociores. Eapropter conſilium adhuc alterius Medici requirebatur, qui percepta morbi hiſtoria, indicationibus ordinarii Medici inhærebat, & conjunctim medicamenta ordinabant opportuna eo tempore, quo Patiens ipſa neſciebat, vere vel falſo ſe conce-piſſe; proſpiciebant ſimul malo hypochondriaco, à Parente ſcititio, & annitebantur primas vias, in quibus ordinario ſaburra illa acido-auſtera ſtabulare ſolet, leni catharſi expurgare, præcipitando poſtea humorum acrimoniam, adjuvando ventriculi digeſtionem, aperiendo obſtructiones, & crispationes mitigando. Hac methodo incedebant per aliquod tempus tam internis quam externis medicamentis, variando ea pro rerum circumſtantiis, & evitanda nauſea, obſervantes ægrotam nonnulla medicamenta, martiata nempe & nimia volatilia, ægre perferre ex ſingulari idioſyncraſia. Nihilominus eadem ludebatur tragœdia, & quamvis paroxyſmi viderentur interdum cicurati, recrudeſcebant poſtea ſæpius atrociores, inprimis convulſiones tam clonicæ quam tonicæ miſeram excruciabant inſigni vehementia & celeritate tam vagabunda, ut nullum membrum à capite ad calcem liberum ab iisdem manſerit. Et quoniam totum genus nervoſum in conſenſum rapiebatur, plexusque viſcerum tam meſenterii, quam diaphragmatis cum propaginibus paris vagi & nervi intercoſtalis irregulariter commovebantur, quid mirum, ſi ſingulares & mirabiles actiones jectigationesque imperitos facile terrere & δαιμονιακόν aliquid latitare perſuadere potuiſſent. Paroxyſmo enim ingruente miſera proſternitur humo, epilepticorum more, vociferatur, torvum videt, cantat, mox in fletum, mox riſum Sardonium abripitur, miras geſticulationes manibus edit,

ὀπιϛόλονον & ἐπιϛόλονον patitur, linguam nimium protendit, ructus, flatus & borborygmi audiuntur inſignes, abdomen & præcordia diſtenduntur, conſtringuntur, & ſic tanquam ſtrangulata jacet, tandem ſymptomatibus ſenſim evaneſcentibus ad ſe redit, omniumque conſcia eſt. Hæc per menſis ſpatium ſic aguntur, vix uno alterove die exemto. Nunc nobis refert afflicta, ſe reditum menſtrui fluxus obſervare, aſt loco ſanguinis ichorem cruentum, materia putrida mixtum excernere; quæ relatio ſententiam haud leviter confirmat, affectum ex ſemine corrupto partim originem traxiſſe, quoniam extra matrimonium nunquam de his ſymptomatibus conqueſta fuit. Durante hoc fluxu, vehementi paroxyſmo corripitur; Medici conceptionem falſam eſſe, nunc ſcientes, duo veſicatoria infra genu applicare jubent, cum clyſmate ex ruta, ſalvia & chamæmelo cum juſculo carnis non ſalito parato; & continuare mandant pulverem præſcriptum, ex ſuccino albo præpar. ungul. alces, dente hippopotami, ſpecifico antihectico Pot. radice pæoniæ & cinnab. nativa, quæ nunc feliciorem effectum poſt ſe relinquere videbantur; veſicatoria enim multum ichoris acris ſtillabant, per clyſma ſcybala valde dura excernebantur, pulvere ſæpius ſumto per urinam multa ſalia muriatica excernebantur, imo omnia ſymptomata cicurabantur, ſpes reconvaleſcentiæ affulget indies; appetitus enim redit, tranquille dormit, vires reſtaurantur. Redeunt quidem interdum paroxyſmi, verum non tanta vehementia & non tam frequenter. Verum dum hypochondriaca eſt, ſtrictior diæta ipſi fuit injuncta prophylactica, & loco cerviſiæ decoctum ex rad. chinæ, raſ. ebor. cum pauco aniſo ſtellato. Sic continuando affectus ſenſim ſenſimque evanuit. Pro tono fibrarum roborando balneum ſubordinabatur, quo non ſolum bene ſe jam habet, verum poſt aliquot ſeptimanas gravidam eam eſſe eventus docuit: eapropter medicamentorum uſum interdiximus & valediximus.

(*Exbib. d.* 20. *Febr. A.* 1720.)

OBSER-

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. Joannis Mauricii Hoffmanni.

De Amavroſi poſt ictum pugionis obtuſum oculo ſuſceptum inſequente feliciter curata.

JUrium quidam Studioſus in Palæſtra Academica à commilitone ictu validiori oculo dextro punctim inflicto, cum pugionis extremo globulo coriaceo,uti moris eſt,denſiori obvoluto feriebatur,ſuperveniente mox ejusdem rubore inflammationis dolorificæ comite, quo etſi diſcuſſo viſio quotidie magis magisque imminuebatur, & tandem in tantum abolebatur, ita ut nec legere nec adſtantes amplius cognoſcere potuerit,ſed aliqualis ſaltim luculæ ſenſationem retinuerit. In patriam ergò à Parentibus honoratisſimis revocatus meam ſententiam & opem anxie imploravit. Penſitatis ideo probe omnibus circumſtantiis, nullo notabili vitio nec in pupilla nec in reliquo oculi bullo conſpicuo, viſus iſthanc deperditionem imputandam eſſe reputavi divulſis nervi optici medullaribus fibris, & vaſis ſanguiferis tenerrimis iisdem interſperſis diſruptis, ut hinc eveniens roris nervei per ſtagnationem mucidi redditi cum cruore effuſo coagulatio influxum ſpirituum animalium irradiativum interceperit, atque ſic ſenſationis viſoriæ actum ſufflaminaverit.

In Curatione eapropter ſumme neceſſaria & expetita, quantum quidem posſibile, roris nervei mucidi cruorisque coagulum reſolvendum, ſpirituumque animalium influxum liberiorem per nervum opticum reſtituendum, hujusque fibrarum tonum ac ordinem turbatum reſtaurandum eſſe cenſui.

Atque pro ſcopis hisce obtinendis remedia hic nunc recenſenda præſcripſi: Rec. Rad. fœnicul. valerian. maj. enul. rubiæ tinctor. cyperi rot. calami arom. an. ℥ij. Cort. ligni ſasſafr. aurant ext. flav. Winteran. cinam. an. ℥ß. Bacc. junip. ℈iiij. Macer. Caryoph. arom. an. ℈ij. H. euphras, majoran. an. P. ij.

Fl. anthos, lavend. an. P. j. Sem. fœnic. ammios veri an. ʒj. incis. & contus. adde ſalis tart. puriſs. ſal. ammoniac. alb. an. ℥ß. mixtis ſuperfund. 🜄. ℥viij. Stent in digeſtione, vaſe exactisſime clauſo per ♂ ♀. mane fiat deſtillatio ex cucurb. ſuperimpoſito alembico ad partis ſpirituoſæ abſtractionem.

Cum Eſſentia hac interpolatis vicibus ſubinde æger ſorbillabat ſpecies pro Thea medicata aquæ fervidæ infuſas: Rec. Rad. ſarſæparill. chin. enul. ſcob. ligni ſaſſafr. an. ʒiij. H. euphras. betonic. an. Mß. Fl. ſtæch. Arab. P. ij. ſem. fœnicul. dulc. ʒij. cinam. acut. ℥ß. cardam. min. ſchœnanth. an. ℈ij. Incis. & contus. gr. modo dentur ad chartam.

Tragea porro ex uſu erat, alternatim nunc poſt prandium, nunc ante cœnam pani toſto ad tres cultri cuſpides aſperſa, cum affuſo vino ſumta: Rec. H. cum fl. euphras. ſem. fœnic. dulc. an. ʒvj. rad. pæon. mar. ℥ß. valerian. maj. ocul. cancr. è vivis collector. an. ʒij. conchar. margaritifer. ʒj. cinam. macer. caryoph. arom. nuc. moſch. an. ʒß. ſacch. cant. alb. ℥iß. roſat. tabul. ℥ß. M. F. Pulvis.

Adhæc corpus aliquoties expurgabatur pilulis, quarum xi. ad xiii. ſub ingreſſum lecti deglutiebat: Rec. Maſs. Pil. aloëphang. Arabic. luc. maj. Merc. dulc. rite par. an. ʒß. extr. helleb. n. gr. xxiiij. ſalis volat. ſuccin. gr. vj. Miſc. c. ol. ſaſſafr. deſt. F. Pil. gr. j. pond. deauratæ. D. ad ſcatulam.

Externe aliquot guttulæ ſequentis mixturæ linteolo exceptæ oculo prope admovebantur, ut effluvia ſubtilisſima ad ipſum hinc pertingerent: Rec. Sal. armon. euphras. volat. C. C. an. ʒß. ol. nuciſt. deſt. fœnic. deſt. an. ℈ß. 🜄. alcohol. ℥iß. ſtent in digeſt. poſt unionem factam detur ad uſum.

Et horum quidem remediorum efficacia, ex divina benedictione ſalutifera viſum perfecte recuperavit nobilis juvenis, in ſtudiorum meta ad honoris palmam acriter decurrens.

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.
Dn. D. Joannis Mauricii Hoffmanni.
De uteri ruptura poſt mortem viſa.

MUlier triginta aliquot annorum, utero gerens, cum aliquot ante partum ſeptimanis ex prono ad terram lapſu abdoninis inguinisque latus ſiniſtrum gravisſime alliſisſet, atque ob violentam fibrillarum membranaceo-carnoſarum divulſionem & rupturam, fluidorumque interceptum commeatum reciprocum, dolore diuturno miſerrime afflicta fuiſſet, nullis ob rem anguſtam domi nec internis nec externis adjuta auxiliis, juſto dein accedente tempore validis prehenſa parturiendi conatibus Lucinam fruſtra in vota vocavit, fœtu ſiquidem mortuo atque viribus exhauſtis cum obſtetrix nullam ſe amplius opem ferre poſſe denunciaſſet, Chirurgus in ſubſidium aſſumtus extractionem quidem fœtus cum ſecundinis peregit, mater vero paulo poſt vita defuncta eſt. Jam vero cum eadem obſtetrix neſcio quem in utero reſiduum eſſe præternaturalem tumorem somniaſſet, Medicus ordinarius experientisſimus me cum aliquot honoratisſimis Collegis ad ventris inſpectionem ſummo mane inſtituendam invitavit. Abdomine igitur cruciatim diſſecto uterus mox in conſpectum venit tumidus, parietum craſſitie pollicem ſuperante notabili, pumicoſus albicans, in cervice autem læſi lateris & inguinis ſphacelo corrupta, hincque abominabilem ferme fœtorem ſpirante ruptura verſus fundum hiderat, tres digitos transverſos promte admittens, per quam cum obſtetrix digitis exporrectis globoſam fundi uterini molem exterius contrectaſſet, tumorem neſcio quem utero adnatum eſſe credidit. Nobis interea non leve relictum eſt dubium, cum à parturientis longo ſed infauſto parturiendi niſu, an ab obſtetricis fœtus extractionem digitorum adminiculo tentantis, an demum à Chirurgi manuali opera hiatus ille uterinus patefactus ſit, talem quippe ſubſtantia cervicis ex inflammatione

tione prævia & necroſi ſubſecuta putrilaginoſo - tabida facile admittere poterat.

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. Joannis Mauricii Hoffmanni.

De hypercatharſi & pernicioſis aliis ſymptomatibus ab epota infuſione pomi colocynthidis inductis, ſopitis.

EX generoſa familia nata Matrona poſt acidularum Egranarum finitum potum, ex recepto more inteſtina à ſordibus reſiduis repurgatura, pomum colocynthidis vini cyatho per noctem infudit, & inſequente matutino tempore ebibit, aſt pesſimis ſuis rebus, accedebat ſiquidem mox inſignis cardialgia, ſuperveniebant vomitus creberrimi, & cum ventris torminibus atrocisſimis dejectiones alvinæ primò mucoſo-ſeroſæ, mox bilioſæ, tandem cruentæ, ſitis aderat clangoſa, atq; ſuperiorum & inferiorum artuum muſculares fibræ in ſubſultus & motus agitabantur ſpaſticos, febrili æſtu totum corpus exardeſcebat, demum cum animi deliquiis extremorum frigus notabatur, ut adeo terrore & metu perculſi adſtantes me advocari curarint. Adveniens mentis conjectura mox aſſequutus, culpam omnem imputandam colocynthidi, infamium medicaminum,ſeu fortiorum & violentorum potius exemplum præcipuum, ab Illuſtri Wedelio Amœnitat. Materiæ Medicæ lib. 2. Sect. 1. c. 5. p. 249. ſcite non minus ac vere denominatæ, ita ut ex ſimili infuſo hypercatharſin penitus lethalem teſtetur Obſerv. CLXXVII. Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. III. Anni VII. & VIII. Colocynthis ſiquidem ſale ſuo acri, ſub reſinoſo involucro viſcidiori recondito, mordaci & cauſtico non poterat non in matrona illa tenera,temperamento cholerico-ſanguineo prædita, ejusmodi turbas ciere, villos

fibras-

fibraſque membranaceo-nerveas ſenſiles & motrices in ventriculo & inteſtinis, atque illuc exporrectorum ductuum tubulorumque excretoriorum ad ſtricturas enormes laceſſendo, oſcula vaſorum erodendo, humoreſque per inductam fermentationem colliquativam, quaſi febrilem, fundendo, ut vel hoc exemplo conſtare poſſit, colocynthidem pro humoribus pituitoſo-viſcidioribus & glutioſis, aut acido-auſteris, aut tartareo-ſalinis concrementis potius convenire, & tunc quoque conſultum eſſe, ut ejuſdem acrimoniam ſepticam vel oleoſis mucilaginoſis gummoſiſque delinimentis demulceatur, vel reſinoſa viſciditas per alkalia fixa itemque ſalſa ſeu enixa, vel ſulphureo-ſalina & aromatica in conſortium aſſumta prius corrigatur, & taliter paratum extractum vel eſſentia, vel uſuales trochiſci alhandali aliis purgantibus in refracta doſi addantur. Sed è diverticulo in viam. Nempe enim cum matronæ laudatiſſimæ infauſta ſymptomata illa urgentem citam relevationem per cauſarum remotionem & mitigationem poſtularunt, remediis nunc recenſendis, divina favente gratia, medelam ipſi feci ſaluberrimam & exoptatiſſimam. Et ſtatim quidem ſequens Electuarium ad 2. cultri cuſpides ipſi aliquoties offerebatur: Rec. Electuar. diaſcord. Frac. ℥ß. theriac. Andr. ʒiij. pulv. Pannon. rubr. ʒj. Miſc. Simul cochleatim propinabam Mixturam: Rec. Aq. menthæ ℥iß. Zedoar. cinam. cydoniat. an. ℥ß. tormentill. plantag. an. ℥j. vini cydon. ʒvj. Sir. papav. rr. flor. tunic. an. ʒiij. Miſc. Ventriculo imponebantur alternatim Sacculi calefacti ſequentibus ſpeciebus repleti: Rec. Fol. menth. criſp. M. iij. fl. chamæm. Rom. M. ij. ſum. hederæ terr. M. j. nuc. moſch. num. ij. macer. caryoph. arom. ℈ij. ſem. carvi, cumin. an. ℥ß. incis. & contus. Miſc. divid. in duas partes æqual. D. ad chart. Umbilico admovebatur Cataplaſma ex theriac. Andr. ʒj. croc. Mart. ſtypt. vitrioli Mart. gr. vj. Ol. nuciſt. expr. ℈ß. exacte mixtis atque ſuper alutam rotundam extenſis. Deniq; abdominis regio reliqua tali Linimento calide inungebatur:

tur: Rec. Ol. cydon. ℥vj. maſtich. ʒiij. nuciſt. expr. ℈ij. cham. abſinth. carvi an. deſtill. gtt. iij. M. D. ad fictile.

(*Onoldo Auguſtam Vind. d. 7. Mart. A.* 1720. *miſſæ.*)

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De ſuturæ ſagittalis diſcesſione.

DE *ſuturarum diſcesſione re pene incredibili, niſi & Hippocratis auctoritas & Virorum Clarisſimorum teſtimonia intervenirent haud facile ſubſcriberem, ait* Celeberrimus Pechlinus *lib. 2. Obſerv. Phyſico-Medicar. Obſerv. 39. pag.* 310. Mihi de rei veritate poſt tantos teſtes quorum non intererat mentiri, eò minus dubitare integrum eſt, quod ſuturæ ſagittalis divulſionem meis cernere oculis & digitis explorare licuerit. Tenerioris conſtitutionis fœmina gibbo, humerorum elevatione & coxarum exſiccatione & depresſione parumper deformata, blæſa quoque à primis unguiculis non adeò firmâ fuit uſa valetudine. Circa decimum quintum ætatis annum in chloroſin incidit, quæ ordinariis ſtipata ſymptomatibus præcipuè verò faſtidioſo animi & corporis languore & frequentiori cordis palpitatione remediorum vim, ut ſolet eſſe pertinax cachexia virginum, per integrum annum eluſit. Tandem tamen provocato menſium fluxu, eodemque conſuetas periodos exactè ſervante, rectius cœpit valere. Sic conſtitutis rebus vigeſimo circiter ætatis anno conceſſit in thorum viri arthritici à parentibus podagricis geniti. Ex conſuetudine cum viro mater & conſanguineæ neo-nuptæ valetudinem firmiorem promiſerant. Enimvero ſecus evenit. Nam menſtrua, quæ nunquam largè fluxerant, magis adhuc ſingulis menſibus minuebantur, capitis verò dolores indies ingraveſcebant, tandem brumali tempore gravisſime intendebantur. Cum autem

de

de exquiſitiſſimo dolore per longitudinem ſummi capitis multum ac vehementer conquereretur, juſſa eſt abjicere redimiculum capitis locumque doloris digitis deſignare, quod dum facit, ipſe quoque manum admoveo, & digitis meis ſequor digitos monſtrantis & deprehendo ſuturam ſagittalem laxatam & à ſe divulſam ad digiti annularis latitudinem. Unde concludebam conſuetos capitis dolores redditos eſſe penetrantiores à matre dura per oſſium diſtantiam tenſa atque dilatata, quandoquidem ſatis conſtat quòd meninx hæc utplurimum multis membranoſis fibris cranio adhæreat. Nulla aderat febris, in quâ, præſertim verò malignâ ac in ipſa peſte obſervatum fuiſſe juncturarum divortium conſtat ex Sennerto *lib.* 1. *prax. parte* 1. *cap.* 21. *Hildano Centur.* 1. *Obſervat.* 1. *Centur.* 2. *Obſerv.* 7. *aliisque.* Enimverò præter Hildanum modo laudatum etiam alii teſtantur, quod ſolius cephalalgiæ aut etiam cephalææ gravioris pediſſequa fuerit ſuturarum diſtractio. *Suturæ capitis*, ait Joubertus de Cephalalgia cap. 9. *interdum à ſe invicem ſeparantur, quod ego ſemel obſervavi in fronte cujusdam puellæ, cujus unius lateris os alterius ſuperabat altitudinem poſt pertinacem in infantia capitis dolorem.* Lectu non indigna quoque eſt *Conſultatio quarta lib. I. Thomæ Mermanni de cephalæa ſæva cum ſuturæ cranii quadam diſtractione*, qua Illuſtris Domina quædam affligebatur, cujus cauſam antecedentem utero non male ibidem adſcribit. In Hibernia quoque, ubi teſte Bootio *lib. de affectib. omisſis cap* 4. nota eſt frequens ſuturarum ſeparatio, absque febri eſſe videtur. Ægræ noſtræ non unicnm quidem ſed præcipuum tamen fuit in manibus præſidium, quibus ab utraque parte tempora blandius adducebantur ac deinceps aliquanto validius comprimebantur. Per plures dies manuum auxilium fuit neceſſarium; nam duæ propemodum elapſæ ſunt ſeptimanæ, antequam oſſa in unum iterum plene coirent. Credibile eſt, dolores hosce mitigatos fuiſſe hoc manuum miniſterio, non ſolum quod hac via ad ſitum naturalem oſſa fuerint

 redu-

reducta atque ſutura adunata ſed & vaſa ſanguinis nimis diſtenta fuerinr coarctata & ſanguis congeſtus & impeditius fluens in celeriorem redactus motum. Narrabat ægra ſe etiam ante matrimonium urgentibus capitis doloribus atrocioribus aliquando hiatum in eodem loco obſervâſſe ac tum ſponte ſine manus ope ſuturam coaluiſſe, ſed longius effluxiſſe tempus antequam oſſa conjungerentur, addebatque ſuo ſeſe didiciſſe experimento, quòd dolores hâc encheireſi felicius minuantur & breviori tempore tollantur. Multo melius vero hac in parte agitur cum noſtra, quam cum Hamburgenſi muliere cujus mentionem facit l. c. Pechlinus, eò quòd oſſea iſta compages bis ſolummodo ad hunc usque diem fuerit laxata, cum vetulam iſtam per triginta annos circa ſuturam coronalem pulſus, & arteriarum palpitationes cum atrocisſimis capitis doloribus excruciârint, ut tum demum aliquot dierum malacia ſperari ab ea potuerit, cum horæ unius intervallo manus fronti ac occipiti ad coercendum caput fuiſſet applicata. Tametſi verò acerbitas dolorum capitis poſt ſuturæ coalitum per aliquot menſes egregiè fuerit mitigata, non tamen ei turbatam tot malis vitam jucunda ac ſecura quiete permutare licuit; ſucceſſerunt enim gravisſima hypochondriaco - hyſterica pathemata, quibus modo mitius, modò verò gravius per intervalla fuit torta, poſtquam fluentibus menſibus in terrorem panicum incidiſſet ex fama, quòd affinis partui proxima in gravisſimam epilepſiam eſſet prolapſa, non tamen inde, quod notandum cenſeo, ſecuta fuit ſuturarum aliqua disjunctio, quod accidit uxori hortulani alicujus, quæ furibus nocturnis non procul ipſa infractionem auſis usque adeò expaverat, ut præ nimio quo corripiebatur terrore cerebrique ipſius agitatione & concusſione, oſſa parietalia à ſe invicem disſiluerint, teſte C. Stalpartio van der Wiel / Medico Hagienſi celeberrimo Centur. I. Obſervat. i. p. 2.

OBSER

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

Obſervata quædam ex anatome matronæ difficiliori reſpiratione per totum vitæ ſpatium laborantis.

MAtrona quædam gibboſa ac obeſa per omnem vitam in ſpirando ſub corporis motu ſenſerat difficultatem ſatis gravem & maximam diei partem, quoad vixit, ſedendo exegerat, ſed ultimo mortalis ævi tempore pectoris anguſtia vehementer fuit aucta. Innuebat autem mihi triduo ante mortem vocato verbis crebro interruptis noſtras has, quas jam pateretur moleſtias, alius ſibi videri generis, quam eas, quibus à teneris ex malâ thoracis conformatione & exuperanti pinguedine, lautisſimi victus ac ſedentariæ vitæ pediſſequa fuiſſet, afflicta. Nam præſentem hanc reſpirationis difficultaten ajebat non ſolum eſſe majorem & conjunctam cum impetuoſiori crebritate, frequentia ac denſitate quam fuerit ea, quam à teneris unguiculis paſſa eſſet, ſed omnium maximè ſibi eam negotium faceſſere primô ſomni tempore, tùm enim ſubitò ſibi excitatæ imminere præſentisſimum ſuffocationis periculum & hanc ſtrangulationis invaſionem adeò ſe hactenus timuiſſe, ut plures jam noctes inſomnes duxerit & niſi ſuccurratur, ſe malle perpetuis conſumi vigiliis, quam ad dormiendum ſeſe componere. Hæc ego aliaque omnia perpendebam & converſus ad Collegas, quorum alteri cura ægræ per plures annos, alteri verò per 14. dies incubuerat, modeſtè eis inſinuo, me non dubitare de extravaſatione ſeri in cavitate thoracis ac viſcerum vitiis irreparabilibus, ac nullatenus eſſe ambigendum de veritate ſigni pathognomonici quod à Carolo Piſone in *ſelectis Obſervationibus de prætervisſis hactenus morbis à ſeroſa colluvie ortis* lib. 3. cap. 7. ſtatuitur & à me repetitur in *Obſervationibus Practicis de hydrope pectoris*, nomine Collegii Vratisla-

tislavienſ. Acad. Curioſ. editis, mihi hactenus fuiſſe cynoſuræ loco in dignoſcendo pectoris hydrope *eam in ſpirando difficultatem ac crebritatem, quæ primo ſomni tempore inopinato opprimat.* Cum itaque noſtra primis ſomni horis in eam, uti ipſa narrabat reſpirationis difficultatem incideret, inferebam, nullum mihi ſupereſſe dubium de ſeroſæ materiæ in cavitate pectoris præſentia. Nunquam excidet animo meo matrona genere & virtutibus clara Morſtinia ex vicino Poloniæ regno, quæ per multos menſes Vratislaviæ commorata ſæpius circa duodecimam nocturnam ſuffocationis periculum incurrebat. Terribiles hosce paroxyſmos magis formidabat quam ipſam mortem, & propterea multorum Medicorum de hoc gravisſimo ſymptomate percontabatur ſententias. Sæpè verò poſt finitas conſultationes de morbo ſuo ejusque cauſis ac curandi ratione, incertior erat, quam ante initas diſceptationes. Tantopere variabant medentium ſententiæ. Alii enim polypum in alterutro cordis thalamo cauſam eſſe credebant; illi hoc aſthma hypochondriacum eſſe contendebant; hi hyſtericam ſuffocationem eſſe decernebant. Ego ſolus certitudine ſigni, cujus ante fuit facta mentio, fretus, aſthma hoc ab extravaſatione ſeri in pectore oriri conſtanter aſſeverabam, quam opinionem meam ſecutus poſthac tumor pedum œdematoſus, & ut brevis ſim, anatome poſt mortem, quam Cracoviæ obiit, abunde confirmavit. Tametſi vero mihi firmisſima ſtet ſententia, quòd rectisſimè ita colligatur: huic aut illi iterato periculum ſuffocationis ingruens ex improviſo ſomnum primum excutit: ergo in thoracis cavitate extravaſatum ſerum aut lympha continetur: Ita vicisſim nemini fuerim auctor, ut ita colligat: huic aut illi eô, quô diximus tempore, reſpiratio non redditur difficilis, ergo in pectore non fluctuat aquoſa materia: Nam præter exemplum in prædictis meis obſervationibus de hydrope pectoris pag. 4. allatum, etiam in Venetorum Duce Franciſco Contareno cavitas pectoris libr. v. circiter ſeroſæ materiæ concludebat; cui tamen reſpiratio

nun-

nunquam inſigniter fuit impedita, quemadmodum in clariſſimi Viri G. H. Velſchii *Obſervat. Medic.* Epiſagm. narrat Joannes Prevotius p. 9. & 10. Sed his obiter monitis revertamur ad noſtram. Collegæ mei non refragabantur mihi & facile agnoſcebant ſubeſſe morbum catarrhali febri, quâ ægram laborare ipſi crediderant,& declaraverant aliis,longe graviorem. Nemini itaque ex nobis obſcurum eſſe poterat, omnes eo dirigendas cogitationes, ut colluvies, quæ in pulmones & thoracem depluerat,quantum fieri poſſet,evacuetur,& viſcerum vitia reparentur; ſed quibus artis præſidiis in tanta virium debilitate & lipothymiæ metu id obtinere liceret,nullo modo perſpicere poteramus. Eligebatur à nobis miſtura exGummi ammoniaco per acetum ſoluto, ▽ hyſſop.& ſyrupo helenii &c.Præſcribebatur quoque Eſſentia ex radicibus diureticis & alexipharmacis, cui admiſcebamus eſſentiam ſuccini. Per biduum hisce uſa eſt ſine ullo emolumento, quinimo, tametſi ſedulo ea adhiberet, res ejus in deterius lapſæ ſunt, ac tandem accedentibus ad cumulum malorum convulſionibus, ſubito fuit extincta. Poſt mortem apertum fuit cadaver flagitante ſectionem marito illuſtriſſimo. Aperto thorace ſeroſa colluvies ſtatim erumpebat, & illud, quod de præſentia extravaſati fluidi in thorace prædixeramus, abunde confirmabat. Cæterum cavitas illa, quæ ſuperius claviculis, utrinque coſtis parte antica, ſterno, & poſtica dorſi osſibus circumſcribitur, tam anguſta erat, ut ſatis mirari non poſſemus, quomodo cor cum pericardio, pulmones cum tracheæ portione & œſophagi parte majori capere potuerit. Anguſtia hæc à vertebrarum vitio maxima ex parte oriri videbatur, ſpondyli dorſales enim in partem anteriorem ſeu in concavum diſtorquebantur & unius ſolidi osſis figuram exhibebant, quod notabilem protuberantia ſua & latitudine inſigni ſpecus hujus cavitatem explebat: Pulmonum lobi in utroque latere pleuræ adhærebant, quinimo cum mediaſtino ac ſterno coaluerant, cujus coalitus cauſſam nimis anguſtum thoracis ſpatium fuiſſe veriſimillimum eſt. Præter reliqua in hac

 feſti-

feſtinata extorum inſpectione oculos noſtros veſicula fellea & uterus paulò diutius detinebant, nam lapideam penitus duritiem induerant. Et cum huic matronæ menſes ſtatis temporibus ac in ipſo etiam hoc lethifero morbo rite fluxerint, ſole meridiano clarius eluceſcit, ſubinde menſes ex ſolis vaginæ vaſis ſtillare. In rene ſiniſtro calculus ſatis grandis reperiebatur.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De terrore gravidis & fœtui non rarò exitiali.

EX terrore in magnos gravesque morbos, epilepſiam, apoplexiam, hæmoſtaſiam, cardialgiam, eryſipelas, podagram &c. multos conjici omnis docet dies. Quotidiana etiam confirmat experientia, tenera ac ſubtilia corpora majori damno per terrorem mulctari, ut jam mirandum non ſit, quod fœminæ & inter illas gravidæ una cum fœtu terrores impetuoſiores non tantum morbis ſed morte luant. Neque ſibi blandiri debent, ſe periculo eſſe defunctas, ſi non è veſtigio, poſtquam totæ cohorruerunt, in vehementem morbum incurrant: Elabuntur nonnunquam ſeptimanæ, integri effluunt menſes, priusquam terroris vis evidenti ſeſe manifeſtet noxa. Egregie ſe contra metuenda à terrore mala munitas credunt noſtræ, modò illico ad venæſectionem confugiant aut ad uſum pulveris Marchionis antepileptici aut polychreſti D. Döringii, cui vulgus auguſtum aurei pulveris nomen impoſuit. Tantum verò abeſt, ut credam teneris terrore exanimatis per v. s. afferri auxilium, ut potius ſim perſuaſiſſimus gravius trepidanti naturæ per eam infligi vulnus. Verum quidem eſt, quod ſubinde in terrore perculſis magna adſit oppreſſio cordis, ſæpe etiam palpitatio, nec dubitandum eſt, eam oriri ex regurgitatione

tione ſanguinis ad interiora, de qua nos non ambigere ſinunt pallor cutis præſertim in facie, vaſorum ſanguiferorum, quæ conſpicua erant, ſubſidentia, ſenſuum ac motuum voluntariorum ceſſatio, ſed absque ulla hæſitatione affirmare poſſumus, quòd vini generoſioris hauſtu, potionibus gratis, odoriferis penetrantioribus, ſalibus volatilibus, pulveribus gemmatis, alexipharmacis non nimis æſtuoſis, frictionibus tuto magis obtineatur æqualis ſanguinis diſtributio, quæ unicè hîc intenditur, quàm per detractionem ſanguinis. Enimverò quilibet ſenſu ſuo, quoad venæ ſectionem in territis, abundet, hoc contendimus per illam neque rem gravidarum terrore gravi concuſſarum, neque vitam fœtus in tuto collocari: ſed ſæpè contingere, ut etiam venæ ſectione poſt terrorem celebrata tam mater & fœtus ſimul, quàm interdum ſolus fœtus lugubri morte abripiatur. Variis illud exemplis adſtruere poſſemus, ſed tribus hac vice contenti erimus. Illuſtrisſima quædam cum marito intempeſta nocte per pontem vecta, incuria vectoris ſervorumque & ferocia equorum calcitronum, curru everſa in foſſam non adeò profundam & ſolis ardore exſiccatam præcipitabatur: Erat illa ſi quæ alia, virilis planè animi, nihilominus tamen improviſo lapſu vehementi terrore conturbata fuit. Quamvis nullum ex caſu hoc damnum in corpore animadverteretur, altero tamen die Vratislaviam properatur, vena aperitur & nihil non agitur, quod ad periculum avertendum credebatur eſſe neceſſarium. Sana ſibi videbatur & habebatur ab omnibus, motus embryonis ritè à matre percipiebatur, & niſi fallor præter conſueta ab utero gravido faſtidia, per duos ferè menſes nullam experiebatur moleſtiam, ſed deinceps in lipothymiam inopinato prolapſa, maxima cum certitudine de imminenti ſibi & fœtui morte admonuit adſtantes & imperterrito prorſus animo per exercitia priſcæ pietatis ad mortem ſeſe piè præparavit. Interea ante juſtum partus tempus, neque enim octo à conceptione effluxerant menſes, dolores partus erumpere cœperunt, lente ſimul ſtillabant

bant aquæ, ut accerſita obſtetrix affirmabat, ex quo nos Medici immaturum ominabamur partum, quemadmodum etiam evenit. Nam inter continuas fere convulſiones matre inſcia fœtus elidebatur mortuus. Poſt excluſionem embryonis motus ſpasmodici neutiquam deſierunt, ſed matrem poſt agonem aliquot horarum tandem jugularunt. Adeò verum eſt illud Aretæi Medici Cappadocis effatum lib. 1. *de morb. acutis c.* 6. *convellitur* ἐπὶ ἀμβλώματι ἡ γυνὴ ἀτὰρ καὶ ἥδε οὐ μάλα περιγίγνεται, hoc eſt, interprete Paulo Craſſo Patavino *ex abortu mulier, verum & hæc rarò admodum evadit.* Alii cuidam magnæ dignitatis fœminæ medio geſtationis tempore in prandio incautè refertur, unum domeſticorum ex dolore colico poſt ſumptum ab illuſtrisſima ſibi miſſum remedium (agebant enim in prædio, ubi non ſuppetebat occaſio Medicum conſulendi) ſubitò exſpiraſſe, quod inexſpectatum nuncium in tantum terrorem conjecit gravidam, ut tanquam marpeſia cautes rigeret. Spirituoſis aquis refocillata ac hauſtu vini generoſioris recreata, quovis ſtudio animum vehementer depreſſum erigere ac mœſtas exuere cogitationes ſategit; quod tandem ex voto ſuccesſit, poſtquam intellexit, olei carvi & chamomillæ guttas aliquot cum ſaccharo miſtas, quæ ejus juſſu ægro fuerant exhibitæ, ac enema domeſticum non potuiſſe mortem inferre. Altero die ſanguis ex brachio per venæſectionem detractus & remedia ad averruncandum abortum data ſunt. Quicquid quinti menſis reliquum erat, ſextum item, ſeptimum & magnam octavi menſis partem ſine graviori quâdam moleſtia abſolvit. Dum autem iterum prandio asſidet, advertit ſanguinem ſine ulla prægreſſa cauſa ſtillare muliebribus; venæſectio ex conſilio meo iteratur, omnis corporis motus interdicitur, accuratisſima injungitur diæta, blandæ cum gemmatis præſcribuntur emulſiones & pulveres antiſpasmodici cum ſpeciebus de hyacintho ac Ɑtro, quibus tantillum Maſſæ pilularum de cynogloſſo admiſcebatur, exiguis ſed repetitis doſibus ingeruntur: Hiſce millefolii infuſum inter

cala

calabatur. Fluxus ſanguinis iſtis remediis non tantum imminutus ſed & plane ſedatus. Enimvero poſt paucos dies ſanguis impetuoſius manare cœpit, quòd mihi infallibile erat indicium, fœtum ante debitum tempus excluſum iri, id quod per literas abſenti ſignificabam. Antequam autem meæ adveniſſent, cùm per multa eo tempore negotia me Vratiſlaviæ exire non poſſe ſcirent, duos Medicos periculi magnitudine perculſi, Brega unum, alterum Strela adduxerant. Senior inter eos dederat utendum ſequentem pulverem: Rec. pulv. contr. abortum Auguſt. gr. xv. dentis hippopot. ℈ß. terr. Catechu gr. v. qui in 🜄 Ceraſor. nigror. plantaginis, cinnam. cydon. & ſyrupo maſtichino ei oblatus fuit. Pro externo uſu commendaverat unguentum Comitiſſæ & emplaſtrum ex adſtringentibus & corroborantibus, ſicuti in literis ad me datis ipſe narrabat. Præcipue vero Tinctura Corallorum ex conſilio ejus Illuſtriſſima aliquoties fuerat uſa. Tantum verò abeſt, ut ſanguinis fluxus hiſce cohibitus, ut potius enormiter ad deliquium usque exundaret, id quod etiam aliàs perfrequenter vidimus. Et propterea in mea informatione ſcripta ſerio ab adſtringentium interno pariter & externo abuſu dehortatus fueram, quinimo obſtetrici id dederam negotii, ut quantum poſſet manus miniſterio & potiſſimum per pilulas Stahlianas partum maturaret. Tandem oculis in media morte natantibus, mortuus embryo eliſus, ſervata tamen, quæ DEI gratia fuit, Mater adhuc ſupereſt. Hac data occaſione reticere non poſſum, quendam doctiſſimum pariter ac feliciſſimum in Sileſia Medicum, inter medicamenta Lucinam felicem conciliantia principe loco poſuiſſe corallia, & pulverem ejus fuiſſe corallia in pollinem redacta à ℈j. ad ʒß. eumque ſecreti loco commendaſſe duobus filiis Medicinæ Doctoribus, quorum alter ſæpius hodieque parturientibus id remedii præbet. Quod ſi remedia ex coralliis parata vi promovendi partum vere pollent, vir ante laudatus & in praxi medica per multos annos cum fama verſatus concurrit inſcius ad accelerandum fœtus exitum, id quod

in anguſtiis hiſce ad vitam matris ſalvandam unicè erat neceſſarium; utut palam ſit, clariſſimum virum & ſanguinem exundantem reprimere, & fœtus eliſionem præmaturam voluiſſe avertere. Quicquid ſit, æquum eſt potiores hoc in negotio partes tribuere energiæ ultima tentantis naturæ, cui arcani ac felices rerum inopinarum ſucceſſus jure optimo vindicantur. Tertium addimus exemplum: Mercatoris conjux virtutibus omnibus ſexum ſuum ornantibus inclyta, ex lapſu filiæ quintum ætatis annum agentis, quam unice præ reliquis liberis diligebat & in oculis ferebat, graviter fuit territa. Accubabat hæc in ſponda thoro parentum fere contigua, ex qua horis matutinis ad lectum parentum prorepere, iisque blanda figere oſcula conſueverat. Dum menſe Januario poſt quintam matutinam in lectum parentum pro more ſuo inſilire tentat, incaute in tenebris aberrat & provoluta in terram caput pavimento lapideo duriſſimè allidit. Hinc mater in octavum menſem gravida, panico terrore fere exanimata & aliquamdiu in pavore hoc detenta eſt, eo quod lucernâ cubiculariâ jam extinctâ prompte reſcire non poſſet, an filiola eſſet perpeſſa aliquid gravius, quod quidem divinam providentiam clementer avertiſſe accensâ candelâ comperit. Fuerat brevi ante à filio ex abſceſſu graviori per 4. menſes ægrotante, & pro levitate puerili cum ejulatu & impatientius ferenti manum Chirurgi frequentiſſime valde conturbata. Territa lapſu filiæ malo conſilio ad uſum pilularum Emanuelis illico confugit. Erat alias ad phthiſin prona & jam ab aliquot hinc annis arthriticis doloribus vexata, licet vix trigeſimum quintum ætatis annum attigiſſet. Per 14. dies, niſi fallimur, omnia erant pacatiſſima; his elapſis die dominico mane levi deliquio tentari, circa noctem de intollerabilibus capitis doloribus queri, tremere & animum deſpondere, & extrema quæque metuere cœpit. Circa mediam noctem ſibi eripiebatur & graviſſimis convulſionibus concutiebatur. Importunis obſtetricis & conſanguineorũ flagitationibus id datum eſt, ut vena pertunderetur in brachio; emiſſio illa ſan-

guin

guinis necquicquam profuit. Incaſſum ſalia volatilia & inter ea ⁓ ⊖✳ci urinoſus, quo alias facile hyſtericæ excitari ſolent, admovebantur. Poſt triduum ſibi reddita eſt ignara omnium eorum quæ ſecum acta fuerant. Inter remedia, quæ varia & efficaciſſima ori immittebantur, maxime conducere viſus eſt ⁓ ex ſanguine humano hominis decollati paratus ad 15. vel 20. guttas in ▽ Meliſſ. Ceraſ. nigror. & ſyrupo flor. tunic. bis vel ter in die exhibitus, quamvis Eſſentiæ Hallenſ. dulci, pulveri antiſpasmodico D. Stahlii, pilulis etiam balſamicis ejusdem meritas laudes jubeat tribuere veritas. Elabebantur aliquot dies inter meros angores & trepidationes, donec fœtus mortuus poſt repetitum pilularum balſamicarum uſum ederetur. Omnia cernebantur ſic ſatis tranquilla & domeſtici rebantur puerperam poſt naufragium tenere portum. Adeo iis blandiebantur halcyonia; mihi vero perpetuæ vigiliæ & incredibilis ſolicitudo, quomodo ſcilicet ſeſe in convulſionibus gesſiſſet, & qua ratione fœtus eſſet extinctus, non poterant non eſſe ſuſpecta. Hæc cura diurno tempore animum in transverſum rapiebat & dilaniebat, ſed ſub noctem gravior recurrebat. Vehementer quoque diſplicebat lochiorum ſuppresſio, quæ idoneis remediis, pilulis, inquam, balſamicis, Elix. balſ. Langii & Hoffmann. juſculis croco moderatisſime conditis, myrrhatis debita circumſpectione exhibitis aliisque tolli non potuit. Interea, quod mireris, tertio jam à partu die appetitus redire cœpit, plaudente marito magnum in conjugem amorem præ ſe ferente, & liberis quinque præ lætitia geſtientibus & exultantibus. Durabat hæc malacia ultra dies ſex, cum munditiei ſtudioſisſima novum ſibi lectum apparari jubet. Paratur is ex culcitra plumea, pulvinari & lodicibus, in quibus Parens ante annum ex apoplexia diem obierat extremum, quod cum ei per garrulitatem ancillæ innotuiſſet, illud ipſum tanquam omen inevitabilis fati interpretata omnem vitæ ſpem abjecit, & dirisſimis inteſtinorum ſpasmodicis contorſionibus per biduum afflicta animam exhalavit.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De efficacia ſulphuris lycopodii in intertrigine, excoriatione ac ulceribus manantibus.

INtertrigo non tantum per incuriam nutricum non ſatis tenella puſionum corpora mundantium ab impuritatibus fæcum alvinarum, urinæ ac ſudoris oritur, ſed etiam ſubinde excoriatio ſubnaſcitur ex vitio ſalſo- acris ac ichoreſcentis ſeri. In utroque caſu egregiè ſeſe gerit ſulphur lycopodii. Quivis verò facile intelligit, in poſteriori tum demum locum habere, poſtquam debitè fuerint præmiſſa abſorbentia, mucilaginoſa, corrigentia & levia laxantia. Quinimo in diffuſiori & latius ſeſe extendenti intertrigine non abs re fuerit ipſis nutricibus eſſentiam pimpinell. corticis ligni ſaſſafr. Tinct. ♁ji ♀riſat. Eſſ. ſuccin. &c. præſcribere easdemque ad ſeveriores diætæ leges adſtringere. Hoc ubi à me obſervatum fuit, ſulphur lycopodii inſperſum feciſſe faſtum farinæ volatili, ceruſſæ, tutiæ & aliis vulgo adhiberi ſolitis, multoties comperi. Hujus ſimplicis remedii ubi in *παραδέιγμασι* perſpexeram uſum etiam ne hilum proficientibus aliis ſaluberrimum. Vim ejus atque efficaciam explorare cœpi in ulceribus manantibus ſerpiginoſis, ac deprehendi eam prorſus etiam in his eſſe inſignem. Nuper admodum in illuſtriſſimo Comite robuſti plane & quadrati corporis habitus, cujus familiæ ulcera crurum multum infeſta fuerunt, virtutem hujus remedii deprehendi maximam. Illi in pede dextro fere ſemper circa noctem intumeſcente ulcus ſatis amplum ſupra fibulam adulto vere oriebatur. Propter reſtagnationem humorum ſeroſo-lymphaticorum circa caput, difficiliorem auditum ac nimiam in ſomnum propenſionem iſte per menſes Martium, Aprilem & Majum aliquoties nodulis, pilulis gummaticis corpus laxaverat, & ad corrigendam humorum acrem ſalinam;

lente-

lenteſcentem ac viſcidam dyſcraſiam infuſis variis, decoctis lignorum, ſuccinatis &c. fuerat uſus, &, ut de maſticatoriis nihil dicam, etiam veſicatorium ad muſculum internum vaſtum in utroque femore applicuerat. Hæc tamen omnia impedire non potuerunt, quo minus ulcus, quod dixi, ſubſequeretur. Agebat tum temporis in prædiis ſuis & magis ſibi vicinum conſuluerat Medicum per 50. annos in praxi medica facienda cum laude verſatum & mihi amicitia devinctum Dom. D. de Wottkenau. Ille balſamicam miſturam ex eſſentia ſuccini, myrrhæ, ſpiritu terebinthinæ & balſamo Perviano, remedium magni alias uſus, mihi quoque familiarisſimum commendaverat; enim vero poſt applicationem ejus, quod mireris, ichor in majori quantitate ſtillaverat, & exulceratio latius ſerpere cœperat. Hinc per aliquot dies ab illitu ejus æger abſtinuerat. Interea fibrillæ partium aut jam diſſolutæ aut colliqueſcentes ulcus valde inquinaverant; properandum itaque ſibi eſſe Vratislaviam cenſuit. Curæ initium ab internis factum eſt; bis in die aquam contra icterum D. Timæi à Güldenklee, quæ ſub nomine deſtillati aperitivi in quibusdam officinis noſtris proſtat, laudatisſimum in omnibus viſcerum abdominis obſtructionibus remedium bis in die ad uncias quatuor ſumſit. Duabus hujus aquæ libris admiſcebantur ▽ laxativ. Vien. ℥iij. & Syrupi domeſtic. ℥ijß. & de hac potione doſin unam mane, alteram hora 5. pomeridiana exhauriebat. Loco potus ordinarii juſſus eſt bibere decoctum cremoris ♀ri citratum, cui deinde ſubſtituit aliud ex radice ſaſſaparill. chin. lign. ſaſſafras, corticibus citri ac cinnamomo. Ne ventriculus his decoctis offenderetur, ei ſuccurrebatur per miſturam ex Elix. balſamic. D. Hoffm. & eſſentia gentianæ r. Bis inſuper ſingulis ſeptimanis pilulas balſamicas D. Stahlii uſurpabat. Partes ulceri vicinæ ∽ matricali Overkamii aut ∽ vini camphorato imbuebantur. Sedem inſuper fovebant ſacculi ex radice irid. florent. caryoph. bryon. chelidon. maj. ſigilli Salomon. fol. bardan. petaſitid. ſalv. flor. ſambuc. chamomill. ſemin. cumini, petroſelini, baccis juniperi,

lauri &c. Ulcus mundabatur miſtura ex ▽ roſar. & plantag. cum alumine, ceruſſa, maſtich. olibano &c. & brevi tempore longe aliam induebat faciem. Eo tamen rem deducere non licuit, ut ulcus conſolidaretur propter abundantiam ſanici, quam perpetuo ſtillabat; continuabantur interna pharmaca, externe ad imbibendum ſerum acre ▽ flor. ſambuci cum ſacchar. ſaturni admovebatur. Et cum ne hac quidem via conſequeremur, quod optabamus, ad uſum ♀ris lycopodii progresſi ſumus. Illud ulceri ter in die inſpergebatur, illudque ſicut hactenus fuerat factum emplaſt. diapalma cooperiebatur, cum adeo evidenti utilitate, ut Illuſtrisſimus abjectæ hujus farinæ excellentem virtutem maximopere deprædicaret. Certe inter paucos dies ſine omni ſubſecuta noxa exulceratio fuit perſanata.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De indemni novem aureorum deglutitione.

SErenisſimi regii Principis Poloniæ Conſtantini, Domini mei clementisſimi, nobiles aulici die 3. Octobris anni præterlapſi appoſitis vitris vino plenisſimis incidunt in ſermonem, utrum his vitris quicquam citra vini effuſionem indi vel injici posſit? hoc affirmat Dominus de Bucholz, nobilis ex Curlandia, & actutum ex marſupio novem aureos promit & vitro immittit cum aliquo impetu; unde quædam vini guttæ effuſæ ſunt; Dominus Paulus Orgiewski nobilis Polonus ſpectaculo novo attonitus, re non ſatis expenſa, cum ei propinatum fuisſet, unico hauſtu & vinum & Hungaricos abſorbet. Magna facilitate, favente nummorum ſitu, quem in deglutiendi actu ſubierant, aurum in ventriculum deſcendit. Paulo poſt ſera facti pœnitentia ductus, vivâ ſcilicet metuendorum imagine intellectui obverſante, ad me mittit & accuſata temeritate juvenili

nili emeticum poſcit falſo credens, eadem promptitudine, qua ventriculum intraverant, per eandem viam reverſuros; reſpondebatur nullum vomitoriis eſſe hic locum, tum propter devoratorum nummorum gravitatem tum ob periculum ne forte œſophago incommodiori ſitu obtruſi eidem ita impingantur, ut inde avelli ac vel ad os propelli vel ad ventriculum regredi nequeant, ac inde ſubſequatur, quod expertus apud Platerum lib. 2. obſervation. iſte cui deglutitus nummus aureus tam pertinaciter œſophago infixus hæſit, ut nulla arte inde avelli potuerit. Decerno itaque abſtinendum eſſe ab omnibus draſticis remediis, interdico ciborum multis aromatibus conditorum uſum, vini quoque abſtinentiam ſuadeo, impero juſcula pinguia lubricantia, gelatinoſa, præſcribo oleum amygdalorum dulcium, decoctum mucilaginoſum; quibus cum enemate & evacuantia lenia accederent, tandem decimo quarto die três aurei contractoriis tunicæ mediæ motibus per inteſtinorum volumina propulſi circa meridiem excluſi ſunt cum excrementis, reliquis ſex moram in corpore usque ad prandium ſequentis diei trahentibus, qui itidem ſine labore omni exierunt; immunis fuit à doloribus quibusvis ac moleſtiis dum in corpore hoſpitabantur, ſi angores animi & trepidationes ſæpius recurrentes excipias. Neque, ut jam innui, dum egrederentur, ullum juveni cruciatum pepererunt. Ipſi quoque nummi nullum vel abraſionis vel mutationis alicujus veſtigium exhibent, adeò ut hos corporis per tot dies incolas nulla arte aut examine ab aliis dignoſcere posſis. Adeò nullam penitus vim vel fluida vel ſolida horumque attritorii motus in hæc corpora exeruerunt, ut jam ſuſpecta mihi fides ſit Borelli narrantis Centur. 3. Obſerv. 95. monetam auream à quodam devoratam poſt mortem ejus in globulos redactam fuiſſe in corpore repertam; è contrario verò judicem non omnem fidem eſſe abrogandam Benivenio de abditis cap. 20. ſcribenti, aciculas non mutatas fuiſſe egeſtas poſt decem annos, potisſimum cum conſtet vegetabilia, exempli gratia, uvas teſte

Ker-

Kerkringio Obſerv. Anatom. 6. quoque per longum tempus, tres menſes integros ſine mutatione delituiſſe in corpore.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. Michaëlis Alberti.

De Hæmorrhagia ſimultanea ex ſingulis locis hæmorrhagicis.

OBſervationes de Hæmorrhagiis inſtitutæ, in praxi medica magnæ omnino & conſiderationis & utilitatis ſunt, cum quædam harum ſanguinearum profuſionum, imprimis ſpontanearum, non modo à magnis & periculoſis morbis efficaciter & interdum cum admiratione præſervent, ſed nonnullæ viciſſim in ſingulares anomalias delabantur & ſubinde cum notatu dignis effectibus excurrant; harum animadverſionum memor, placet unam alteramque Hiſtoriam, quæ mihi hactenus in praxi medica intra brevem temporis terminum & diſtantiam obtigit, & quæ ad hanc Hæmorrhagiarum illuſtrationem ſpectat, recenſere: aſt licet ultima occaſione chymicas quaſdam obſervationes, cum præcedentibus cohærentes, promiſerim, tamen eædem adhuc acquieſcant, & ſi Deo placuerit, aliam occaſionem expectent. Primo itaque hoc loco enarrabo caſum, qui mihi circa initium hujus anni accidit: ægrotare cepit d. 25. Januarii hujus anni 1720. Studioſus Medicinæ, ſedulus antehac auditor meus, Juvenis pius, ingenuus, & optimæ indolis, ætatis 21. annorum, temperamenti mediocriter melancholico-ſanguinei, tranquilli & placidi animi, modicè plethorici conſpectus; qui per triennium prægreſſum ex hæreditaria diſpoſitione, (cum parens ipſius in juventute hæmoptyicus, in virilitate vero hæmorrhoidarius factus fuerit, qui ſub legitima Hæmorrhoidum repetitione & fluxione jam ſeptuageſimum annum attigit,) variis confuſis, irregularibus & impetuoſis hæmorrhagicis moliminibus & ſucceſſibus obnoxius

fuerat,

fuerat, ita ut interdum uno eodemque tempore atque decubitu morboſo, nonnunquam alternatim narium Hæmorrhagiis, Hæmoptyſi, vomitu ſanguinis, Hæmorrhoidibus, & mictu cruento corriperetur, unde ipſe eximie enervatus & in ſpecialem animi æque ac corporis ſenſibilitatem conjectus fuit: transactis vero aliquoties hisce tragicis afflictionibus, nihilominus in pectore remanebant veſtigia prægreſſæ hæmoptyſeos, ubi fœtor oris & aſthmatica conſtitutio ſpem naturalem impetrandæ longævitatis præſcindebant: Hæc eadem afflictio inſultabat hunc juvenem antedicto die cum inſolita lasſitudine, alvi ſiccitate, horrido rigore, capitis dolore: quibus morbidis initiis intercipiendis, ipſe ſpontaneo auſu decoctum ſennatum hauriebat, quod numeroſas non modo alvinas dejectiones, ſed & magnam debilitatem invitaverat, adeo ut 26. Januarii ſingulæ prædictæ Hæmorrhagiæ eructarent, ſub alternatione impetuoſæ diarrhœæ, extra hæmorrhoidalem evacuationem: advocabar ad eundem eodem die, comparui: ordinavi remedia temperantia, orgaſmum ſanguinis conjunctum mitigantia, impetuoſam diarrhœam lenientia & roborantia medicamenta, è quorum uſu, Deo ita nunc dirigente, maximè periculoſæ circumſtantiæ, unà cum hactenus conjuncto vehementi æſtu febrili, admodum minuebantur, adeo ut ſpes obtinendæ ſanitatis affulgeret, quæ tamen mihi admodum incerta & anceps ſemper videbatur, cum vires æque ac ſomnus conſtanter deficerent, interdum calor & motus febrilis recrudeſcerent & ingens præcordialis anguſtia continuaret, licet de reliquo hactenus cum modico appetitu patiens cibum caperet: augeſcebat interea pectoris oppresſio & aſthmatica contractio, ut interdum ſuffocationis metus immineret, in qua calamitate præſcripſi decoctum pectorale, diſcutiens, leniens & abſtergens, quod iterum Deo benedicente exoptatos effectus præſtitit, ut reſpiratio multum levaretur: quamvis equidem tempeſtivam V.Snem ordinaſſem, tamen eandem ingens æſtus febrilis, nimia enervatio, & ſimultanea excesſiva Hæmorrhagia

nec non ſemiſoporoſus affectus, (qui per initia unà occupavit) impediverunt: poſt aliquot dies denuo impetus hæmorrhoidales cum multis anomalicis motibus ſpaſticis in hypochondriis & colicis cruciatibus invadebant, unà cum actuali hæmorrhoidum profuſione, ad quam afflictionem commendavi mixturam tonicam & mitius carminativam: interpoſui etiam pulveres antiſpaſmodicos: inde factum, ut hic fluxus acquieſceret: ſed poſt aliquam moram motus hæmorrhagici intra caput adſcendebant, qui deliria & conſequentes narium Hæmorrhagias cauſabantur concurrente æſtu febrili, mox illi motus intra pectus decumbebant, ſuffocationem minabantur, & in hæmoptyſin denuo deſinebant: in hac neceſſitate ordinavi pulveres temperantes, decocta lenientia, abſtergentia, æſtum mitigantia, emulſiones dilutiores lenientes, analepticas & pectus repurgantes, una cum Epithemate pro capite: quæ ſingula remedia iterum Deo annuente deſideratum effectum præſtiterunt, ut iterum ſingula ſymptomata præcipuè ominoſum delirium minuerentur inſuperque patiens quietior redderetur, dormire & edere denuo potuerit, ipſeque ſpem convaleſcentiæ conciperet, licet ego contra admodum dubitarem, adeo ut argumentum meum, quod pulmones & viſcera corrupta urgebat, patiens cum articulo fidei revellere & infringere conaretur, ubi Chriſtus Salvator putridum Lazarum è morte integrum ad vitam revocavit: Brevi poſt vero denuo affectus degenerabat, & patiens experiebatur dejectiones alvinas ſanguinolentas cadaveroſas, & ſimilem exſpirationem, è quo phænomeno tanto magis periculoſus morbi ſtatus manifeſtabatur: inſultabant denuo deliria graviora, æſtus febriles, agrypnia, inquietudo, magna anguſtia præcordialis, gravis enervatio & virium defectus, mitiores motus convulſivi in manibus & ore, dolor lancinatorius intrinſecus circa regionem veſicæ urinariæ & multa alia pathemata: ubi Emulſiones, Pulveres, Potiones, Mixturas, Decocta, reſolventia, diſcutientia, temperantia, lenientia, abſtergentia, analeptica &c. præſcripſi, unà

unà cum rubefaciente remedio plantis pedum applicato; ſed mox modo motus & fluxus ſanguinis à capite, in pulmones, mox in ventriculum, mox in veſicam urinariam, mox in inteſtina decumbebant: denique eo usque accrevit morbus, ut interdum in patiente ſub eximia anguſtia reſpiratio ceſſaverit, & deinde cum anxio vomibundo & exſcreante conatu alternaverit: Duo erant dies ante beatum obitum patientis noſtri, ubi deliria valde denuo corripiebant, adeo ut nunc patiens cum vi coerceri & à pluribus contineri debuerit, dum antea non modo deliria ſua intervalla habuerint, ſed & tranquilliora fuerint: rediit vero iterum ratio, & d. 13. Februarii circa meridiem placida contigit ſolutio & mors: proximo poſt obitum die inſtituta fuit ſectio defuncti, ubi antea nonnullis auditorum meorum, qui ſub ægrotatione patienti adſtiterant, prædixeram, quod in thorace & abdomine variæ mortis cauſæ lateant, maxime vero corruptiones: in pulmonibus vomicam ſuſpicabar: ſuſcipiebatur præſentibus diverſis meis auditoribus apertio: in abdomine conſpiciebantur glandulæ meſenterii tumidæ & duræ: ventriculus & inteſtina erant vacua, hæc vero cum flatibus valde diſtenta: in ſiniſtro rene aderat magna ſanguinis ſtagnatio & conjuncta evidens putredo: ureteres erant valde expanſi, ut digitus infantis immitti potuerit: intrinſecus in regione pubis circa veſicam urinariam & in ipſa illius textura magna & manifeſta occurrebat ſphacelatio: Hepar eximiè inturgeſcebat, & magnitudine ſua duplicatum hepar æquabat: omentum in dextrum latus dislocatum obſervabatur: inteſtinum colon ultra longitudinem completi digiti regioni lumbari accretum adhærebat & in illo tractu ita anguſtum erat, ut vix digitus intromitti potuerit; in hac regione vaſa ſangviſera valde tumida & inflata fuerant: ſed quia nox appropinquabat, & turbidæ nubes lucem obſcurabant, non interiora inteſtinorum & ventriculi inquiri poterant: unde ad thoracem acceſſus inſtitutus fuit, ubi dexter lobus pulmonum reperiebatur cum ſanguine repletus, & verſus

collum in ſuperficie cum multis nodis ſcirrhoſis obſeſſus, intimius in eodem lobo aderat eximia Vomica cum multa fœtida materia impleta: ſiniſter lobus mon modo quoad plurimam partem firmiter pleuræ adhæſit, ſed & ipſe putridus & fœtidus erat: deerat polypus cordis: ſi tempus & occaſio conceſſiſſent, caput etiam apertum fuiſſet, ubi propter prægreſſam ſoporoſam afflictionem, graves congeſtiones ſanguineas, deliria multa & magna, atque convulſivas commotiones ſine dubio phænomena quædam occurrerint, quæ anatomicæ ſolertiæ & curioſitati ſatisfeciſſent: interim placuit hunc nexum hujus ſingularis caſus hisce circumſtantiis commendare, & præſentem caſum, in quo omnes Hæmorrhagiæ ſolenniores in uno ſubjecto occurrunt, ſignificare.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. Michaëlis Alberti.

Menſes prodigi in vidua 58. annorum.

QUamvis Menſium fluxus certis periodis circumſcriptus ſit, tamen non raro ejusmodi obſervationes in Medicina practica occurrunt, quibus demonſtratur, quomodo Menſes ordinarium & conſuetum ſuum terminum transgrediantur: minimè tamen placuit eum ob finem præſentem caſum enarrare, ut numerum talium obſervationum augeam, cum contra longe miraculoſiores caſus de menſibus in vetulis proſtent; illud vero hoc loco notare volui, quomodo largi & prodigi menſes in tali vidua obtigerint: Erat fœmina honoratior, temperamenti melancholico-ſanguinei, quæ in prægreſſo matrimonio nunquam peperit; animo erat valde turbata & inquieta, quæ ſemper menſes copioſos experta fuerat: hi iidem menſes continuabant poſt obitum mariti in quinquageſimum octavum usque annum non modo ſingulis menſtruis periodis, ſed & ſatis largiter & impetuoſe, adeo ut internè variæ commotio-

motiones, congeſtoriæ, oppletoriæ, anguſtatoriæ & ſpaſticæ concurrerent: hic menſium fluxus ſi non in tali copia ſucceſſit, varia pathemata cardialgica, hypochondriaca, colica invitavit, per ipſum vero largum ſuum decurſum præter enervationem nihil mali obtulit; hic fluxus cum ob vitium diætæ & regiminis cohibitus fuerit, ſubito in hydropicum ſtatum ſeſe immutavit, qui hanc viduam in 60. ætatis anno interfecit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. Michaëlis Alberti.

Hæmoptyſis & Hæmorrhagia Narium menſtrua innoxia in gravida.

INſolitæ Hæmorrhagiæ in gravidis communiter ominoſæ ſunt; tanto magis verò tales, quæ in omni alio ſubjecto ſuſpectæ exiſtunt ſanguinis profuſiones, velut ſunt hæmoptyſis, vomitus & mictus cruentus: neque quidem mirum eſt, ſi tales Hæmorrhagiæ aut fœtui, aut ſimul gravidæ pernicioſæ ſunt: illud vero tanto magis admiratione dignum eſt, ſi quædam harum Hæmorrhagiarum non modo fœtum non turbat, ſed neque matri nociva eſt: auget vero tanto magis hanc admirationem, ſi numeroſiores Hæmorrhagiæ gravidam corripiunt, & ſi eædem pluribus vicibus, imo quod adhuc magis eſt, exactè menſtruis temporibus repetunt: ante aliquod tempus medicæ meæ curæ commiſſa fuerat fœmina adhuc junior, temperamenti eximiè ſanguinei, valde plethorica, in diæta plena, lauta, luxurioſa, vinoſa, aromatica vivens, cum gravida eſſet, & hanc diætam continuaret, inſuperque multis corporis & animi commotionibus indulgeret, per primos quatuor ingravidationis menſes largam narium hæmorrhagiam & modicam Hæmoptyſin experiebatur, nulla morbida afflictio has ſanguinis profuſiones comitabatur, quin potius hæ Hæmorrhagiæ aliquam euphoriam afferebant, ita ut alia ingravidatio-

nis pathemata, quæ huic fœminæ aliàs familiaria fuerant, ſub hoc ſtatu minimè affligebant: neque fœtus inde aliquod damnum ſubiit, ſed poſt quartum menſem ſub uſu remediorum temperantium, mitius ſedativorum & diætæ atque regiminis convenientioris, non modo Hæmorrhagiæ ceſſarunt, ſed & fœmina hæc foetum ſuum ad juſtum tempus geſtavit, & vivum, ſanum atque integrum legitime peperit: impoſterum in pectore nihil mali ſentiit, ſed ſana & illæſa vixit: ſiquidem circumſtantiæ quædam pro Hæmoptyſi, ex aſpera arteria, & non ex ipſa pulmonum textura facta, militant: etenim hæc fœmina ante hanc Hæmoptyſin, ſub illa & poſt eandem nihil morboſi in pulmonibus obſervavit, ſed potius titillantem & prurientem ſenſum in aſpera arteria percepit, in qua ex diſrupto quodam vaſculo ſanguifero hæc ſanguinis profuſio contigit.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. Michaelis Alberti.

Hæmorrhagia periculoſa è pene.

INter alias occupationes obſervationum medicarum, illæ ſane ſatis obviæ ſunt, ut excretionum variantia loca & diverſæ methodi annotentur: id etiam valet de evacuationibus ſanguinis, quarum diſcrepantes ſucceſſus attenti medici jam multa cum ſolertia commendarunt, ut videlicet inter alias circumſtantias inſolita loca Hæmorrhagiarum innoteſcant: de ſpontanea Hæmorrhagia hoc loco agere non lubet, unde in hac ſerie, ubi diverſas Hæmorrhagiarum ſpecies commemoro, violentam quandam Hæmorrhagiam recenſebo: Studioſus quidam, ætatis 23. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, plethoricus, pleno victu & potu ſpirituoſo utens in cauſa quadam, minus honeſta, aliquando membri virilis, rigide erecti, magnam ſubiit compreſſionem; inde factum, ut ex urethra ingens, impetuoſum & diuturnum ſanguinis profluvium contigerit, quod eo usque duravit, ut periculoſus eventus

tus immineret: pulſus enim reddebatur debilis, vires valde imminuebantur, affligebant lipothymiæ, animus comparebat perquam anxius & dejectus, ſubſequebatur pallor & rigor corporis, oculi turbabantur, corripiebat eximia lumborum gravitas, & periculum erat in mora: in conſilium ductus, ordinavi internè lenientia, temperantia, tonica, nervina; ab extra commendavi injectionem nitri cum aqua roſarum & millefolii ſoluti, addito tantillo albuminis ovi; inde contigit, ut hic impetuoſus & periculoſus ſanguinis fluxus ſubſtiterit, & juvenis ille citra ſuſpectam aliquam conſecutionem in integram ſanitatem redierit: ipſa hæc eruptio ſanguinis ex arteriola in urethram ſucceſſit, ſanguis enim erat valde floridus, & toties copioſius emanabat, quoties cor pulſabat.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. Michaëlis Alberti.

Hæmorrhagia uteri enormis innoxia in Gravida.

IMpetuoſæ inſolitæ inſuperq; inopportunæ ſanguinis eruptiones extra uterum non modo in ſe ſpectatæ anomalæ ſunt, ſed & facilius damnum afferunt: tanto magis eædem ſuſpectæ ſunt, quando in gravidis obtingunt, ubi non modo ad abortum præſentaneum diſponunt, ſed & in futurum habituales tales numeroſiores abortus invitant, cujus circumſtantiæ in praxi medica & aliis & mihi plures caſus occurrêre & innotuere: quidni ſingulare opus fuerit, ſi tales hæmorrhagiæ nihil periculoſum induxerunt, cujus obſervationis ſequens hiſtoria teſtis erit: Fœmina junior, in matrimonio vivens, admodum ſanguinea & plethorica, animo ac corpore valde inquieta, in diæta voraci, plena, lauta, ſpirituoſa conſtituta, aliquando gravida tempore æſtivo immoderatis commotionibus & exæſtuationibus luxurioſis corporis obnoxia, cum jam per quatuor menſes fœtum geſta-

geſtaverit, neque ſub hac ingravidatione menſium fluxum experta fuerit, tandem poſt prædictam immoderatam exæſtuationem extra menſtruum tempus, impetuoſam & prodigam ſanguinis eructationem extra uterum experiebatur, quæ per plures dies continuaverat: ſub hac hæmorrhagia uterina, fœmina illa præter torporem animi & aliqualem debilitatem virium nihil ſentiit: evanuit tandem poſt uſum aptorum remediorum etiam hic ſuſpectus ſanguinis fluxus: nihil inde detrimenti paſſus eſt fœtus: ſed hic per juſtum partum vivus & integer in lucem editus fuit, & per aliquot jam annos vitam protraxit. Harum obſervationum plures ſatis notabiles recenſeri poſſunt, ni aliæ occupationes, me in hoc penſo acquieſcere jubeant.

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. Andreæ Pitzleri.

Vomitorii utilitas.

Filius 9. annorum Domini Paſtoris noſtri primarii, gracilis & ad hecticam fermè inclinans, pleuritide laborabat, poſt octiduum omnia in pejus ruere; pus ſuffocationem minitari, verbo: mors certiſſima imminere; cum ſub veſperam in agone quaſi conſtitutum illum reliquiſſem, altero mane percontor, non an, ſed quando mortuus eſſet, reſpondentibus parentibus, adhuc ſtertere illum ac ſine ſenſu & motu jacere, ego vero anceps hic remedium, quam nullum experiri, præſtare regero: parentibus annuentibus, cinnabar. ♁ ij paucula grana cum tantillo ♀ri emet. Mynſichti infundo, unde bis aut ter pus evomuit cum euphoria, & ita per DEI gratiam è faucibus mortis ereptus in ſpem parentum adhucdum bene valet.

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. Andreæ Pitzleri.

Peculiaris Arteriarum ſitus in manibus.

VIſitavi aliquando Oberrosbacchii Dn. Starkmannium, quinquagenarium febri ardente maligna laborantem, cum igitur pulſum vellem explorare, nullum in utroque carpo invenire licuit, me ideò mirante ac hæſitante, ſubriſit tandem & intra pollicem ac indicem vaſa decurrentia monſtravit, ubi tangenda erat arteria. Dicebat ſingularem hunc vaſorum ſitum ſæpius Medicis ac Phyſicis admirationi fuiſſe.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d.* 10. *Mart. A.* 1720. *per Ill. D. D. M. B. Valentinum miſſæ.*)

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. Joannis Burckardi Mögling.

Obmuteſcentia rara periodica ruſtici.

GEorgius Algeier, ruſticus in pago Jeſingen propè Kirchhemium, munitum Ducatus Wurtembergici oppidum, vitæ & miſeriarum finem tandem invenit, pleuritide 12. Martii 1720. ſublatus; Obmuteſcentia ipſius rarior periodica prolixè deſcribitur E. N. C. Dec. I. 9. Obſ. 183. II. 1. 97. II. 3. 40. 41. & II. 9. 179. & à Mangetto in Biblioth. Med. pract. ac à Bonneto in Med. Sept. pluribus repetitur; quæ hiſce locis tradita ſunt, non attingam, ſolùm minus cognita narraturus: Conveni hunc virum in ſuis ædibus 22. Sept. 1708. & quæ de ipſius probitate, prudentia, vel œconomica peritia, familia ad nutum ipſius obſequioſa l. c. ſcripta ſunt, veriſſima fuiſſe deprehendi; Cauſa hujus obmuteſcentiæ manet obſcuriſſima; Perſona quædam fide digniſſima in diſcurſu mecum habito, veneficio malum adſcripſit, addens mulierem

quandam illius pagi de magia etiam Magiſtratui ſuſpectisſimam ſæpius huic tunc temporis puero novenni hisce verbis maledixiſſe, **daß du verſtummeſt/** & aliquando ipſi nodulos, **Knöpflin/** porrexiſſe, horumque eſum inſecutam fuiſſe mutitatem cum delirio & convulſionibus, ſummisque anxietatibus vid. l. 9. 183. verùm hæc tanquam abſcondita transeant: Ipſe Patiens mihi notatô tempore initium hujus affectus ſic deſcripſit: Fui novennis puer in profluentem cum equo delapſus, ſæpius ſubmerſus, & tandem ope accurrentium extractus, incidi in delirium melancholicum cum variis ineptis geſticulationibus, & periodica obmuteſcentia, ab initio incerta intervalla & differentes omninò, modo longiores, modo breviores paraxyſmos habente, tandem inſtar horologii exactisſima, ceſſante poſtmodum melancholia; Hæc quoq; Domino Paſtori loci M. Joſepho Ludovico Neuffero ultimo vitæ biduo dixit, addens: **laſt mich mit frieden/ die HHrn.** Doctores **haben mich offt faſt zu todt gequälet/ ich kan die Urſach eigentlich niemand ſagen; die Sprach iſt mir ohne Schmertzen vergangen/ und auch ſo wiederkommen;** Locutus tamen fuit extra ordinarium tempus binâ vice febre malignâ (H. 9. 179.) detentus, pauca verba ad liberos. Die 27. Febr. hujus anni mortua ipſi eſt conjux per 37. annos fidelisſima thori ſocia, febre hecticâ ſublata; Die 3. Martii Communioni ſacræ cœnæ, in templo cum magna devotione interfuit adhuc ſanus, inſequente die pleuritide correptus; Primâ invaſionis die circa veſperam, cum liberi de audito horologio ambigui eſſent, clarâ voce diſtincta dixit: **es iſt nicht mehr als ſechs Uhr;** poſtmodum rurſus mutus factus; die quarto morbi circa undecimam meridianam ſermonem recuperavit, reliquô vitæ quatriduô expeditum manentem, parcum tamen, ob dolorem lateris punctorium, & ſoporem multum, gratisſimâ erga Deum mente hoc agnoſcens: ſenſus in-& externos ad ultimum fere vitæ punctum ſalvos habuit; Creatori ſuo animâ commendatâ, & curatâ optimè re familiari, annorum, ſi paucas ſeptima-

ptimanas excipias, ſexaginta ſeptem. Placet huic, prout quoq; reliquis Obſervationibus aliqua loca quadantenus paralela, potisſimum ex ipſis Ephemeridibus ſubjungere: Mutus ab infantia adoleſcens ſedecennis, febre ardente correptus, fari incepit, poſtea promtè & expeditè ſemper locutus. ll.5.app.p.31. Puella ſedecennis ruſtica quater fit muta, ſemper per 14. dies, longiori intervallo loqui potis, venæ ſectione curata. C.III. O.81. Mutus ſemper ſub Novil. puer ex lumbricis, his expulſis reſtituitur ll. 7. app. p. 120. ll. 5. 27. ſch. Pareticus quidam circa novilunium ſummâ loquelæ difficultate laborans circa plenilunium ſemper diſſertus ex Schenckio citatur. Mares longè frequentius mutos fieri & linguæ vitiis obnoxios, quàm fœminas aſſerit F. J. Thiermaier in Obſ. Mutam reddi ſubinde lactantem ob violentiorem ſuctionem infantis ex Diomede Carnario cap. 7. Obſ. Med. allegat idem ibidem. Captivorum in torturâ ſubinde factam obmuteſcentiam cum conjuncto ſopore W. F. Hildanus in Præf. Operis Chirurgici, non diabolicæ arti, ſed nimiæ extenſioni muſculorum, ac afflictioni nervorum recurrentium adſcribit.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. Joannis Burckardi Mögling.

Obmuteſcentia biennis pueri poſt lapſum ab alto curata pilorum in occipite vellicatione.

OCcaſione novellarum Francofurtenſium inſolitæ hujus curæ mentionem facientium, Rev. Dominus Joan. Philippus Zeller piæ mem. Decanus in Meckmühl, affinis meus perdilectus, à me requiſitus ſequentia retulit: Me convenit civis & ſartor hujas Hanß Jerg Arnold unâ cum filio ſedecenni Joh. Jacobo, & interrogatus ſ. m. annuente puero, reſpondit: Puer hic ſedecennis, diſciplinæ impatiens ac piger ſæpius ab illis, quibus pro Tyrone inſerviebat, auſugiens, juſtô Dei judiciô

 prope

prope pagum Schliersheim viæ montanæ (in der Bergſtraß) ab altâ arbore in terram proſtratus, caputque gravius allidens aphonus factus eſt, & manentibus ſalvis ſenſibus in-& externis, geſtibus & ſcriptione ubique auxilium implorans, tandem Ladenburgi, oppido Palatinatus, ubi à Caupone ad ſignum Roſæ paſcendis ovibus adhibebatur, fabrô ferrariô loci pilos in vertice & occipite gravius vellicante, multùm levatus ſonum quamvis inconditum edere & fiſtulæ ſonum imitari potuit, & exacto abhinc ſemeſtri, cum conſervus ſuus curam hanc acerbius repetiiſſet, inſequente fragore, als ob man einen Stecken zerbreche/ vocem articulatam plenariè recuperavit, poſtmodum expeditam manentem; Citatur quoque hæc Hiſtoria im Hiſtoriſchen Bilder-Saal P. VI. S. 2. Cap. 12. p. 342. Monialis citra manifeſtam cauſam aphona facta, ab uſu decocti lignorum cum cephalicis parati, præviô aliquô ſonô in collo vocem ſubitò recuperavit; es iſt mir ein ungewöhnliches Krachen im Halſe geſchehen/ als wann ein geſpañtes Ding von einander berſtete/und in dem Augenblick konnte ich wieder hell und klar reden. Sunt verba ipſius ægræ, III. 3. 112. Juvenis ex febre malignâ aphonus & ſurdus manſit per duos annos ac dimidium, poſt contuſione capitis, verberibus & vellicatione pilorum (adde terrore) feliciſſimè curatus III. 5. 235. Fœmina ex mœrore animi per octiduum aphona, & oculis clauſis in lecto decumbens reſtituitur veſicatoriô mitræ inſtar raſo capiti impoſitô, quô remediô quoque plures poſt febrem malignam facti aphoni fuere levati. III. 9. 101. Hemiplecticus, unà aphonus, reſtituitur adhibitô naribus ſtercore ſuillo, II. 1. 81. Mutus ex percuſſione capitis factus & curatus citatur II. 5. app. p. 31. Puelli quadriennis obmuteſcentia & balbuties, abſque alio ſymptomate ex lapſu in caput orta, epithemate cephalico & pulvere contra lapſum brevi curata. I. 2. 120. Mutus ac ſurdus à nativitate facta contuſione cum fracturâ oſſis occipitis auditum primum, poſtmodum loquelam nanciſcitur. F. J. Thiermajer. I. 2. Obſ. p. 172. Ex contuſione

loque-

loquela per dimidium annum ſublata unicâ purgatione reſtituta legitur ibid.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. Joannis Burckardi Mögling.

Puer ex Nævo materno mutus, auditu bono præditus, nono ætatis anno loqui incipiens.

CAupo ad ſignum cygni, & rei veredariæ Præfectus, Chriſtophorus Gottlieb Schwarz **in Geißlingen**/ nunc annorum 36. & aliquot liberorum factus pater, ab ortu mutus manſit in nonum usque ætatis annum, nullam articulatam vocem præter **eüe/eüe** proferens, cæteroquin optimè ſanus, & præprimis acutô auditu præditus; Comedit aliquando, forſan prima vice, & avidius cancros fluviatiles decoctos, & patri hanc ruſticitatem ipſi exprobranti reſpondit: **Papa mehr!** ſicque initium loquelæ fecit, poſtmodum cum hoc edulii genus ipſi largiſſimè concederetur, expeditiſſimæ; Matri ipſius adhuc gravidæ olim denegabatur cancrorum eſus; Hæc ex ore fratris, Præfecti Sulzenſis, viri fide digni habeo, dubii tamen, an ſeptimo vel nono ætatis anno hoc acciderit. Puella triennis ob denegatum matri gravidæ piſcium eſum nata muta, facta fuit vocalis eſu trium ſundulorum vivorum III. 9. 86. Sic puer mutus novennis eſu truttæ vivæ circiter libralis, quam ſumma aviditate devorabat curatus ibid. Sacerdos quidam ex odore cancrorum à decoctione adhuc calidorum ſemper aphonus factus fuit tamdiu, donec hi rifrigerentur, poſtmodum ſanorum more locutus, hujusque cibi valdè appetens; Causâ itidem imaginationi matris adſcriptâ.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. Joannes Burckardi Mögling.

Mutitas ex melancholia, vel ſimulata ruſtici, 12. annorum.

CHriſtianus Haas, ruſticus pauper, in pago prope Monaſterium St. Georgii in Ducatu Würten. habitans, nunc quinquagenarius, homo robuſtus, & durioribus laboribus adſuetus, jam ante ſedecim annos ex mœrore animi propter deperditas quasdam pecunias ac merces, **hatte mit Butter gehandlet/** primum moroſior factus, parcius loqui cœpit, poſtmodum interjectô biennii ſpatiô planè obmuteſcens, ſicque per 12. annos permanens, mentis cæteroquin compos, & operâ mercenariâ, ut antea, victum quærens, ſenſim tamen quoad preces & cultum divinum tepidior factus, antea diligens ejusdem cultor, lectionis & ſcriptionis tamen expers; Genuit autem hoc mutitatis tempore duos liberos, ac pro ſuis agnovit, verùm nullo modo adigi potuit, ut eosdem è ſacro fonte abluendos Domino Paſtori commendaret, agnatis hoc officio defunctis: Conjugem circa ſynuſiam non ſemper morigeram habuit, procul dubio ſub ſpe extorquendæ loquelæ, edito hujus loco multo ploratu, indignationis animi teſte, aliàs non inverecundus, ſordidus tamen, & barbam promiſſam alens; Excandeſcens ſæpius conjugem & liberos verberavit, nullo verbulo prolato; Terroris erat apud ipſum major efficacia, quo percitus cum vidiſſet liberos ſuos circa boves aratro ſulcantes terram improvidè circumcurſitare, plenis faucibus & alta voce clamavit, **gehet hinweg/** & paulo poſt cum propter inſolitum hunc clamorem boves facti fuerint refractarii, ad eos in ordinem redigendos hæc tria verba protulit: **Hü! es walte GOtt!** liberis eapropter præ lætitia exultantibus, patremque rurſus vocalem factum eſſe matri referenribus; Abhinc verò rurſus mutus per longum tempus nullam vocem articula-

tam edidit, ſolo capitis motu ab- & annuendo, **durch einen faulen Ja oder Nein** / ad interrogata reſpondens; Paſtor Vicarius loci Dominus M. Breuninger, communicato cum Theologis veteranis conſilio ipſum ſæpius quæſtionibus ſacris tentavit, ſemper hoc modò mutum, adæquatum tamen, reſponſum obtinens, exceptis de Opere Chriſti Salvatoris meritorio diſcurſibus quos ceu planè ignotos nullo ſigno reſponſorio dignatus fuit; unde hisce & aliis forſan phænomenis & rationibus motus Dominus Præfectus Joh. Walterus Huber, Menſe Decembri 1719. ipſum carceri incluſit, pedibus per catenas ligatum, ſoloque pane & aqua ſuſtentandum; ſuſtinuit hanc tractationem aliquandiu immotus, poſt frigore graviori circa finem anni irruente devictus, loqui rurſus incepit, & in hunc usque diem expeditè quidem, ſed parcè admodum loquitur more melancholicorum, atque templum & ſacram cœnam rurſus frequentat; Interrogatus, cur mutitatem tam diu ſimulaverit, reſpondit, multam loquelam eſſe levis animi indicium; Hæc ex relatione nominati Vicarii Breuningeri, Viri candidi 4. Martii 1720. facta. Terroris qui morbos quandoque curat, ſæpius tamen cudit ac infert, efficacia pluribus docetur III. 9. 56. 57. Mutum Crœſi filium terror de periculo paterno vocalem fecit; Puellæ decenni per 7. annos ex variolis mutæ loquelam reddidit terror ex tonitru. II. 1. 38. aliis cauſa fuit aphoniæ ſecundum Obſervationem ſequentem.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. Joannis Burckardi Mögling.

Obmuteſcentia à viſo ſpectro duplici.

Ludimagiſter in pago Oberbercken præfecturæ Adelbergenſis in Ducatu Würtemb. Leonhardus Nuſſer, unà ſartor, in officio diligens, annorum 53. temperamenti melancholici 7. Febr. 1720. filium ejusdem profeſſionis in pago proximo, hora

hora ab hoc diſtante, degentem viſitat; in via ex cauſis œconomicis ſubtriſtis in domo filii capitis dolore correptus per horæ quadrantem grabato incumbit, poſt parum de ſpiritu vini bibit, & aliquandiu cum filio in ludo literario commoratur, precando ac cantando tempus ducens; Appropinquante veſperâ domum properat, & propè villam Fliegenhoff / ſylvam pertranſiens propter occurſum duplicis ſpectri ſummopere perterrefit; Primum ſub forma viri nigri pedibus deſtituti apparens contrectando ſua glaciei inſtar frigida ſiniſtram ægri manum chirotheca munitam, diſſuadet preces & frequentationem templi, ſpe facta ingentium divitiarum, & cum hic abnueret, illum afflat, diſparet, mutumque confeſtim reddit; Proſequenti poſt cum ſumma anxietate iter ſuum per 50. paſſus aliud occurrit ſpectrum ſtolâ candidâ amictum, magnitudine pueri ſexennis ſalubrius ad preces & pietatem exhortans & gratiam divinam reſtitutionemque loquelæ exacto menſis ſpatio ad hunc locum redituro promittens, atque per 92. paſſus ipſum concomitans; poſtea quoque diſparens, illo tremebundo tandem domum reversò ac hiſtoriam hanc ſcripto notante Superioribus tradendam; Manſit autem mutus in hunc usq; diem nunc ferè per bimeſtre; quicquid etiam Medicus, Exc. D. D. Jäger Phyſicus Schorndorffenſis pro ſpirituum ex terrore perturbatorum compoſitione, communicato quoq; mecum conſilio tentaret, V.S.ne, emetico, antiſpaſmodicis, ſuffitu cum inſpiratione excipiendo, veſicatoriis, cæteroquin ſanus, nullum ſonum proferre potis, præterquam ſcreatum. Afflatum, attactum, atq; alloquium ſpectrorum hoc reverâ factum, vel imaginatione conceptum, vel ex malitiâ commentum fuiſſe, dubium; Ultimum adeoque ſimulatam obmuteſcentiam credere vetat viri vita anteacta ſatis inculpata; Imaginationem apud melancholicos & meticuloſos plurimùm valere indubitatum eſt; Bina exempla fœminæ cæteroquin præſentisſimi judicii videntis imagines lictorum, homines in ſua Camera ſuſpendentium, & juvenis ranas, ſerpentes, buſones, alia-

que

que inſecta magno numero per Muſæum reptantia videntis allegat Cel. Elias Camerarius Epiſt. Taurin. p. *6.* & *7.* ſicque multas de ſpectris hiſtorias falſas eſſe ſuſpicari licet; Eadem tamen omninò negare eſt, ſacræ Scripturæ contradicere III. *7.* app. p. 127. Fœdam & cruſtoſam manuum ſcabiem, elephantiaſin referentem, reliquo corpore ſano, & conjugem liberosque nec quicquam inficientem, ante triennium ruſticus ex pago Würtemb. Illingen Johannes Hub nomine, Celeb. Lentilio mihique monſtravit, huc usque incurabilis, ſpectrum nocturnum ipſum contrectans pro cauſa habens; Nocturna ſpectra afflatu & attactu nocere aſſeritur III. 5. 101. p. 210. & ſæpe manus, ligna, lintea, quæ contrectant, nigrore inficere III. 7. app. p. 59. tumoremque inferre I. *6.* 18. Afflatus tepidos noctu præſertim tumores malignos excitare II. *9.* app. p. 468. Auram venenatam pluribus militibus cætera ſanis aphoniæ cauſam fuiſſe, poſtmodum emeticis & venæ ſectionibus curatis legitur III. 4. 8. Puer ſedecennis ex terrore & veneficio aphonus & ſurdus factus, curatus Eſſentia & balſamo Hyperici compoſito traditur. III. 2. 16*9*. ſingulare exemplum ſtuporis univerſalis & aphoniæ lethalis in milite ex terrore, exacto 25. dierum tempore defuncto videri poteſt I. *9.* 18*6*. Immò ex terrore propter viſum perſonatum quendam virum, ſpatio ſeptem horarum puellam fuiſſe demortuam III. 3. 2*9*.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. Joannis Burckardi Mögling.

De fœtu per 46. *annos in utero detento.*

COmmunico rariorem caſum oſſificationis chorii & fœtus ſemiſecli ſenis, ſcilicet per 4*6*. annos in utero materno abſque corruptione detenti. Undecimo enim die Martii An. 1720. in pago Leinzell, ad Nobiles de Lang ſpectante, prope

Gmündam Suevorum demortua fuit vetula 94. annorum, Anna Müllerin, & poſt mortem à duobus Chirurgis Heubacenſibus, ſocero ac genero, aperta, quod ſe jam à 46. annis fœtum in utero geſtare, quidquid contradixerint alii, conſtantisſime aſſeruiſſet; jam olim debito tempore & motum infantis, & conamina partus admodum dolorifica, quanquam irrita, per integras tres ſeptimanas perpeſſa. Peperit poſtmodum ſucceſſive alios duos infantes, maſculum ac femellam, ambos adhuc in vivis, illum quidem venatoriam artem Biſchoffshemii exercentem, hanc ex occaſione invaſionis hoſtilis militi Gallo nuptam, nunc in Galliis degentem. Repertus autem fuit in utero hujus feminæ globus rotundus totus oſſeus, octo librarum civilium pondere, globum majorem conorum adæquans, **einer groſſen Kegel-Kugel gleich**/ fundo uteri mediante quadam carnea tunica adnatus, & in illo, vi adhibita aperto, fœtus humanus carne, cute, osſibus, funiculo umbilicali præditus, non putridus, ſexus virilis, & juſtæ fere magnitudinis. Veritatem hujus hiſtoriæ conteſtabuntur D. Joannes Chriſtophorus **von Lang**/ centurio Suecicus, Dominus loci, & D. Joh. Mich. Weber, Paſtor ibidem. Adfuerunt quoque Scabini, duo teſtes, Georg. Gelinck, & Blaſius Hartel. D. 20. Martii hic globus cum contento ſuo Medicis Stuttgardienſibus primum, poſt pluribus aliis perſonis, præcipue Serenisſimo Duci ad ſpectandum exhibitus, & ex hujus mandato ad D. D. Zellerum, t. t. in thermis ferinis commorantem, ut illum pro ſua qua pollet peritia anatomica accuratius examinaret, Tubingamque deportatus fuit; ut de hiſtoriæ, quam ex originali, ut vocant, fidelisſime extraxi, veritate dubitare minime liceat. Occurrunt quidem circa illam adhuc dubia quædam; primum ratione ætatis defunctæ, quæ non adeo certa eſt, ſcilicet nullo teſtimonio publico comprobata; nam quinquagenariam adhuc parere, rarius contingit; interim tamen decrepitam fuiſſe vetulam ſatis conſtat: Alterum, an in cavo uteri hæſerit hic tantæ molis tumor, procul dubio novam, & quidem binam conceptionem,

quæ

quæ tamen facta eſt, impediturus, vel ſaltem partum eorundem ſecuturus? Annon potius in altera tuba Fallopiana (ſiniſtra forſan, quia effato Chirurgorum ad ſiniſtrum latus deflectebat tumor ventris in demortua,) fuerit detentus hic conceptus, ſenſim creſcens, & poſtea propter molem exitu fruſtratus, demortuus, & obrigeſcente pedetentim in oſſeam duritiem chorio à putredine defenſus? Dolendum ſane hanc ſectionem non peregiſſe Medicum doctum, Chirurgis hisce anatomiæ plane expertibus facile pro utero per ætatem & propter viciniam grandioris tumoris tantum non obliterato imponere potuit turgida atque hoc fœtu prægnans dicta tuba Fallopiana.

(Stuttgardia Auguſtam Vind. d. 6. April. A. 1720. miſſæ.)

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. Joannis Adami Limprechti.

De notabili cura in diverſis corporis partibus, præcipuè in hepate, cum amiſſione magnæ ejusdem ſubſtantiæ vulnerati feliciter peracta.

AUguſtus Kochius, ultra viginti annos per Belgium, Angliam & Germaniam pedeſtrem ſecutus militiam, in exercitu Serenisſimi Regis Borusſiæ officio militari fungens, temperamenti bilioſo-ſanguinei, paucisſimis ægrotationibus, plurimis militaribus moleſtiis obnoxius, in zythopolio Steinfurtenſi, quinque circiter milliaria Berolino, unum Neopoli Eberswaldenſi disſito, die menſis Martii quinto, horâ quintâ veſpertinâ, Anno Chriſti 1715. ætatis ſuæ trigeſimo nono, ab adverſario inter pocula, enſe largo, diversè læditur.

Primò, cæſim frons ejus, circa ſupercilium oculi ſiniſtri, vulnere palmam longo.

Secundò punctim femur ſiniſtrum, non procul ab articula-

tione cum oſſe coxendicis, læſione verſus inguina, octavam ulnæ Brandenburgicæ partem profunda.

Tertiò Epigaſtrii latus dextrum transfoditur, ita, ut mucro gladii in latere tergi ſiniſtro inter tertiam & quartam coſtam ſpuriam, quando ab infimis aſcendendo numerantur, à ſpinâ dorſi manus latitudine diſtans apparuit. Vulnus, ab ipſo vulnerato in fervore defenſionis ſuæ conſtituto, per eandem, qua intruſus eſt viam, gladium ſine mora, non tamen absque violentia retrahente nimiò plus ampliatur, imò exaſperatur, & ſimul ſiniſtræ manus pollex cum tribus eum ſequentibus digitis ſauciatur.

Hoc poſtremo ferè fortitudinis niſu exantlato, nimiâ hæmorrhagiâ debilitatus in terram concidens, ſe totum iracundiæ inimici exponere & ultimâ vice puncturam tantò impetu contra os ſacrum, enſis cuſpide adactam, ut integrum etiam corpus in terram collapſum loco ſuo protruſum fuerit, nate ſiniſtra excipere cogitur, unde dolor acerbisſimus originem duxit.

Viribus hac ratione exhauſtis in mactra ſemianimis domum portatur & ſtraminibus, in quibus magnam adhuc ſanguinis perdit copiam, ſequenti vero die lecto imponitur, ex quo, non niſi quartâ demum ſeptimanâ ſurrexit.

Chirurgus Neopolitanus per triduum ipſi asſiſtens vitæ periculum patienti imminere judicat, à cujus ſententiâ, vix ac ne vix quidem, primo intuitu diſcedere auſus fuit alter Chirurgus, Joannes Paulus Backhuſins, Torgavienſis Saxo, Neo-Angermundenſi præſidio militari obſtrictus, ad ægrum vocatus. Nam de tali, qui tantis vigiliis, hæmorrhagiâ, ſiti, doloribus internis æque ac externis, abdomen duritie & tumore conſpicuum ne digiti quidem extremitate leviter attingere concedentibus, exagitatus erat, accedente febre cum delirio nocturno vulneraria, aliter ſentire hærebat.

Spes

Spes tamen aliqua affulſit, poſtquam ex applicato epithemate, peracto viginti quatuor horarum ſpatio, abdominis tumor, durities & dolor remiſerunt, appetitus etiam nondum dejectus, neque vomitus, neque membrorum convulſio ulla fuerunt obſervata.

Interea, non contemnenda annotabantur ſymptomata ſequentia:

Frequentiores, ad decimum numerum per unum diem aliquando aſcendentes, liquidisſimarum fœcum alvinarum involuntariæ dejectiones quotidianæ, coloris ex flavo virideſcentis, odoris dulciculi, à primo læſionis die ad octavum continuanres.

Intolerabilis ferè in urethra ardor ſæpius recurrens ad nonum diem durans.

Tusſis motu ſuo ſat violento ſauciatum indeſinenter exercens.

Vulnus in Epigaſtrio putredinis fœtorem die quarto, quinto liquorem ex viridi flaveſcentem, ſaporis acris & amari, tantâ copiâ emittit, ut poſt trihorium linteamina decies reduplicata ei ſuperimpoſita, unà cum faſciâ, quâ firmabantur, penetraverit, & Chirurgus eo ipſo die deligationem non tantummodo ter renovare, ſed & eundem deligandi ordinem per quatriduum toties reiterare coactus fuerit,

Ex poſteriore vulneris hujus orificio, ejusdem coloris, magis ſalſus, quantitate minor per biduum adhuc oleaginoſus prodit fluxus, quem tertio die ſubſequitur peregrinum quoddam digiti minimi latitudine longum fruſtulum, ita corruptum, ut cujus fuerit ſubſtantiæ, à Chirurgo, tempore matutino, quo in conſpectum venit, illud reſcindente, non amplius agnoſci potuerit.

Hora ejusdem diei ſecundâ pomeridianâ ægrotus ex inſperatò melius ſeſe habere incipit, tusſis, quâ ante paucas horas vehementer adhuc afflictus erat, ceſſat, dolor maximè mitigatur, reſpirationem longè liberiorem ac antea ſentit, vulnus

à turundâ ſecundum ejus opinionem nimis longâ non ulterius irritatur, humiditatem inſuper ſolitâ majorem exterius in faſciâ animadvertit, quare deligationis reſolutionem poſcit.

Chirurgus, dum voti ſui compotem facere vult decumbentem, in induſio ejus ſtatim ingentem invenit copiam ſanguinis calidi fluidi floridique, nullo cum humore alterius coloris mixti, non minorem congrumati in ultimo linteamine, emplaſtro autem adhærentia filamenta, vulneri in ultima deligatione ſummo ſtudio indita, quibus appoſitum eſt fruſtum aliquod cruentum, palmam longum, in medio ejus digiti minimi craſſitie præditum, circa peripheriam tenuius. Hoc ad ſextum usque Aprilis in ſpiritum vini camphoratum infunditur.

Fugatis plerisque ſymptomatibus, tuſſi exceptâ, quæ, referente Chirurgo, multa quidem nec rubicunda tamen nec flava cum excretione apparuiſſet, revaleſcens, comite Backhuſio, Neo Angermundam, quatuor ferè milliaria Steinfurto diſtantem, curru iter ſuſcipit die vigeſimo Martii nono, quo motu tuſſis exacerbatur & ſputa obſervantur purulenta.

Urina ab initio morbi ſemper male olens, trigeſimo hujus menſis craſſa magis magisque flava doloribus in hypogaſtrio gravativis, octiduo elapſo, diu exoptatam imponit finem.

In hac memorata urbe die nono Aprilis, ex chirurgo pariter ac vulnerato, cum quibus per aliquot horas hac de re collocutus ſum, hæc omnia hauſi à me hunc in ordinem digeſta.

Prior offerebat judicio meo fruſtum illud majus, in emplaſtrum dorſo impoſitum, die morbi quinto ex vulnere extruſum, in ſpiritu vini camphorato hactenus conſervatum, quod hepatis ſubſtantiam eſſe affirmabat, cujus ſententiam, ambabus ut dicitur manibus amplexabar, poſteaquam particulam ejus ollæ immiſeram & cum aqua fontana coxeram, genuinum enim jecinoris Parenchyma unicuique obiter ſaltem oculos ſuos in coctam conjicienti exhibebat.

Poſterior ſe ſanum profeſſus eſſet & incolumem, niſi ſudor acidum graviter odorem ex eduliis & potulentis calidis

aug-

augmentum capiens, ab octavo læſionis die, ad præſentia usque tempora, totum ejus corpus moleſtia quadam continua affeciſſet cum reſtante tuſſicula.

Triennio poſt, Berolini in plateâ Regiâ, fortè mihi occurrit priſtinæ ſanitati reſtitutus Kochius, & munere ſuo militari, non tantum absque ullo impedimento jam per magnum temporis ſpatium ſe functum, ſed &, cum in Pomeraniâ Stralſundenſes aggeres oppugnandi fuiſſent, virum ſe præſtitiſſe nulli ſecundum ſanctè teſtabatur.

Eodem tempore in hâc Marchiæ Brandenburgicæ Metropoli vivebat Profeſſor in Academiâ Viadrinâ Medicinæ Primarius, Nobiliſs. Dn. Bergerus, Fautor meus non è multis, cum caſum hunc ipſi enarraſſem, deſiderabat ut ſanatum ad eum adducerem, quem, ut eò magis raræ hujus obſervationis veritas inclareſceret, unà cum accepto vulnere oculis, manu & linguâ propriis pro lubitu examini curioſo ſubjecit.

(*Berolino Auguſtam Vind. d.* 17. *April. A.* 1720. *miſſa.*)

OBSERVATIO L.

Dn. D. Antonii Valliſnerii.

Urina per os excreta, & ad antiquas vias Mercurio revocata.

PUellæ decem & octo annos natæ, temperamenti calidi, & humidi, ex improviſo ſuppreſſa eſt urina ſine ullo in pectine dolore. Poſt varia tentamina tandem percepimus morbum in renibus, non in veſica latere. Decem transactis diebus ſupervenit ſeroſæ materiæ vomitus, colore, ſapore & odore urinam redolentis, cujus indolis ſalivam quoque exſpuebat. Plurima præſcripta interna, & externa remedia, quibus tandem nihil juvantibus, tanquam in deſperato caſu, in quo melius remedium anceps, quam nullum, flores Caſſiæ cum Mercurio dulci,

dulci, deinde Mercurium vivum cnm terebenthina Veneta non lota præſcripſimus, renesque pariter cum unguento mercuriali inunximus, ex quo, DEO dante, & favente fortuna, renalibus apertis tubulis liberrimè in poſterum minxit. Non ita contigit nobili Venetæ Matronæ, cui non præſcripto Mercurio, poſt ſexdecim dies febris ardens, deinde mors ſupervenit.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. Antonii Valliſnerii.

Empyema per urinam ſanatum, præſcripta Mumia, Corallis & Terebinthina.

VIr vulneratus in pectore factus eſt Empyematicus. Plura incaſſum tentata remedia; tandem Mumia pulv. unà cum Corallis, Terebinthina in bolos redacta ad renum tubulos purulentos ichores truſit, ita ut qualibet die plurimi fœtentes apparerent in matula. His ſubſecuta ſunt filamenta cum ſanguine, ut quando ulcus deterſum ad cicatricem revocatur, quibus tandem ceſſantibus, additisque potionibus vulnerariis perfectè ſanatus eſt.

OBSERVATIO LII.

Dn. D. Antonii Valliſnerii.

Lapilli raræ figuræ, rarique coloris per umbilicum excreti.

MUlieri pauperculæ ſeptuagenariæ obortus eſt tumor in umbilico, qui tandem poſt duas hebdomadas circiter, null adhibito remedio ſuppuravit. Plurimâ ſanie primùm excuſſ ſubſecuti ſunt lapilli, quorum unus grana xv. ponderans ad m delatus. Baſis ejus convexa eſt, ex qua anguli quatuor aſſur gunt, quorum planum rubicundo colore infectum, fibriſqu nor

nonnullis ſaturatioris coloris, Diaſpri adinſtar reſperſum apparet, cujus in plano inter duos angulos ſanguinea crux nitidiſſima viſitur. Fractus, corticibus lamellatim diſpoſitis efformatur. Alios deinde calculos, fere conſimilis figuræ, ut referunt, excrevit, putridæ materiæ immixtos, quibus tandem ceſſantibus, absque ullo Medici auxilio ſanata eſt, adhucque incolumis vivit. Videant nunc Chirurgi, an ſæpenumero ſola ſapiens natura concoquat, maturet, expellat, & ad cicatricem partes ſolutas reſtituat.

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. Antonii Valliſnerii.

De ſtella marina diſcoide, aliisque marinis.

CUrioſa admodum res eſt, quod fructus marini, ut ficus, cucurbita, ſemen ſuum terreſtribus prorſus ſimile habeant. Quando fructus maturuit, cortex dehiſcit, quædam foramina aperiuntur, exitumque ſeminibus concedunt, quæ in aqua, quaſi ab intrinſeco motore moventur, tandemque in fundum deſcendunt, ac ſuper lignum, conchylia, lapidem, aliasve res ſe demittunt, ubi adhærent & creſcunt.

Quod Veteres variis rebus, & ſpeciatim marinis, nomina male impoſuerint, nullus dubito. Circa zoophyta aut Plantanimalia non credo, ſpongias talia eſſe. Plantas quidem eſſe concedo, verum non præditas anima ſenſitiva, ſed ejus tantum generis, qualis eſt mimoſa, quæ manu tacta, folia ſua contrahit, qui tamen motus non eſt motus ſimilis illi animalium motui. Numero autem zoophytorum omnia illa animalia inſero, in quibus ventriculum, cor, & alias partes internas animali neceſſarias videmus, quæ aliquantulum moventur, & poſtquam in locum aliquem ſe defixerunt, ſemper ibi adhærent.

Mentula marina non ita adfigitur, ſed inſtar Sepiarum, Polyporum, Echinorum, Stellarum marinarum &c. vivit.

Nimeſius, Celebris Philoſophus, & ipſe in numerum zoophitorum reponit Pinnos, Urticas, & omnia alia dicta animalia, quæ vivunt, & motum, exiguum tamen localem, aut fere nullum habent, dum vivunt ſe movent, & in eo ipſo loco moriuntur, cui ſe primo adfixerunt & implantarunt.

Noſter Dn. Zanichellus nuper mihi zoophytum miſit, obſcœno vocabulo Potta marina, ſive Vulva marina dictum, quo de Donatus in ſua deſcriptione littoris Veneti agit, nullam tamen deſcriptionem, neque figuram hujus animalis, myſterioſi nomine ab ipſo inſigniti, ſuppeditans. Totum transparens eſt, inſtar glaciei,& conſiſtentiam albuminis ovi ad duritiem cocti obtinet. Hoc à me anatomiæ ſubjectum, ex diſco magno, in diametro palmum ſuperante, compoſitum inveni, qui inferne totus quaſi planus & æqualis eſt, ex altera autem parte vel ſuperne rugoſus omnino cum variis transverſis ſtriis in circumferentia; quæ in fimbrias quasdam cœruleas elegantisſimas transparentes terminantur. Diſcus à circumferentia ſenſim craſſeſcit usque ad centrum, ubi plus quam pollicarem crasſitiem oſtendit.

Ex centro calix rotundus plusquam quatuor digitorum altitudine exſurgit, ad cujus latera in baſi quatuor inſignia foramina, ori aperto ſimilia videnrur, in crucis formam deſinentia; ab extremitate ejus octo longi pedes, in modum cujusdam ſtellæ marinæ, bini & bini prodeunt. Verſus baſin pedum horum prope crucem ad utrumque latus duæ parvulæ alæ, & ita numero ſedecim locantur, nec non porro ulterius aliæ duæ alæ juxta quemlibet pedem, usque ad principium cujusdam quaſi digiti, priſmatis figura, coloris transparentis cœrulei, ex quo veluti ex aliqua commiſſura quædam unguis carnoſi rotundi & longiusculi, figura Satyro marino Donati ſimillima, ſpecies exit. Inſuper ille unguis colore cœruleo pellucidisſimo, guttulis aquæ conglaciatæ, quæ per hyemem

à tectis

à tectis ædium dependet, ſimilis exiſtit. Et hæc eſt externa piſcis hujus figura.

Interius cavitas adeſt, quæ baſin calicis circumdat, & æqualiter fauces quatuor aperturis in forma oris aperti, quaſi ſemicircularis figuræ largitur. A ſingulis hisce aperturis tres tubuli procedunt, qui in circumferentia diſci terminantur, atq; aëre & aqua pleni adparent.

Interne verſus centrum alia quædam cavitas occurrit, quæ tunica cingitur duas cavitates ſeparante, atque ex tubulis perpluribus albicantibus compoſita, qui, uti mihi videntur, vaſa ſunt ſpermatica; in fundo materia lubrica viſcida flaveſcente excurrente; quæ, ſi non fallor, lac eſt & ovarium hujus animalis. Cavitas hæc interior usque ad medietatem calicis pertingit, à quo octo tubuli prodeunt, ad pedes pertingentes, & in apice unguis carnoſi jam deſcripti terminantur. Alia organiſationis internæ nota obſervari nequit; ſiquidem, quamvis tota illa moles ſit organica, nihilominus propter ſubtilitatem, teneritudinem, & transparentiam fibrarum, difficilime, bono etiam cum microſcopio, compoſitio ejus detegitur, ſubtilisſima tamen in tubulis tunica, egregie efformata, & ſimilis illi, qui vitellum ovi involvit, cernitur.

Piſcis hic, ni fallor, ſolum ab aqua pura inſtar plantarum & aliorum animalium marinorum, nutritur. Stellam marinam diſcoidem nominarem, quæ hucusque, quantum ſcio, nondum fuit deſcripta. Extra aquam idem piſcis mox diſſolvitur & conſumitur; verum in aqua marina per aliquod tempus optime conſervatur. Obſervavi ab attactu hujus animalis in manibus meis quaſi pruritum aliquem, veluti ab Urtica, ſed leniorem produci, & manibus poſtea cum ſapone & urina ablutis, poſt biduum ſine alio damno ceſſare.

Figuræ à me delineatæ explicationem, melioris cognitionis ergo, ſubjungo:

a. a. a. a. Corpus diſci, quod ultra tertiam partem pedum porrigitur, totum rugoſum, & interne tubulis concavis ple-

num, intus planum, & cujus circumferentia ſpeciem aliquam fimbriarum elegantisſimi cœrulei coloris refert.

b. b. b. b. Quatuor oſcula, aut foramina inſtar oris, quæ caput in cavitatem immittunt, quæ intus calicem centri in animali circumdat.

c. c. c. c. &c. Tubuli numero duodecim, qui ab extremitate circumferentiæ diſci procedunt.

d. d. d. d. Calix, qui circa baſin centri rotundus eſt, & altitudine quatuor pollicum in formam crucis dividitur.

e. e. e. e. &c. Octo pedes, qui bini & bini ab extremitate crucis exeunt, atque animali figuram ſtellæ largiuntur.

f. f. f. f. &c. Sedecim parvæ alæ, quæ verſus baſin pedum junguntur, & animali pro calice una cum diſco vertendo inſerviunt.

g. g. g. g. &c. Sedecim alæ majores pedum, quæ ad baſin corporis ſub digitorum ſpecie, figura priſmatis, terminantur.

h. h. h. h. &c. Digiti pedum priſmatis figura, & coloris cœrulei transparentis.

i. i. i. i. &c. Ungues rotundi, longiusculi, carnei, & ejusdem cum digitis coloris admodum transparentes.

k. k. k. k. Interni tubuli, qui per animalis transparentiam clare conſpiciuntur.

l. l. l. l. Puncta hæc locum vaſis tubiformibus albicantibus plenum monſtrant, qui intus calici & diſco adfiguntur; in cujus fundo ſpecies illa lactis flaveſcentis cernitur, quam ovarium eſſe arbitror.

(Obſervationem hanc Illuſtr. Valliſnerius è diverſis Exc. D. Ludovici Bourguet, Medici Veneti literis ad ſe A. 1713. ſcriptis excerptam, nobis communicavit.)

Vid. Tab. IV.

OBSER-

TAB. IV.

ad Cent. X. Obs. LIII.





ad Cent. X. Obs. XCVI. Fig. I.



ad Cent. X. Obs. XCVI. Fig. 2.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

OBSERVATIO LIV.
Dn. D. Georgii Liebknecht.
Sirii gibboſi brevis recenſio.

QUantumvis per elapſam hyemem non adeo multos dies atque noctes Obſervationibus Aſtronomicis aptas habuimus, nihilominus tamen nuperius d. 17. Febr. & 1. Mart. viſæ luculæ boreales, quarum ſpecialem quoad omnia heic Gieſſæ obſervata phænomena recenſionem dedi, integram fere regionem ſeptentrionalem iſtiusque incolas excitarunt. Unde & nullus non dies & nox me ipſum imparatum habuit; & quia egregium Aſtronomiæ ſtudium maximè ornat & juvat curatior, etiam ſpecialiorum, phænomenorum recenſio; ideo jam nemo mihi vitio vertet, ſi ſpecialiſſimam heic apparentiam dabo, quam ipſe ob raritatem miratus ſum. Ut vero Aſtronomum nihil magis decet, quam fidelis cujusvis obſervationis recenſio: ita ſpero, neminem tam imprudentem fore, qui vel ullam inde levitatis ſuſpitionem in me, nihil inde commodi aut incommodi ſperantem, ſtatuat, vel teſtes, quotquot adfuerunt & intuiti ſunt, falſitatis incuſet. Fiebat nimirum, ut ex prædictis cauſis d. 20. Febr. an. curr. 1721. Obſervatorium noſtrum aſcenderem una cum nonnullis meis Auditoribus, rerum Aſtronomicarum non adeo imperitis. Et quia præteritis diebus diſtantias minimas nonnullarum ſtellarum in Orione ſumſeram, nunc in eo eram, ut iſtarum ulterius examen inſtituerem, cum eodem tubo & Micrometro recens adplicato, an ſcilicet iſtæ ſe rite habuerint? Interim miratus valde ſum nebuloſam in Orione à D. Bayero litteris λ. φ. ſignitam quoad tria corpora à celeb. Dn. Doppelmejero, amico meo & Collega noſtro honoratiſſimo, litteris a. b. c. indicatis ob claritatem. Unde inſimul tempus valde commodum, & tubi bonitas colligenda; eſtque hic parum ultra ſextum pedem longus. Poſteaquam vero Auditores ſat diu ſpectaſſent nebuloſum, mox

iſtorum unus me inſcio inſtrumentum verſus Sirium direxit, & poſt brevem moram ex me quæſivit, quid ſibi velit tam notabilis in hoc corpore inæqualitas? ego inſtrumento accedens eandem mox in corpore Orientem verſus ſtellulam 1. & Occidentem vidi, ibi tamen majorem, quam heic, & iteratis vicibus vidi, ut ideo Sirii in tubo hoc Aſtronomico vel ad mutatas adperturas ſemper gibboſus nobis adparuerit, quem tamen ob deſtinatos alios labores ulterius proſequi haud valui, ſed ad aliam occaſionem reſervavi.

OBSERVATIO LV.

Dn. D. Joannis Adami Moraſch.

De Cataractæ Natura & Viſione per oculos, Cryſtallino penitus deſtitutos.

QUatuor jam abière anni, ex quo vir nobilis, ſeptuagenariô major, hic Ingolſtadii Cataractæ operationem in utroque oculo admiſerat, tam auſpicato quidem & felici ſucceſſu, ut in hodiernum usque diem (29. Aug. 1720.) qui Ipſi ſupremus fuerat, omnia objecta, etiam ſine vitri adminiculo, ſatis dignoſceret, ac ſolus ſine comite omnes domus angulos oberraret, ad munia ſua obeunda cæterum quoque habilis, niſi quod, armatô licet oculô, legendis formandísque litteris jam non amplius viſu ſufficeret, nec acute videret. Hoc igitur viro defuncto, mentem mox ſubiit celebris illa hodie de Cataracta controverſia, quæ Gallos non modo, ſed & Germaniæ noſtræ Anatomicos & Chirurgos acerrimè invicem commiſit, quamque famigeratiſſimus Heiſterus ex Regia Scientiarum Academia Pariſienſi aliisque tractatibus collectam, & pro more ſuo in elegantem ordinem redactam Orbi Litterato eruditè propoſuit, ſolidiſſimè decidit ac ſtrenuè propugnavit. Dudum etenim ſecandi oculos, cataractam patientes aut perpeſſos, mihi calor inſederat; ut ſic ipſe coram intueri & periclitari poſſem,

ſem, num pellicula quædam in humore aqueo ſubſit, quæ viſivas ſpecies ſeu luminis radios per corneam trajectos ab ulteriore ad retinam itinere præpediat; vel an ipſe cryſtallinus humor p. n. opacitate vitiatus cataractam conſtituat: & per conſequens an hic, vel pellicula quædam mediante acu è ſua ſede deprimatur, quando Ophthalmicus Cataractam operatur? Aſſumo ergo mecum duos Medicinæ ſtudioſos, Chirurgum hujatem Andream Grebel, &, qui fortè fortunâ advenerat, Joannem Georgium Falck Operatorem Noricum, cum fratre ſuo uterino Günthero; atque ita in eorundem omnium præſentia utrumque demortui oculum eruo & ſeco, ac in neutro quidquam pelliculæ ſeu cuticulæ p. n. reperio: imò (quod omnes vehementer mirati fuimus) nec humorem cryſtallinum, aut minimum ejus veſtigium, utrobique invenio; vitreo exiſtente integro & illibato; qui in utroque pariter oculo ſinum, quo cryſtallinum naturaliter excipere ſolet, eleganti ſpectaculo exhibuit, ſicque in meridie evidenter monſtravit, per operationem cataractæ, ante quadriennium inſtitutam, deturbatum exinde & ſede ſua depulſum fuiſſe cryſtallinum, eundemque ſucceſſu temporis penitus conſumptum & obliteratum; utpote nutricatus beneficio deſtitutum, & vitæ cum reliquis oculi partibus communione orbatum. Quæ obſervatio recenti de Cataracta doctrinæ haud parum fœneratur luminis ac veritatis.

Illud hic notandum judico, ordinarium eſſe ſi non perpetuum, ut, quibus ſuffuſis per acum viſus reparatus fuit, minutiora tamen objecta haud diſtinguere, ſicque nec legere nec ſcribere valeant; cujus ratio in novæ de Cataracta hypotheſeos principiis ſatis mihi eſt perſpicua; quandoquidem depulſo è ſua ſede cryſtallino, uſus ejus ceſſat in oculo, qui fuerat, ut radios objectorum microſcopii inſtar uberius colligat, ſicque minuta quoque obtutui noſtro ſiſtat. In antiquo vero ſyſtemate neſcio an hujus phænomeni ratio ita ſit in expedito; pelliculâ enim per acum è pupillæ pomœriis ſemotâ, quid eſt, quòd viſûs non redeat prima acuties, ſi nullum tamen vitium

in cryſtallino, nullum in vitreo, per cataractam notetur? Colligo hinc, annitendum eſſe, ut pro ejusmodi hominibus, operationem cataractæ expertis, vitrum lenticulare majus confici valeat, quod ſuppleat cryſtallini ablati vices; quale illud ferè eſſe videtur, quod Galli *la loupe* vocant, & bono cum ſucceſſu aliquando hunc in uſum adhibitum fuiſſe lego in Hiſtoria Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſis.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. Joannis Adami Moraſch.

De calculo veſicæ, mictus cruenti grumoſi, chronici & lethalis causâ.

VIr Nobilis, *69*. annos natus, & conſulari dignitate noſtrâ in Urbe inclytus, à pluribus annis miſerè conflictabatur cum mictu ſanguinis copioſi, nunc fluidi, frequentiùs verò grumoſi, ſilente quidem per corporis quietem, ad quamvis autem commotionem paulò majorem recrudeſcente; ſubinde etiam lapillorum excretioni junctô; ſenſit inſuper in regione pubis dolorem identidem gravativum, per motum & concuſſionem corporis levi negotio exaſperabilem, latentis in veſica calculi indicem haud obſcurum. Ultimis vitæ menſibus ingraveſcebat malum, cruor per urethram reddebatur quaſi continuus, grumoſus & copioſus: quin tandem etiam per alvum excernebatur, cum dejectione appetitùs, ſiti inexplebili, corporis extenuatione, aliisque anæmiæ ſymptomatibus; quæ tandem, omnibus auxiliorum generibus nequicquam in uſum vocatis, mors excepit hoc anno currente, die 28. menſis Auguſti, aliàs noſtratibus, præprimis ſenibus, anguſti. Sectio cadaveris oſtendit ſyſtema venoſum & arterioſum omni prorſus exinanitum ſanguine: veſicam econtra urinariam, eodemque grumoſo, admodum repletam; in qua calculus, ℥iij. ʒiß. pendens, hærebat, nonnihil ultra ejus collum, dextro in latere;

medi-

mediante fungoſa carne adnatus, ſub vitæ terminum veſicam unà cum inteſtino recto perforans; Ut igitur hæmorrhagia veſicæ & mictus cruentus iſte chronicus ac lethalis calculo huic (dum nempe per corporis commotionem à carne illa fungoſâ & veſicâ ſubinde nonnihil avelleretur) natales ſuos in ſolidum debuerit; renibus utpote, ureteribus, reliquisque interaneis corporis absque noxa inventis.

Vid. Tab. VI.

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. Joannis Adami Moraſch.

De Oſteocele ſeu Herniâ ſcrotali oſſificata.

QUandoquidem à diverſis, quæ hernioſos in ſcroto tumores inducunt, rebus diverſa iſti ſortiuntur nomina, atque ita ab inteſtino in ſcrotum prolapſo *Enterocele*: ab omento *Epiplocele*: ab excreſcentiâ carnea *Sarcocele:* ab aqua ſeu ſero *Hydrocele* ſuam derivent etymi originem; quidni Herniam ſcrotalem, in eodem Viro Nobili, cujus cruenti mictûs lethalis ſuperiùs dedimus hiſtoriam, obſervatam, *Oſteocelen* appellem? Ante quinquennium Vir Optimus vix è ſella, in quam clavi parieti infigendi gratiâ ſeſe ſuſtulerat, incauto ſaltu deſiluit, cùm jam in ſiniſtro inguine moleſtè ſentiret, ac tumorem adverteret, pedetentim ad ſcrotum deſcendentem. Aliquot poſt menſibus indurari cœpit inguinis ſcrotique tumor, & indies magis magisque increvit, donec per quinquennium (quo ille ab infelici iſto è ſella deſultu adhuc ſupervixerat) aſpectabilem ſatis contracti ferè pugni magnitudinem in ſcroto conſecutus, oſſeamque plane duritiem nactus fuiſſet. Per ſectionem ſcroti & abdominis innotuit, ab annulo muſculorum è tendinea ac ſubcartilaginea radice, calami ſcriptorii craſſitiem vix habente, in ſcrotum pendere ſubſtantiam verè oſſeam, ab ortu ſuo auricularem ferè digitum craſſam, mox in deſcenſu



per proceſſum peritonæi ac vaginalem tunicam in tantùm auctam, ut in burſa ſeu ſcroto tres latos digitos facilè ſuperaret. Nihil prorſus, præter hanc oſſeam excreſcentiam, ſcroti involucra in ſiniſtro loculo continebant : illapſi inteſtini nec aderat veſtigium : vaſa ſpermatica cum deferente penitus obliterata ; teſtis ſolùm penè effœtus, flaccidus & extenuatus, huic corpori oſſeo quam arctiſſimè adhærebat, penes quem etiam major quædam quaſi hydatis, ex vaginali tunica facta, cochlear ferè ſeri lixivioſi & flavi, procul dubio ab obſtructis ruptisque lymphaticis evaſati, continens, fuerat inventa, hydroceles quaſi ſpecies aut idea atque rudimentum. Socios & teſtes in hac Obſervatione habui Prænobilem & Clariſſimum Dominum Doctorem & Medicinæ Profeſſorem Joannem Jacobum Treyling, Collegam meum honorandiſſimum, Dominum Michaëlem Alexandrum Henricum Hertel Medicinæ Doctorem, Dominum Joannem Baptiſtam Scheuringer Medicinæ Doctorem, Andream Grebel Chirurgum, cum aliquot Medicinæ Studioſis, aliisque nonnullis Curioſis.

Vid. Tab. V.

Fig. 1. a. Tota ſubſtantia Oſteoceles, à ſcroto ſeu involucris teſtis communibus & propriis liberata, uncias fere octo pendens, & propemodum ſpithamam longa hinc major duplo, quam per hos icones expreſſa.
b. Teſtis extenuatus & flaccidus.
c. Eminentiæ hinc inde conſpicuæ.
d. Hydatis inſignis.
e. Teſtis involucra, communia & propria.

Fig. 2. a. Hæc ipſa ſubſtantia oſſiformis, membranoſis ſuis involucris exemta, per medium diffiſſa, oſſi duritie & albedine vere ſimilis.
b. Interſtitia cartilaginoſa.
c. Teſtis diſſectus.

d. Pa

IV.

ad Cent. X. Obs. LVII.

Fig. 1.





Fig. 2.



ad Cent. X. Obs. LVII.

Fig. 3.





BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

d. Pa

d. Pars ſuperior circa annulum muſculorum magis adhuc cartilaginoſa.

Fig. 3. a. Sedes herniæ ſeu Oſteoceles in ſitu naturali ad tactum durisſimæ.

b. Situs teſtis extenuati ab extra vix ſenſibilis.

(*Ingolſtadio Auguſtam Vind. d.* 29. *Aug. A.* 1720. *miſſæ.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. Viti Riedlini.

Cicuta aquatica loco petroſelini comeſta.

JUſſerat præterito vere Chirurgus vicinus Hörlingenſis, ut in horto ad domum & fluvium ſimul ſito radix petroſelini peteretur, coqueretur, & in menſa apponeretur: ſatisfaciunt itaque ejusdem petito domeſtici, & in loco, ubi aliàs ſolebant, radicem effodiunt deſideratæ perquam ſimilem, coquunt & apponunt; multum admodum ejusdem ingerit Chirurgus, nec plane nil reliqui domeſtici, uxor, liberi. Verum enim vero brevi poſt is de vertigine & nauſea queri, ſimulque delirare ſic incipit, ut mirum quantum perterriti fuerint adſtantes; nec tamen & ipſi tam bene ſe habentes; quin ejuscemodi ſymptomata utut leniora etiam in iisdem ſe exſeruiſſent. Vocatur Parochus, qui neſcio quæ remedia fruſtra commendat: tandem vero ipſemet ægrotus ſe recolligit, ut doſin certam ♀ri emetici nominarit, hancque ut ſibi præberent, juſſerit, quo ſumpto ſat multas radices vomitu quidem rejecit, at inſtitere ſymptomata, ardor præcipue ventriculi ſummus, ſitisque tam intenſa, ut quantum etiam biberit, vix minimum tamen levari potuerit. Seniorem aliquem experientiſſimum Medicum in conſilium adhibent, qui urinam inſpiciens, & ſat tinctam reperiens, qua-

lis per totum morbi decurſum excernebatur, non tam comeſtarum harum radicum, quam caloris febrilis, quem ſubeſſe, conjecturabatur, rationem habens, huic dicatam eſſentiam, præſcripſit, quam licet ſedulo in uſum duxerit, nec minimum tamen levamentum percepit, unde & me conſuluit, ubi quemadmodum radicem pro cicuta aquatica, quæ & alios jam fefellit, ut loco Petroſelini comederint, oſtenſaque ab hoc tam parum differebat, ut vix dignoſcere potuerim; utut, cum ea, quam Excellent. Dn. Wepferus olim delineari curavit, non conveniat, agnovi; ita Electuarium ex Mithridat. & terra ſigillata præcipue conſtans, cui, ob dolores capitis, de quibus præcipue querebatur, & Cinnab adjeci, præſcripſi, quod primo quidem levamentum quoddam attulerat; at vel paululum hoc ſepoſito, mala ſic non penitus debellata tanto cum fœnore redierunt, ut octiduo abhinc elapſo me ad ſe evocarit; ubi primo quidem pulſum ſic ſat bonum, nec vel minimam febrim prodentem inveni, quemadmodum vero radices hæ caput prius ſic perturbarant ut delirarit, ita nunc eryſipelaceum tumorem ad collum usque ſe extendentem, & ibi difficiliorem reſpirationem reddentem excitarant, ante omnia vero de ſiti intenſa nullique potui cedente, & ardore primas vias torquenre querebatur; adhuc ergo accuſans cicutam, à prælaudato Wepfero laudatum pulverem Pannon. cui Cryſtall. mont. præp. Cinnab. nativ. & Balſ. Hiſp. ſicc. addideram, præſcribo, ſæpiusque ſumere, & ſimul cum quibusvis juſculis cremorem hordeaceum exhibere juſſi; alvoque obſtructæ pilulæ Emman. fruſtra non opponebantur. Verum nec hisce per octo licet dies continuatis multum proficiebatur; urens in primis viis ardor & harum partium, præcipue oris ſiccitas ſic inſtabant, ut vires nullo modo colligere potuerit; præſcribebam ergo nunc Pilul. ex Cryſtall. mont. Balſ. Hiſp. ſicc. Extr. Chacarill. & Trif. fibr. conſtantes, cum Mucilag. Sem. Cydon. Aq. Scorzoner. extracta, cui & Cinnabaris adjiciebatur, ſumendas: quæ tantum conducebant, ut ſedulo continuare

juſſe-

juſſerim; & quia inprimis mucilago prodeſſe notabatur, hujus non adeo paucam quantitatem exiguo temporis ſpatio abſumſit, & ſic Dei gratia convaluit. Radices vero melius dignoſcere diſcant, quibus in eſum cedere debent, ne tam dira & interdum graviora contrahant mala, mucilaginoſaque talia ſibi commendata habeant, quibus tales ægroti curandi obveniunt.

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. Viti Riedlini.

Catheteris frequentiorem applicationem ſequentia mala.

OBſervatione 24. Centur. VIII. Ephemeridum noſtrarum Hiſtoriam Viri Venerandi communicavi, cui Catheter inſignem omnino præſtitit uſum, qui quippe per tres fere adhuc annos ab illo tempore muneri ſuo maxime arduo ſic præfuit ut omnes vegetam & illi perficiendo ſufficientem ſenectutem mirati, & venerati fuerint; nec unquam ulterius urinæ excretionem vel minimum impeditam habuit: ſed & frequentior hujus ſtimulus, & muci excretio nunquam penitus remiſerunt; quin inhibita hæc, & ceſſans ſtatim febrim utut diariam ſolum produxit; qua devicta, illico quævis ſani munia lætus denuo perfecit: donec præterito vere, febri cum frigore antecedente, & hoc excipiente calore tantum aucto, ut & deliria ſucceſſerint, correptus, quin intermittente epidemia laboret, vix dubitarit, minus adhuc dubitans, cum hæc non tam alternis quidem, aut & quarto diebus, ſed octavo bis tam exacte rediret, ut ipſemet octonam nominarim, ab ipſomet, mucum in ea, qua hactenus, quantitate, excerni, certior factus, cum hic mucus illico ſuſpectus fuerit: pro febre tamen intermittente vera vel ideo certius habens, quia Cortex Chin. Chin. tantum profuit; ut tertiò per tredecim, hinc ali-

quando per quatuordecim dies, & iterum per tres ſeptimanas emanſerit febris, licet aliquando & quartanæ & quintanæ typum fuerit mentita: in hoc etiam ab aliis ſe diſtinguens, quod ægrotus quovis paroxyſmo devicto ſic vires collegit, ut aliquoties curiam, aliquando & templum frequentarit: quo magis autem hæc febris jam nomen erraticæ merebatur, eo major mihi ſuſpicio ſuboriebatur fluxum illum muci, (quem mictionis pultaceæ nomine inſigniebam; quia nec pus verum nominari merebatur; & ſeminis nomen imponere, utut ex vaſe ſpermatico per Catheterem læſo derivari ſemper ſuſpicatus fuerim, & copia, & omnis voluptatis in excernendo defectus vetabant, pituitam vero minime præſentabat;) minus recte ſe habere, & tandem, per illam, quæ lintea mundabat, referebatur, quod nec dimidium quidem materiæ hujus pultaceæ jam excerneret; cum vero materiæ hujus excretionem promovere nullo modo poſſem, & corticem peruvianum, quamvis ſub ejus uſu febris ſemper diutius fuerit inhibita, omnino abhorreret Vir Illuſtrisſimus; febris tandem ſumma cum vehementia rediit, jamque calor nunquam vel minimum intermiſit, ſed in dies auctus, quinque fere dierum ſpatio ſenem duobus circiter annis octuagenario majorem vivorum numero ſubtraxit. Docet hæc Obſervatio quale malum frequentiorem Catheteris applicationem ſubſequi posſit; qua licet in illo morbo carere minime potuerimus, nec hoc tamen impedire licuit: quod ſi ſucceſſerit, difficile curatu per hanc obſervationem tuto prædices; quin vel inhibitam talem mictionem pultaceam, vel & ſponte ceſſantem majora adhuc producere mala, ex eadem diſces: febres autem conſuetum quartanarum terminum excedentes, non tam verarum intermittentium, quam ſymptomaticarum clasſi, hocce & aliis edoctus exemplis, aſſerere auſim.

(*Ulma Auguſtam Vind. d.* 12. *Oct.*
A. 1720. *miſſæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO LX.
Dn. D. Joannis Friderici Henkelii.
De Pulte farinacea rubeſcente, vulgo ſangvificata.

QUamvis hujus univerſi Conditor nullum abire diem patiatur, quin in theatro naturæ prodire jubeat, quod de ſumma ſua potentia pariter ac ſapientia teſtetur, peculiare tamen ſpectaculum præbet illud, quod raro contingit & à receptis naturæ legibus aberrare videtur. Quod videtur, inquam, ſed non eſt. Quicquid enim de corporibus naturalibus agitur, id omne ſecundum cauſſas, quas dicunt, ſecundas fieri, per omnes rationes conſtat, & ab ignoratis cauſis phyſicis veris, ad fingendas metaphyſicas, divinas vel plane diabolicas rationes procedendi locus eo minus datur, quo minus naturæ fines emenſas habemus, aut proxime ſperamus emetiendas eſſe. Neque ideo rara & inſolita appetant curioſi, quaſi cauſſæ ſubſint, quæ à phyſicarum ſenſu eximantur, idque inprimis eapropter, quoniam circa quotidiana & vulgaria nobis plus ſatis incumbit, quod perveſtigemus, quæque communi vitæ è re magis & ex uſu ſunt: At vero, ne quicquam, quod dies edocet, prætereamus, adhæc credula & prodigia facile ſibi fingens multitudo magis magisque retrahatur à tot, quibus immerſa eſt, ſuperſtitionibus, bene collocant operam phyſici, quam in ediſſerendis rarioribus naturæ operibus & phænomenis hinc inde inſumunt. Huc inter alia pertinet illud, quod anno 1720. in terris Freybergenſium de pulte quadam farinacea, colore rubro, vulgo ſangvine imbuta, eveniſſe non audivi, ſed vidi ipſe, quodve meretur aliquam commemorationem. Nimirum ſub finem Aprilis fuit, quo Dominus Paſtor pagi, Langenhemmersdorff/ ad me miſit dictam pultem una cum literis, quæ, quod de ipſa actum eſſet, palam facerent, ut in cauſſas ejusmodi inſolitæ rubedinis, ſi daretur animus, inquirerem.

Fœmi-

Fœmina quædam inquilina mane coxit iſtam pultem ex farina triticea & aqua communi cum pauxillo butyri die 31. Aprilis, atque ita eo (en ſpecioſam ſuperſtitioſis circumſtantiam) quem fatalis illa nox Walpurgidis inſequitur. Comedit ſtatim de ea, quod ſatis erat & reliquum ex olla in catinum conjectum ad poſterum diem recondit in panario, catino non cooperto ideo, ut eo facilius refrigeſceret. Altero die, qui primus Maji fuit, inde ſumſit nonnulla cochlearia, quæ refocillaret comederetque; reliquam maſſam ſepoſuit in hypocauſto ſuper ſcamnum orbe figulino cooperiens, ceterum nihil videns de colore iſto, qui poſtmodum tot hominum oculos in admirationem rapuit. Eodem die verſus veſperam recurrit ad catinum, ecce tum in oculos ipſi incurrit rubedo quædam ad marginem ſui ferculi, ad digiti longitudinem fere ſe extendens; horret & contremiſcens confugit ad hoſpitam, ut ſecum, quid hoc ſibi vellet, perpenderet. Hæc, ſanguis, ait, ex naribus tuis forſitan in pultem deſtillavit: Illa negat & pernegat, ſe hisce diebus, quibus hæc contigerint, hæmorrhagiam talem expertam eſſe, & reponit catinum apertum in priorem locum. Seqnenti mane color purpureus incrementa in longum latumque ſumſerat, quin iis, qui ſpectaculi hujus viſendi gratia convenerant, omnibus ad oculum fere increſcit; ut igitur res, quo tandem rediret, appareret, pulte intacta miſſa, in panario reconditur. Brevi: rubedo per duos inde dies non ſolum ad marginem ſe expandit latius, ſed & in medio pultis, ubi antea nihil adparuerat, guttatim effloreſcit. Dominus Paſtor, ex quo de miraculoſa hac ſangvificatione per rumorem inaudivit, adit dictam mulierem, videt, quod audiverat, & quantum ſibi licuerat, expiſcari de iis, quæ circumſtant rem omni circumſpectione ſatagit: At nihil comperire potuit quod lumen accenderet rationi, in phænomeni hujus rationi ſibique obſcurioris cauſſas anxie inquirenti; utut nihil omiſerit, quod de aqua, farina, butyro, ſale, utpote pultis ingredientibus, quæ fuerint, tum de vaſorum qualitate & puritate

quibu

quibus puls cocta & conſervata fuit, porro de improviſo aliquo peregrinorum v. g. ſangvinis guttarum aut alius ſucci rubri illapſu, ut & domicilii, inprimis locorum coctionis & aſſervationis diſpoſitione &c. non negligenter quærendum & inſpiciendum erat. Hoc unum animadvertit ille, domicilium, in quo hæc acta viſa ſunt, eſſe vaporoſum, ſqualidum, quale plerumque eorum, quibus res anguſta domi eſt, reperitur: Et quod animum mulieris attineret, exerere ſe illum ad ſuperſtitiones præ multis compoſitum & adeo facilem, ut tota fuiſſet in advenientibus convincendis, apparere in pulte cruces, gladios & talia, qualia mentes timidæ in rebus improviſis præoccupatæ ſibi fingunt. Quo inſtinctu, neſcio, linteum, materia iſta rubra oblinitum ſolis radiis expoſuit, exſiccatum vero nulla opera, quam lavando illi dederat, priſtinæ albedini plane potuit reſtituere. Sexto die puls cum catino à Dn. Paſtore ad me mittebatur, ut in cauſſas, effectus, horumque nexus inquirerem atque ita officio, quod phyſici eſt, quantum per experimenta nonnulla licet, defuncturus. Primum perſvaſum habeat lector, pultem memoratam per dimidiam forte ipſius ſuperficiem inprimis à latere aliquo verſus medium, albis intaminatisque hinc inde interſtitiis, colore rubro, non quidem ad ſangvinis, ſed potius ad ſaturatioris ſucci betæ rubræ colorem accedente, miro modo tinctam ad manus meas perveniſſe, meque illam pro indaganda veritate in loco convenienti per aliquot dies aſſervaſſe. Primo ſtatim intuitu rubedinem in incremento adhuc verſari non temere præſumebam; quod ut eo certius comperirem, loca adhuc alba & à rubore intacta relicta parvis virgulis quaſi circumſepiendo diligenter notabam, ſeponens catinum in locum humidum & temperate calidum, qualis fermentationi, ſubtilisſimo, quod hic ſubeſt, naturæ negotio optime convenit. Poſtero die ruborem in hæc circumſcripta loca irruiſſe & ſequentibus diebus magis magisque ſe expandiſſe, quin alicubi guttulas rubellas aliquas, cum reliquo rubore non connexas, inſuper tenues & pellucidas,

denuo propullulaſſe, diſtincte animadverti, idque jucundisſimo meo ſpectaculo, quod naturæ circa hoc negotium adhuc negotioſæ operationibus αὐτόπτην adeſſe, contingeret. Hinc certus affirmare queo, rubedinem ultra diem duodecimum non increviſſe, quin ab eo in fuſcum mutatam adhæc totam maſſam ſitu primum ſubflavo & ſubviridi, tum lanuginoſo, veluti verſicolori pelle obductam atque ita dignam, quæ rejiceretur, fuiſſe factam. Quod conſiſtentiam ipſius attinet, eam ſtatim, maſſam ejus hinc inde ſcindendo, inveniebam inter tenuem & denſam mediam, ab ea tamen parte, ex qua fœmina ad recoquendum eſumque ſibi nonnihil ſumſerat, magis colliquefactam. Neque plus, quam ad calami ſcriptorii forte crasſitiem penetraſſe rubedinem in interiorem maſſam, eſt, quod curatius perſcrutatus ſum, aut ſi alicubi, quod à latere, quo rubedo inceperat, obſervavi, radices egiſſet altius, plurima tamen interior talem faciem præ ſe ferebat, qualis, h. e. albicans in pulte farinacea ſolet conſpici.

Hæc conſideranti in mentem mihi veniebant plura alia naturæ huc ſpectantia phænomena, quæ æſtas hujus anni protulit. Quorum inter piſa ſunt, quæ non ita multo ante h. e. eadem æſtate, apud Lipſienſes aqua communi cocta, colore rubro tincta apparuerunt, quorum ad me nonnulla transmiſſa fuerunt. Ad hæc ſuccurrit mihi palus quædam apud Merſeburgenſes, non quidem ſcaturiens, quam potius idque ab aquis ſaponatis interdum confluens, quam viginti quinque abhinc & quod excurrit, annis, æſtate aliqua ita rubram factam vidi, ut non aliter ac ſanguine polluta, aut in eundem converſa videretur. Ut taceam exempla aliorum, quæ autores hinc inde memoriæ prodiderunt, quorum inter D. Schulzius Profeſſor Thorunenſis de aqua ſangvinea Mariebergenſi, vulgo, von dem im Blut verwandelten Waſſer zu Marienberg diſputationem publicavit. Hæc commemoranti mihi incidit ſtatim in mentem illud, quod ejusmodi naturæ rariores effectus, quantum ego quidem memini, non niſi iis tempori-

bus

bus e. g. menſibus Maji, Junii & Julii, quibus natura circa corpora vegetantia aliaque maxime negotioſa atque operoſa eſt, eveniant. Igitur cauſas dari, quare iſti non hieme, non ſole remoto, neque atmoſphæra frigida expectandi veniant, econtra appropinquante ſole, incaleſcente aëre & ſub ſyrio facile ſuboriantur, quis non videt? Quænam vero cauſſæ hic præſumi poſſunt aliæ, quam tales, quales materiæ ſubſtratæ poſtulant, h. e. naturales, ſeu ſecundæ dictæ, inter quas & memoratos effectus non per ſpeciale Creatoris decretum, ſed per abſolutisſimam rerum necesſitatem datur vinculum & connexio? Quin quod, hoc unum ſufficiet, quo & à priori demonſtretur, quam non habeant iſti, qui ad miracula, commune illud ignorantiæ aſylum, confugiunt, & quam rationi conſentaneum maxime ſit, docere, Creatorem, aut ſi mavis, naturam ob concurſum cauſarum quarundam ita & non aliter, quam prout agit, agere poſſe. Eadem ex ratione, rubedinem pultis à causſis externis v. g. ab aſperſione aut inſtillatione rubri cujusdam liquoris ortam fuiſſe minus credibile eſt; Cæterum hoc modo rubor ſuccreſcere neutiquam potuiſſet, quod tamen fere ad oculum contigiſſe, plures mecum conteſtari queunt. Neque iſtud: Simile procreat ſui ſimile, de rerum coloribus, ſed tantum de earum eſſentiis explicari poteſt, neque ceraſa aut beta rubra in corpore animali reddunt ſangvinem, uti vulgus à tinctura iſtorum rubicundisſima, utpote ſangvini ſimili, ſolet concludere; ſed colores, qui per incrementa eunt, ſubortos ſemper certo autumamus in iis corporibus, quorum vel mixtionem vel compoſitionem iſtos ingredi minime videmus. Ubi eſt rubor in chylo, quem tamen in ſanguinem vergere omnes novimus? Ubi in ſemine viriditas, ſegetis incomparabile ornamentum? ubi aureus iſte color in Sinenſium malis, & hyacinthinus citriorum ornatus? An è terra nigra, plantis ſingulis communi? aut è ſeminibus, quæ coloribus non ſuperbiunt, ſed plerunque lacteſcunt? aut ſi quid in experientia opinioni tuæ favere exiſtimes, fac quæſo videamus pultem

farinaceam cruoris aut alius liquoris colorati guttulis infectam ulterius latiúsque rubeſcere : Immergas ceraſorum alborum vel ſemina vel radices in ſanguine ſelectiſſimo , nunquam iſta ex rubro nigra obtinebis, niſi fores mihi plus quam maximus Apollo. Inveni forte fortuna elegantiſſimum ultramarinum, idque ſine adjumento lapidis Lazuli aut alius ſimilis materiæ per ſe cœruleæ, quin ex rebus ſimpliciſſime albis & per nudam duarum commixtionem, adeo, ut eo nihil tam mirum, tamque jucundum circa colorum productionem videri poſſit. Invenientur plura ab iis, qui cum celeberrimo Boyle non negligendum circa colores negotium, altioris habere curæ dignabuntur. Quocirca ſubeſſe aut potius ſuboriri cauſas intrinſecas, rubedinem , quæ alias non inerat, efficientes recte exiſtimo ; neque habeo , quod recurram ad centies bis coctum illud metaphyſicorum Potentiale, quo nigra albis, quadrata rotundis, rotunda quadratis , brevi : omnia omnibus confuſiſſime contineri ſomniant. Fermentatio id fuit, qua rubedo pultis noſtræ prodiit ; fermentatio eſt, qua rubedo talis & alias obtenta fuit, & in poſterum obtinebitur. Eſt autem hoc naturæ negotium tam arduum tamque efficax, ut naturalium corporum perſcrutatorem eo nihil habere deberet magis induſtrium ingenioſùmque. Per illam mixta deſtruuntur ; corpora deformantur, atque eo ipſo producuntur nova, prioribus vel ſecundum texturam, vel colorem, vel odorem, vel adjuncta alia plane diſſimilia. Ad hujus ſententiæ veritatem docendam non inhærebo multum illi argumento, quod ſupra jam innui, nempe quod ruber pultis color per plures dies, idque non me tantum ſed aliis curioſis conſpicientibus, incrementa ceperit , & quod in alia pulte, quam ſanguine & ſucco betæ rubræ de induſtria illiniveram, experiri talia & videre non licuerit. Sed, quamvis in eo ſine exceptione acquieſcere poſſent naturæ curioſi, ſuperaddam tamen alterum, quod quidem ab iis jure exſpectari inficiari nequeo. Dum nimirum hæc agebantur, juſſi per Dominum Paſtorem, mulierem iſtam denuo coquere

pultem

pultem ex eadem farina, eadem aqua, in eandem conſiſtentiam, & quantum fieri poſſet, priori ſimilem. Fecit, quam potuit: non potuit autem ita accurate, circa conſiſtentiam præſtare juſſa, ea in re,quæ vel ſubtiliſſimo philoſopho faceſſit negotium: Nam ut taceam, ipſam, prioris maſſæ farina non extante amplius, ſumſiſſe aliam farinam, puls noviter cocta illa non parum denſior erat. Hoc non obſtante experimenta cum illa inivi, dividens maſſam in quatuor partes; & cum probe meminiſſem, quid aëris ad fermentationes valeat concurſus, ſepoſui ſingulas ſingulis locis, ſiccitate & humiditate, frigiditate & calore differentibus. Ecce quarto die duo eorum exemplaria obveniebant mihi, guttulis rubicundis inter ſitum griſeum & comatum ſuperficietenus hinc inde notata & emicantia, ut mihi non temperarem, quo minus mens in τὸ ἕφρηκα erumperet. Igitur ſeponebam quæque in ſua loca, exſpectans rubedinis incrementa, quæ non immerito præſagiebam animo: ſed fallebar in hoc, quod neque quinto die, neque poſtea rubedinem invenirem expanſam, ſed potius totam pultem in ſua ſuperficie magis arefactam, neque ut in priori extabat, ita colliqueſcentem, quin quaſi cornea pelle obductam, atque ita ineptam, quæ hic deſideratam promptam fermentationem ſubire potuiſſet. Brevi: ſucceſſum rubeſcendi quidem non obtinui, ſed ruborem idque in aliis pultibus eum in finem à me coctis repetito obtinui, eumque talem, ut elegantiſſimo Carmoſino nihil cederet; neque plures ob cauſas ad incrementa ruboris perveniendum erat. Primo non parum momenti ſitum eſſe judico in proportione ingredientium, aquæ imprimis ac farinæ, atque ita in coctione, qua non exiſtente plane eadem, tempus fermentationis non idem incipiens eſt, & quod in pulte à muliere ſecunda vice cocta obſervavi, ejusmodi maſſa, cocta nimis, in ſuperficie prius areſit & ſitu obtegitur, quam quod punctum rubeſcendi promte aſſequatur. Deinde quantum in hoc differant aquæ, farinæ ipſæ, butyrum &c. exprimere verbis non poſſum. Quid ajam de aëris, pro-

fecto non per dies ſolum ſed & per horas mutabili ac per Torricellianum tubulum demonſtrabili temperie? quid de particulari domiciliorum, camerarum, vel cellarum diſpoſitione, ſecundum diverſitatem ſoli exhalationum, apricitatis, plagæ & ſitus circa corporum ibi reconditorum mutationes diverſiſſime concurrente? quid de vaſis terreis tam novis, quam per multum uſum hiſce vel illis particulis ſubtiliter imprægnatis, quin ſvalidis? certe hic deliteſcunt tantæ ſubtilitates, quam vix Argus aſſequi valet; & ſi quid unquam evinci poteſt, in cauſa fermentationis, quin colorum inductionis in genere, maxime locum invenit illud: Minima circumſtantia rem variat, minimus & oculos fere ſubterfugiens atomus interdum mixta deformat circa colorem; minimæ qualitatis & ad rem pertinere minus viſæ defectus impedit effectum operantis non raro, utut vice plus ſimpliee jam obtentum. Quis crederet differentiam, quæ in conficiendo ſupra memorato elegantisſimo ultramarino, inter ſpiritum vitrioli eumque ſimplicem & rectificatum & inter oleum ipſius intercedit, niſi hinc vel illinc ſpe colorem iſtum obtinendi quandoque plane fruſtraretur? Sed inexpertis narrantur fabulæ; experti vero plus jam norunt, quam quod hic dicendum venit. Interim mirari deſinant iſti, quibus talia nunquam vel raro viſa ſunt, neque experimenta hunc in finem inſtituta ex voto ſuccedunt; quoniam tam multa, tantaque, quæ non in noſtram poteſtatem cadunt aut circumſpectionem, hoc in negotio concurrere videmus. Latisſimus campus & inexhauſta effectuum ubertas fermentatio eſt; econtra tanta vitæ noſtræ brevitas, animi ad plura, inania ſæpe diſtractio; & quod maximum, in quotidianis obſervandis adnotandisque tam deſidioſus mortalium genius eſt, ut mirum mihi minus videatur, paucisſima ſciri, & vix ad limen naturæ palatii perventum eſſe cum iis, qui in interiora jam penetraſſe ſibi blandiuntur. Ceterum hoc ſibi capiant ſuperſtitioſæ mentes, ne adeo faciles, ac hactenus, ſint in fingendis ſibi earum

rum rerum cauſſis præter-aut ſuper naturalibus, quas abſtruſas imo à ſphæris ſuis alienas eſſe diffiteri nequeunt: Intelligant, quam ridiculum ſane ſit, provocare ab ignorantia cauſſarum ſecundarum ad immediatas Numinis directiones; quaſi vero naturæ vires omnes & effectus adeo perſpecti & familiares nobis ſint. Minimum non iraſcantur religioſi ſimplices, quando hac ratione argumenta ſibi demi vident quæ in percellendis ad religionem animis pro efficacisſimis reputant. O ſi cordi haberent mortales ea, quæ omni die locoque eveniunt; profecto ſatis haberent, quo ad verum veri Dei cultum ducerentur, neque miracula fingendo rem optimam h. e. veram divinamque prudentioribus ludibrio exponerent. Aſt ita comparatum eſt cum humanis ingeniis, ut familiaria iſtis vileſcant, rariora deſiderentur, ad veram frugem neque per hæc neque per illa redeuntibus. DEus admirandus in omnibus ſuis operibus eſt, & inperſcrutabiles ſemper humanæ rationi manent intimi eorum nexus, non niſi paucisſima eaque tantum ſuperficiarie aſſequenti! Non in cœlos exſurgens cedrus, ſed humillima hedera teſtatur, Numen eſſe. Quid pultis alicujus inſolita rubedo erga pratorum ſylvarumque ſmaragdinam viriditatem ac tot mille florum incomparabilem elegantiam? quid pauca erga multa? quid periturus color præ Servatoris noſtri inæſtimabili purpura? quid illa, quæ extra nos ſunt, cum iis, quæ in nobis experimur, ut meminerimus, ut veneremur, ut adoremus primum illud Eſſe, nos jubeant efficacisſime. Abſit igitur, ut derogatum quicquam Deo per hanc de miraculis ſententiam eſſe alicui videatur, quin potius, ſi Deum creaturam aliquam h. e. hominem ita artificioſe fabricari, iisque facultatibus inſtruere potuiſſe credimus, quibus ille non modo rerum eſſentias, formas ac nexus aliquatenus dijudicare, ſed in rarioribus operibus ac phænomenis naturam aſſequi atque diſponere valet, glorioſum magis ipſius nomen reddi, recte exiſtimabimus. Quid quod, ne per lineam quidem

dem hancce meam promoveo, niſi in Supremum laus & honor omnis redundet.

(Freiberga Hermund. Auguſtam Vind. d. 15. Octobr. A. 1720. miſſa.)

OBSERVATIO LXI.

Dn. Lic. Joann. Matthiæ Mülleri.

De ſene plusquam octogenario apoplexiæ proximo, convulſionibus epilepticis vehementisſimis tacto, ex inſperato ſanitati reſtituto.

Civitatis hujus quidam ex primariis octoginta tres anno habens, laute alias vivens, per totam fere vitam ſanus niſi quod interdum quasdam podagræ (ſenectutem (*a*) ſæpiu promoventis) ſenſiſſet moleſtias, anno 1716. menſe Maj maxima ſenſuum omnium externorum, ut & ſingulorum ſenſus interni (*b*) effectuum correptus fuit hebetudine, cum adjuncta aphonia, vel potius ἀναυδία, (*c*) quam convulſion epilepticæ excepere vehementisſimæ omnibus adſtantibus l tales (*d*) viſæ, ita, ut ſecunda vice ipſi ceu agonizanti benedictio impertiretur ſacerdotalis. Aſt Divinæ clementiæ placu remediis e. gr. venæſectioni in pede inſtitutæ, veſicatoriis nuchæ & brachiis applicatis, cephalicis, caſtorinis, volatilibu externis item balſamicis & ſpirituoſis &c. ita benedicere, praeter omnem expectationem ſeſe recolligens ad hunc usq diem ſanus vivat. Nonagenarius alius per decennium epil-

ptic

(*a*) Mich. Ettmüller. Doct. Pract. part. 2. c. 9. p. m. 364. (*b*) Joh. Bohn. circul. anat. phyſ. progymn. 29. p. m. 435. ſeqq. D Joh. C thofr. Berger. Phyſ. Med. Act. Erud. Lipſ. ann. 1701. menſ. Nov. p. 4 (*c*) Joh. Jonſton, *S*yntagm. univ. Med. pract. l. 3. t. 7. §. 6. p. m. 7 (*d*) Id. ib. t. 2. c. 7. art. 2. p. m. 744. Ettmüll. l. c. c. 7. p. m. 279. D Sennert. Pract. Med. l. 1. p. 2. c. 31. p. m. 606. D. Carol. Rayger. E Nat. Cur. Dec. 1. ann. 6. 7. num. 212. p. 311.

pticus eodem anno ſolo fontis Kupferzellenſis uſu malo illo fuit liberatus, cujus mentionem feci in continuatione prima de modo nominato fonte Soterio. (*e*)

(*e*) Cap. 5. obſ. 18. p. 23.

OBSERVATIO LXII.

Dn. Lic. Joannis Matthiæ Mülleri.

De totius familiæ delirio, ab eſu cicutæ, curato.

CIcutam venenum eſſe naturæ humanæ infenſiſſimum, & antiqui & recentes referunt ſcriptores, (*a*) & quidem acre, ſuis aculeis membranam ventriculi potiſſimum feriens nerveam, & fibras ejus circulares ad violentam irritans conſtrictionem, maxime circa ventriculi orificia, ubi nervi apparent inſigniores, præſidem ſyſtematis nervoſi in furorem agens, & cor in conſenſum rapiens: (*b*) Cujus vehementiam die 8. Decem. 1718. etiam expertus eſt Frid. Vogt quinquagenario major, civis & quondam piſtor hujus loci, cui res anguſta domi, cum ambabus 17. & 8. annorum filiabus & uxore, hæc opipare aliquando vivere volens cum carne paſtinacam & petroſelinum, aſt inſcie ſimul hanc quoad formam ſimillimam (*c*) cicutam coquit, quo omnes audacter veſcebantur ferculo; inter co-

(*a*) Oribas. Med. Collect. l. 11. p. m. 425. c. Aet. tetr. 1. ſerm. 1. p. m. 38. f. Pedac. Dioſcor. Herbar. l. 4. c. 75. p. m. 288. Theophraſt. Hiſt. plantar. l. 9. c. 17. p. m. 124. Joh. Ruell. de Nat. ſtirp. l. 3. c. 113. p. m. 718. Sim. Paul. Quadripart. Bot. claſſ. 3. p. m. 263. Thom. Pancov. Herbar. p. m. 118. Bald. Tim. à Guldenklee Caſ. Med. 4. l. 7. p. m. 310. D. Frid. Hoffmann. Clav. Pharm. Schrœd. l. 4. ſ. 1. §. 109. p. m. 441. D. Joh. Jac. Harder. Obſ. Anat. Pract. D. Joſeph. Lanzon. Diſſert. Med. de cicut. ad D. Joh. Jac. Mangett. Biblioth. Med. Pr I. 18. p. 803. (*b*) D. Joh. Jac. Wepfer. Tr. de Cicuta aquat. 16. p. 795. (*c*) Ettmüller. Schrœder. dilucid. part. 1. ſ. 2. p. m. 111.

comedendum autem, appetitus viro, mox filiæ majori, tum uxori & denique filiæ minori ademtus, fauces urebantur, anxietas præcordiorum cum reſpiratione difficili ubique urgebat, quorum ſymptomatum cauſam placentulis mellitis, quibus juxta hujus loci conſvetudinem circa hoc tempus filia minor donata fuit, & omnes brevi ante cœnam paſti ſunt: noctu delirare inceperunt, vicinis concurrentibus, filia major aliquoties è feneſtra proſiliit, Chirurgus vocatur, hic ad tantum morbum indagandum minus ſe ſentiens capacem, ſequenti die me ad patientes ſumme delirantes, torvumque vultum præ ſe ferentes duxit, meam deſiderans ſententiam; moventi ergo in morbi ejusque cauſarum inquiſitione quæſtionem, qualem cœnaſſent cibum? reſiduum ejus mihi monſtrabatur odore admodum nauſeabundum. Hinc ſtatim intelligens cicutæ venenum ſimul fuiſſe hauſtum, ſine mora vomitorium (*d*) ex pulv. ipecacoannh. exhibui, & cum nullus inde ſequeretur effectus, illud in majori repetii doſi, pingvemque largiter & ſæpius ſuperbibendum ſvaſi potum; poſt ſufficientem vomitum mixturam ex mucilag. ſem. cyd. bol. arm. corn. cerv. phil. ppt. unic. foſſ. extr. chærefol. &c. & pot. ex hord. exc. raſ. corn. cerv. ſem. anis. paſſul. min. cinam. &c. tandem ſpir. ⊖ ☿ volat. (*e*) ordinavi; ſic benedictione divina tota ſervata fuit familia.

Aliud delirium melancholicum apud ſplendidæ familiæ perſonam ante 12. annos cum intermixtis quibusdam inſultibus

(*d*) D. Wepf. l. c. p. 796. ſeq. Paul. Æginet. de re Med. l. 5. c. 41. p. m. 547. a. Aet. tetr. 4. ſ. 1. c. 63. p. m. 643. e. Actuar. meth. Med. l. 5. c. 12. p. m. 285. h. Aur. Corn. Celſ. de re Med. l. 6. c. 27. p. m. 107. a. Tim. à Güldenklee l. c. D. Georg. Wolfg. Wedel. Compen. Prax. Clin. exempl. ad Tim. alleg. caſ. p. m. 181. &c. &c. (*e*) Ex Rob. Boyl. Phil. experim. exerc. 5. §. 16. p. 208. D. Matth. Blaw. Eph. Nat. Cur. cent. 1. obſ. 4. p. 31.

bus maniacis (*f*) intra aliquot ſeptimanas, (*g*) hujus anni vero initio cinnabarinis, martialibus, arcan. dupl. Mynſ. &c. præmiſſa larga venæſectione paucis, Altisſimi ope, à me iterum feliciſſime fuit ſublatum diebus.

(*f*) Raym. Joh. Fort. Conſ. & Reſp. Med. Tom. 2. cent. 1. Mang. l. c. l. 11. p. 250. Vict. Trincavell. conſ. 11. l. 1. p. m. 31. f. (*g*) Dec. 2. caſ. 4. tractatul. de Effract. Cran. annex. p. 16.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. Lic. Joan. Matthiæ Mülleri.

De extraordinaria per tuſſim rejecta materia.

CAlculorum per tusſim projectionem apud propriam thalami obſervavi conſortem, (*a*) & longe curioſiorem initio hujus anni menſis Febr. per tusſim excretionem calcis cum pilis vaccinis permiſtæ, quali fabri murarii uti ſolent, decendio ante beatisſimam analyſin apud filium ſedecennem dilectisſimum.

(*a*) Dec. cit. 1. obſ. 2. in ſchol. p. 5. cõnf. 995. D. Matth. Tling. D. Frid. Lachmund. D. Mich. Bernh. Valent. D. Dan. Dorſten. D. Joa. Franc. D. Ambr. Steegm. D. Joan. Lud. Hannemann. E. N. C. Dec. 1. a. 4. 5. p. 236. a. 6. 7. p. 176. Dec. 2. a. 2. p. 378. a. 3. p. 153. Dec. 3. a. 3. p. 88. a. 4. p. 228. a. 5. 6. p. 126. D. Joan. Nic. Pechlinum Obſ. Phyſ. Med. l. 2. obſ. 4. Rich. Morton. Phthiſiolog. l. 3. c. 6. Manget. l. c. t. 1. p. 358. t. 4. p. 160. Paul. Æginet. l. c. l. 3. c. 28. 31. p. m. 447. & 451. c. &c.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. Lic. Joan. Matthiæ Mülleri.

De paſſione iliaca cum excrementorum fœtidiſſimorum vomitibus aliisque deleteriis ſymptomatibus, optimo ſublata ſucceſſu.

SIngularem alvi ſegnitiem honeſtæ, alias ſanæ uxoris jamdum notavi, (*a*) quæ raro ante 10. vel 15tum diem ad excrementa alvina deponenda conſvevit. Plurimi autem citra ſanitatis detrimentum occluſam hanc portam per tantum & etiam minus temporis ſpatium ferre nequeunt: Sic anno 1716. menſe Aprili puerulus illuſtris de Eyb 3. hebdomadum, & 1718. menſe Octobri mercatoris aliquot menſium filiola ob alvi obſtructionem & tormina vehementisſima gravisſime decumbebant; illi poſt enematis applicationem globulus pilæ luſoriæ minoris magnitudine ex tenaci mucilagine contortus, huic vero pilorum ultra ulnam longorum glomus cum ſtriis albis, quaſi filis lineis putridis, utrinque ingenti cum ſtrepitu & ſuccedente ſanitate excernebantur: Et anus ruſtica per novem dies iliaca, excrementa evomens ann. 1716. menſe Aug. ſolo aquæ Kupferzellenſis copioſo hauſtu feliciter evaſit: (*b*) Octogenario item major anno 1718. menſe Julio hujus aquæ balneo aliisque remediis à pertinaci alvi ac veſicæ conſtipatione bono cum Deo convaluit. (*c*) Alias ut taceam, duas tantum adhuc addam notatu dignas obſervationes virorum ultra 40. annos habentium, anno 1717. periculoſisſime (*d*) hoc morbo ægrotantium: Vir enim illuſtris menſe Majo torminibus, ſicut antea aliquoties, vexatus fuit doloroſisſimis, jam cum

(*a*) Dec. c. Obſ. 2. in ſchol. p. 5. (*b*) Deſcript. m. hujus font. c. 5. obſ. 3. p. 18. (*c*) Contin. m. de iſto 1. c. 5. obſ. 7. p. 19. (*d*) Hippocr. Aphor. 10. ſect. 7.

cum ructibus ſtercoreis, quæ convulſiones epilepticæ vehementisſimæ, per triduum durantes, mortemque minitantes præſentisſimam, exceperunt. Ego vocatus præter interna, veſicatoriis ac clyſteribus ſæpius reiteratis, miniſtrante Chirurgo, Divina Benedictione ſanitatis reſtitutionem promovi; alvus enim Domini Patientis, ſine ſenſu adhuc jacentis, tandem ſatis largiter fuit aperta, ac excrementis fœtidisſimis & copioſisſimis exitus conceſſus; ſic convulſionibus ceſſantibus vires paulatim recuperavit. Menſe ſequente Junio Officialis hic habitans, poſt aliquot dierum alvi tarditatem, colicam paſſus eſt ſat vehementem, cum diſtenſione abdominis intenſisſima, præcordiorum anxietatibus, vigiliis &c. hoc in ſtatu enemata emollientia atque ſtimulantia, ung. arthanit. cum epith. emoll. infuſ. laxat. Managet. cum pulp. caſſ. rec. extr. &c. ſed omnia fruſtra ordinavi; poſtero enim die vomitus ſupervenere ſtercorei cum mali potius augmento, quam decremento, hinc cum clyſmatibus aliisque externis, item cum ol. amygd. dulc. vin. malv. ſyr. alth. &c. pulv. magnes. acuat. &c. uti apud alios ſimiles tam periculoſos morbos habentes, ſedulo ac feliter continuavi; lerna enim malorum per inferius guttur ejecta abdominis conciliavit detumeſcentiam, morbiq; fugam.

OBSERVATIO LXV.

Dn. Lic. Joann. Matthiæ Mülleri.

De ſenis ſpasmo interno periodico, paſſioni hyſtericæ perquam ſimili, 15. annos durante, tandem feliciter ſublato.

SUffocatio quidem uterina periodica quotidiana apud 20. aliquot annorum ancillam ante biennium in praxi mihi occurrit curanda & curata, ſequens tamen caſus multo rarior, nimirum: Joh, Nic. Vatter urbis Leutenburgenſis in Principa-

tu Schwartzenburgico-Rudelſtadtenſi civis ſpectatus & alutarius, ultra 13. jam luſtra vivens, tribus ultimis autem integris ſpaſmo interno abdominis & pectoris periodico, hyſtericæ pasſioni admodum ſimili, (*a*) hactenus laboravit; ſingulis enim 14. diebus ſtata hora rugitus in abdomine percepit, cum motu cujusdam globi ibidem impetuoſe agitati, & doloribus contorquentibus vagis per *6.* priores horas durantibus, cibiq; faſtidio totum paroxyſmum comitante; poſtea accesſit præcordiorum anxietas, cordis palpitatio, reſpiratio difficilis, colli contractura, & tandem lipothymia, ad horam usque 12mam; poſt hanc dira hæc mortem ſæpe minitantia ſymptomata paulatim remiſerunt, & hora 18. in pectore poſt 24. horas etiam in abdomine ceſſarunt, remanente aliquandiu totius corporis lasſitudine. Contra hunc gravisſimum morbum à celeberrimis Dominis Medicis aliquot in locis auxilium quidem anxie petiit, ſed fruſtra, donec fama fontis ſoterii Kupferzellenſis allectus, finito 40. milliarium itinere, anni præcedentis die 25. Julii huc veniens conſilium à me efflagitavit: Cui præmisſis præmittendis uſum hujus fontis in-& externum ſuaſi, cum medicamentis cinnabarinis, antiſpasmodicis, martialibus, item ex lumbricis & millepedibus paratis, interpoſitis etiam aliquot lenioribus laxantibus, &c. hisce per 4. hebdomadas continuatis paroxyſmus ſecunda vice plenarie emanſit, qualis emanſio multis annis non contigit. Sicque ab hoc morte minus tolerabili adfectu liberatus Benignitatem Divinam devote celebrans ſumma cum lætitia domum eſt reverſus.

OBSER-

(*a*) Conf. Joh. Dol. Encyclop. Med. dogm. l. 5. c. 2. §. 2. p. m. 483. Thom. Williſ. Patholog. cerebr. c. 5. p. 77. Thom. Bartholin. Cent. 1. hiſt. anat. 45. Phil. Hœchſtetter. dec. 4. caſ. 3. p. 125. Ettmüller. doctr. pract. part. 3. p. m. 28. Pechlin. l. c. Manget. l. c. l. 16. p. 611. &c.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. Lic. Joann. Matthiæ Mülleri.

De calculis per lumborum ſcabiem excretis.

MUſicus hujus loci menſe Nov. 1705. dolorem nephriticum præſertim renis ſiniſtri paſſus eſt intenſisſimum, tandem in ejus regione puſtulæ eruperunt, ex quibus calculi exprimebantur, illis ſimiles, qui cum urina fuerunt excreti, puſtulæ in cruſtam ſcabioſam ardentem degenerarunt; ſequentibus tamen remediis e.gr. oc. ♋. pp. arcan. ☿. cinnab. nat. ⊖fim. columb. ☿ volat. fl. ⊖✱. balſ. peruv. &c. it, unguent. dolor iſte, benedicente Deo, cesſit. Ann. 1715. menſe Octobr. it. 1719. menſe Auguſti iterum colica afflictus fuit nephritica, ſed ſine calculorum ad cutem penetratione.

Sicut hic calculi duplicem invenerunt viam, ſic Caſſellis anno 1700. urinæ excretionem per viam duplicem, urethram & perinæi fiſtulam animadverti.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. Lic. Joann. Matthiæ Mülleri.

De viro reſpective impotente, poſt divortium & initum matrimonium ſecundum bina vice gignente.

JOh. Leonh. Jacobi à pubertatis annis nullum paſſus, in naturali ſtimulo ad rem veneream, vel mentulæ erectione, defectum, Anno 1714. nuptias celebravit cum cauponis Forchtenbergenſis filia, bona magis, quam perſonam, amante; hinc ſponſus ſponſæ averſionem atque contemtum percipiens, amicitiam

citiam conjugalem per copulam carnalem præſtare nequivit, cum aliis, ut credidit, ſi licuiſſet, ad coeundum ſufficiens. Creſcente interim in dies uxoris erga maritum odio, minuebatur quoque viri erga antagoniſtam conjugalis amor, aphrodiſiacis, neglecto Ovidiano: Sed ut ameris, amabilis eſto, incaſſum uſurpatis; ita ut utrinque divortium expeteretur, ac à Clariſſima Cancellaria Hohenloico-Weickersheimenſi ſententia medica hoc in paſſu mihi injungeretur referenda, in qua antedictas (*a*) ad inferendam talem impotentiam reſpectivam capaces æſtimavi cauſas; quale exemplum (*b*) ab odio irreconciliabili & obſequii detrectatione ex propria alibi allegavi praxi, (*c*) & novum haud ita pridem occurrit. Obtento poſtea, ac ab Illuſtri quadam Facultate Juridica aſſerto, divortio, vir cum vidua, aliquot annis in præterito matrimonio unam tantum pariente prolem, ſecundas Morsbaci in patria iniit nuptias, in quo conjugio ſecunda jam dum genuit vice.

(*a*) Cum Paul. Zacch. Quæſt. med. Legal. l. 3. t. 1. q. 1. n. 20. p. m. 266. D. Valentin. Pandect. Med. leg. p. 1. ſ. 1. c. 8. p. 31. Phil. Jac. Vinther. Diſp. inaug. *περὶ τῶν ἀπρακτίων μορίων* c. 9. p. 28. &c. (*b*) Relato ib. ab hoc ſimillimum. (*c*) Dec. cit. Obſ. 6. in ſchol. p. 16.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. Lic. Joann. Matthiæ Mülleri.

De ſanguinis fluxu ex pudoris ſinu quatuor dies natæ puellæ illuſtris, & poſtea ſecunda vice periodico.

MEnſium fluxum in puella ſeptenni jam ante quinquennium tradidi (*a*) cui ſequentem adjungo caſum (*b*) notatu magis dignum: Anno 1718. die 6. Aug. apud filiolam illuſtrem de

(*a*) E. N. C. cent. 5. Obſ. 54. p. 83. (*b*) Cum D. D. Humerwolff, Garliep. Kerkring. Cumen. Bohn. &c. ib. p. 84. in ſchol.

de Stetten tertio poſt nativitatem die borborygmi in abdomine audiebantur, quibus ſequenti die ſanguinis ex uterculo ſupervenit fluxus, hinc illuſtris Domina Mater perterrita linteolum hoc ſanguine tinctum mihi miſit, meum expetens adventum; tertio igitur fluxus die labia pudendi turgidiuſcula, in vaginula quoque ſanguinem congrumatum juxta carunculam myrtiformem infimam obſervavi; poſt 14. dies idem fluxus per triduum, & finitis iterum tot diebus rediit, poſtea ad uſum corall. rubr. ppt. ceſſavit. D.Theod. Kerckringii tamen ex judicio (*c*) paucos ſupra annum menſes vixit, convulſionibusque ex dentitione difficili obiit. Hac occaſione notare volui civis cujusdam hujus loci filiam octennem ſuſtenta febre miliari gravisſima, medicamentisque à balneatore contra icterum nigrum inſulſe exhibitis, ante aliquot menſes in agone cruorem per muliebria emiſiſſe.

Obſervationi 39. in cent. præc. (*d*) allatæ addo: Uxori cuidam illuſtri quadragenariæ menſes per biennium ſingulis 14. diebus fluentes martialibus aliisque hujus anni initio in ordinem me redigiſſe.

Cum uxoris catameniis ſingulis 4. hebdomadibus incipientibus & deſinentibus maritus civis hujus loci eodem tempore aliquoties per octiduum ante annum hæmorrhoidali laboravit fluxu. (*e*)

(*c*) Ib. allèg. (*d*) octav. E. N. C. p. 311. conf. dec. 1. a. 6. 7. p. 219. D. Sim. Schulz. (*e*) It. id. ib. a. 4. 5. p. 39. a. 2. p. 294. Dec. 2. a. 1. p. 171. D. Ehrenfr. Hagendorn. D. Hannemann. Amat. Luſit. cur. 3. cent. 5. p. m. 21. Marcell. Donat. Hiſt. Med. mirab. l. 4. c. 19. p. m. 411. D. Bohn. circ. Anat. Phyſiol. Progymn. 16. p. m. 240.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. Lic. Joann Matthiæ Mülleri.

De convulſionibus & paralyſi variolas malæ notæ comitantibus.

Die anni 1717. 20. Febr. ad cauponis hujus loci filiolum triennem accerſitus ſum, qui aliquot hebdomadibus vix elapſis, ab ictero cum febre hectica conjuncto liberatus, & nono jam dum die variolis periculoſisſimis afflictus fuit, puſtulæ enim vacuæ, albæ, depreſſæ, cicerum cuticulis ſimiles apparebant, reſpirationis & deglutitionis ſimul aderat difficultas, cum ſumma virium lasſitudine, urina erat quaſi ſanie permiſta; hinc bezoardica, cordialia, pectoralia, cinnabarina, item decoctum c. c. ebor, viſc. quer. ſic. rad. liquir. ſem. anis. fœnic. &c. pro potu ordinavi, & ita continuavi, ſic die 24. ad uſurpata quædam reconvaleſcentiæ affulſit ſpes, ultra biduum autem non durans, nam die 26. lipothymia iterum eſt correptus cum motibus quibusdam convulſivis, ac die 27. brachii ſiniſtri paralyſi, & die 28. majoribus motibus convulſivis, quibus cephalicis & veſicatoriis ſuccurri, & ita, auxiliante Divino Numine, excitatis diverſis, perque antimoniata, jovialia, decoct. it. lignorum &c. ſanatis cutis ulceribus plane convaluit, & ad hunc usque diem bene valet.

Occaſione icteri cum febre hectica combinati reminiſcor piſtoris huius civitatis ann. 1710. menſ. Sept. febre acuta laborantis, cui feliciter icterus ſupervenit, qualem effectum contrarium notarunt Uratislavienſium Academiæ Nat. Cur. D. D. Collegæ; (*a*) item pleuritico apud ſeptuagenarium. (*b*)

Para-

(*a*) Hiſtor. morbor. qui 1699. ibidem graſſati ſunt. A. E. I. ann. 1701. menſ. Mov. p. 522. (*b*) Dec. all. 1. obſ. 2. p. 3. it. Joh. Heurn. Comment. in Hippocr. aph. 42. ſect. 6. p. m. 451.

Paralyſin particularem gulæ apud vicinum Dn. Præfectum anno *1706.* menſe Dec. nervinis, Bono cum Deo, curavi, quam letalem reperit D. Hannemannus, (*c*) D. Chriſtian. item de Helwich. (*d*)

Decocta lignorum cum antimonio crudo & mercurio, uti in ſimilibus caſibus pluries alibi, ita honeſtæ uxori vicinæ per aliquot annos copioſa faciei ulcuſcula ſinuoſa patienti inter alia neceſſaria cum fonticulorum inuſtionibus tanto præſcripſi cum fructu, ut ulcuſcula radicitus ſublata fuerint, ac prædicta uxor per octennium nihil amplius de iſtis ſenſerit.

(*c*) E. N. C. dec. 3. a. 9. p. 430. (*d*) Ib. Cent. 5. obſ. 59. p. 93. ſqq.

OBSERVATIO LXX.

Dn. Lic. Joan. Matthiæ Mülleri.

De ſudore particulari anaſarcam & rheumatiſmum ſolvente.

DE ſudore particulari frontis copioſisſimo jamdum alibi mentionem feci, (*a*) ubi & alia de ſudoribus variis rarioribus notata ſunt; (*b*) quorſum & ſequentem referendam cenſeo hiſtoriam: Vidua plusquam ſexagenaria in pago abhinc vicino Cocher-Stetten initio anni 1718. inſigni laboravit anaſarca, cubatum & incesſionem plenarie, ſesſionem vero propemodum impediente, nil tamen præter decoctum paſſul. bacc. junip. &c. uſurpavit; intra brevisſimum autem temporis ſpatium per largisſimum genuum tantummodo ſudorem inde fuit liberata, & tantum effectum precibus adſcripſit publicis; ex relatione iſtius loci Dn. Paſtoris Sartorii die d. a. 30. Maji, qui tum ſimul narravit, ſe Paſtorem noſſe, ſiniſtra tantum faciei

(*a*) l. c. obſ. 10. ſchol. p. 24. (*b*) ex E. N. C. plurimis locis, Act. Haffn. Manget. l. c. Actuar. de jud. urin. l. c. c. 10. p. m. 8. Dol. obſ. 30. operib. illius annex. p. m. 119. 125. &c.

parte ſtrophiolo continuo detergenda ſudantem. Ante triennium, & quod excurrit, vicinus quidam Dominus Præfectus recenſuit: paucas ante hebdomades ingentem humeri rheumaticum dolorem ſeri acerrimi per digitos exſtillatione ipſi fuiſſe ſolutum. Huic quoque præterita æſtate ſub balnei aquæ Kupferzellenſis uſu ſudor mucilaginoſus viſcidus cum emolumento fuit excretus.

OBSERVATIO LXXI.
Dn. Lic. Joann. Matthiæ Mülleri.
De fonte ſoterio Kupferzellenſi.

ANno 1715. prope oppidum Kupferzell, in ditione Celſisſimi atque Excellentisſimi Comitis ac Domini, Domini Philippi Erneſti, Comitis de Hohenlohe, & Dynaſtæ de Langenburg &c. Sacr. Cæſ. Maj. Conſiliarii Intimi, Inclyti Comitatus Hohenloici Senioris, hujusque Regalium Feudalium Adminiſtratoris &c. Comitis ac Domini mei Clementisſimi, à Præcone Caſtrenſi in vicinia degente in prati paludoſi (poſt fontis ſtatum admodum firmi) foveis aqua obſervata eſt nares ejus volatilitate feriens cum ſeparata terra albicante; quam obſervationem in diverſorio ibidem per diſcurſum narravit, quo audito, laudabili Domini Præfecti ibidem, Fautoris mei colendisſimi, cura caverna fodiebatur, quo facto aqua è ſcaturigine copioſe prodiens perpetuoque defluens à multis hominibus ſummo hauriebatur cum emolumento, hinc gratioſisſimo Celſisſimæ Excellentiæ juſſu tertia vice per inquiſitiones chymicas à me fuit examinata, (*a*) & anno ſequente ſca-

turigo

(*a*) Juxta D. Roſ. Lentil. Eteodrom. Med. Pract. ann. 1709. menſ. Jun. & Jan. p. 536. 32. D. Godofr. Klaunig. D. Chriſt. Gottl. Reuſner. E. N. C. cent. 2. obſ. 69. p. 361. cent. 5. obſ. 64. p. 109. cent. 7. obſ. 24. p. 52. D. Hier. Petr. Sultzer. Diſp. inaug. de methodo examinandi aquas

quas

turigo tubo, & arca vel ſepta aquaria circumcluſa, ubi inter effodiendum rudera caſtelli aquarii, tubi excavati, & fruſta urnarum, ad acidularum uſum alias deſtinatarum, profunde admodum reperiebantur; à quo tempore aquæ effluxus per duos ſiphones dimidii pugni craſſitudinis eſt perpetuus.

Anno 1717. Clementisſimo Celſisſimi nutu tractatulum de hoc fonte edidi cum annexo Excellentisſimi D D. Joh. Maur. Hoffmanni, Sereniſs. March. Onoldo-Brandenburgici Conſiliarii Aulici & Archiatri primarii exaſciatisſimo judicio; quali & ſuperbit continuatio mea de hoc fonte anniverſaria tertia, quod Celſisſimi Domini Comitis de Hohenlohe Schillingsfürſt, ſubmisſima cum veneratione ſæpius memorati, Archiater meritisſimus Tit. D. D. Joh. Georg. Haſeneſtius benigne communicavit, quibus tantorum Patronorum exaſciatis laboribus eſſentia & virtutes hujus aquæ, à me rudi Minerva delineatæ, magis eluceſcunt.

Sicut aquæ aliæ aliis virtute longe præſtant, (*b*) ita hæc puritate, levitate, & ſubtilitate multis aliis (ſæpius etiam magis ex Auctoritate, quam vera præſtantia) celebribus aquis re ipſa præferenda, ceu ex illius exiſtentia atque effectu patebit:

Continentur enim hic

I. Copia ſpiritus ætherei manifeſti ex

1. Odore, accenſo pulveri pyrio propemodum ſimili, quod ſubtile gas ſulphureum tamen in acceptiori & gratiori percipitur gradu, & poſt ſecretionem vel deſtillationem volatilius naribus ſeſe offert. (*c*)
2. Bullulis copioſis cum in vitrum funditur, ex ejus fundo

quas ſalubres ſub Præſidio D. D. Frid. Hoffmann. D. J. Phil. Seipp, de fonte Pyrmont. c. 4. p. 82. ſqq. D. Joh. Georg. Brebis. de Baln. Rotenb. c. 2. p. 39. D. Joh. Matth. Briegel de fonte Zeiſenhuſ. c. 4. p. 24. ſqq. &c. &c. (*b*) Hippocrat. lib. de aq. aër. & loc. c. 1. cum Bacc. Baldin. commentar. ad eund. p. m. 37. 49. (*c*) D. Haſeneſt. l. c. Tractatul. it. m. alleg. c. 2. p. 4.

ad ſuperficiem tendentibus, vel lateribus inſtar margaritarum adhærentibus, (*d*) ut in aliis efficacibus acidulis, certisſimo Spiritus ætherei intus reconditi indicio. (*e*)

3. Volatilitatis concentratione in receptaculo aquario, cujus parietibus & tubo, calidiori præſertim tempeſtate, aquaque frigidiori exiſtente, aphronitro pene æquale concretum (*f*) ſalino-ſulphureo-volatile, cryſtalliforme, facile ſolubile, leniter amaricante, ſubſalſo ac frigidiuſculo ſapore linguam feriens, prunis candentibus injectum nec flammam ſulphuris indicem edens, nec inſtar nitri fulgurans, ſed inſtar ſalis communis crepitans, & penetrantem ſulphureum odorem exhibens adhæret.

II. Aqua clarisſima, calidisſima, æſtate frigidisſima, hyeme vero acerba tepida, nunquam congelans, ſed glaciem in momento, & cryſtalliforme relatum concretum ſolvens, poſt ebullitionem cito refrigerans, (*g*) cuti nitorem afferens, ſapore grata, papillis nerveis relinquentem ſubtilem, nitroſam, ſubadſtringentem ſalſedinem imprimens. (*h*)

III. Solida medicamentoſa:

1. Sal enixum, vel alcalico-ſalſo-amarum, elixiviatum eſt.
2. Terra ſubtili, levi, ſubcineritia, alcalica, argillacea, per cujus calcinationem ſal liniviofum acre alcalicum, ſalis tartari inſtar, produci poteſt.
3. Particulæ martiales ex ochra flava ubique depoſita exſiccata magneti adhærente perſpicuæ.

Quas vires autem posſideat, & quos effectus præſtiterit, ſequens morborum, etiam decem, quindecim, imo triginta annos

(*d*) D. Sultzer l. c. p. 11. (*e*) D. J.M. Hoffmann. l. c. (*f*) Chriſt. Gunth. Schmalkald. Diſp. inaug. de Nitro ſub Præſid. prælaud. D. Fr. Hoffmann. §. 3. (*g*) Hippocr. aph. 26. ſ. 5. Joh. Heurn. comment. eund. p. m. 353. Jul. Alexandrin. ſalubr. l. 17. c. 9. p. m. 405. b. (*h*) D. J. M. Hoffmann. l. c.

nos durantium, & aliorum pertinaciſſimorum, ab aliquot tantum dierum ad nonagenariam quoque ætatem, per uſum æque in- ac externum, ac non tantum æſtivalem, ſed & hyemalem, inde Divinâ Benedictione ſæpe miraculi inſtar curatorum & mitigatorum Catalogus aperiet: Nimirum in tumore tonſillarum & deglutitione impedita, anorexia, ardore ſtomachi, colica, paſſione iliaca, ictero, malo & dolore hypochondriaco, obſtructione vaſorum & alvi, ſcorbuto, febribus acutis & intermittentibus, catarrho, tuſſi, aſthmate, incipiente hectica atq; phthiſi, vomica, cardialgia, cordis palpitatione, tabe & tumore abdominis ac pedum œdematoſo, cachexia, nephritide, iſchuria, dyſuria, ſtranguria, menſibus deficientibus & difficulter fluentibus, fluore albo, ſterilitate, paſſione hyſterica, huicque perſimili ſpaſmo interno virili, item flatulento, artuum laſſitudine, claudicatione, dolore, paralytica gravitate, arthritide, rachitide, ſcabie, impetigine, lepra, tinea, ulceribus diuturnis, verrucis, eryſipelate, tumore inflammatorio, cancri doloris & exeſionis mitigatione, ophthalmia, fiſtula lacrymali, viſu imminuto, narium hæmorrhagia, ſurditate, auris ulcere, aphthis, convulſionibus epilepticis, vertigine, cephalalgia, delirio melancholico, agrypnia, &c. &c.

(*Cunzelſavio Auguſtam Vind. d.* 21. *Octobr. A.* 1720. *miſſæ.*)

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. Joannis Caſpari Grimmii.

De Uſu Fabæ S. Ignatii.

PHarmacopœus & Chymicus haud incelebris, XLIV. annorum, cachexiæ obnoxius, ſibi perſuaſit ex lectione Autorum, magnam energiam in morbis chronicis ineſſe Fabæ S. Ignatii, ideoque de ea ℈j. aſſumſit mane in juſculo, quo facto poſt horæ ſpatium quaſi ebrius factus cum inſenſibilitate totius

tius corporis, continua tamen agitatione & anxietate, inſuper attonitus quaſi incesſit. Hinc auxilium meum imploravit; cui pro circulatione ſanguinis ſufflaminata ordinavi venæſectionem in brachio, & medicamenta reſolventia exhibui, præprimis vero Eſſentiam Succini ſaſſafr. cum potu H. Thee in majori quantitate; poſtea ſubſecutus fuit ſudor largior, poſt aliquot autem horas ceſſavit hic affectus. Adeoque concludendum, Fabæ S. Ingatii ineſſe vim narcoticam. Reperiuntur hæ in Inſulis Philippinis Indiæ; proprie non ſunt Fabæ, quia non ſunt bipartitæ, ſed tantummodo grana in fructu quodam Melonibus non abſimili. Plerique hodierni Medici ſtatuunt, Fabas has eſſe ſpeciem Nucum vomicarum, quas Serapio deſcribit; aliàs multarum virium & quaſi Panaceam eſſe multi aſſerunt.

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Atreta.

FOemina plebeja, non tamen ex durioribns, juxta relationem ab embryulco & chirurgo teſtibus fide dignis factam, à primo partu eoque perquam difficili, & tractatione violentâ, diu ægra & dejecta, ab intumeſcentia quidem locorum epithematibus, à læſione autem ipſorum inferiorē & interiore oleo ovorum cum balſam. peruviano tardè admodum, non ſatis cautè tamen, curata manſit abinde obnoxia frequentibus doloribus, per vices invadentibus, nullo leniendis remedio, niſi tandem ſpontè ſenſim remiſerint; ſed ſubinde reverſuri: Primò negligentius habiti, donec tempus eorum periodicum, & menſtruæ defectus purgationis, ſub memoriâ præteritorum, excitaret ſuſpicionem morbi in conformatione læsâ, maritus inſuper quæſitus impedimentum admisſionis referret, & exploratio tandem chirurgica vaginæ occluſio-

cluſionem, à coalitione non externa ſuperficiali ſed intimiore & profundiore, ſalvâ urethrâ, confirmaret.

Interim dum iſta patitur, & dolorum cauſa non agnoſcitur; dum agnitæ remedium quæritur, diu, fruſtrà; labuntur tres anni. Ex phænomenis notabilibus reſciſcere mihi licuit ſequentia: Per tempus illud adeò longum, ſingulis menſibus, recruduiſſe dolorem ſive torminum vehementiam per dies aliquot, tantam, ut adſtantes ad commiſerationem traxerit, laborans per nixus quaſi parturientis, ſed toties in vanum, cum puncturis, lancinationibus, ardore, ad antica, poſtica; ſemper cum alvi tunc moleſtâ conſtipatione.

Per annos iſtos non factam fuiſſe alibi cruoris eruptionem, aut aberrationem ad loca vicina vel remota. Defectum ita menſium non intuliſſe corpori reliquo præjudicium ſingulare; querelas fuiſſe ſuo ſaltem tempore, tantum de ventre imo; non aliàs, non alibi. Fœminam adeò afflictam fuiſſe quidem corpore conſumtam in tantum, doloribus tamen iſtis non confectam. Impunè inſuper tuliſſe data varia, benè, malè; alvum conſtipatam ſæpe fuiſſe laxatam; ad finem ſeptimanæ ultimæ miſſum è pede ſanguinem, & data tunc orgaſmum temperantia; in vanum &c.

Quæ ſi vel maximè haberent admirationis nihil, habebit tamen hoc, quod ſequitur: Laudanum, quod ad tonſores enotuit, ſedandis doloribus exhibitum fuit, ſub ipſam eorum urgentiam periodicam, & repetitum toties, ut aſcendendo tandem a paucioribus ſucceſsivè ad 5. 6. 7. grana usque fuerit perventum. Magnis primò cum laudibus, à ſedatis doloribus; tandem plerumque etiam ſine procurato ſomno: Sed cùm ita prohiberi non poſſent, quò minus recurrerent, quin anticiparint ad 3. 2. ſeptimanam, imò tandem excruciarent ſingulis, atque adeò eluderent vim opii, cum altiùs in doſi aſcendere non auderent, de aliis cogitandum fuit. Interim narcotici uſus talis tantusque caſu oblatus reflexioni medicæ manet commendatus.

Tandem Atretam illam, non ab ortu talem, nec obductâ ſolùm extus membranâ velatam, ſed adultam, quondam puerperam, vaginæ interiore coalitione tandiu laborantem, liberari tamen potuiſſe, & reſerari loca imperforatæ, ope chirurgicâ, ſubjungendum eſt. Martio enim anni 1718. dilatato prius per immiſſum tubulum plumbeum ingreſſu, adactâ acie tricuſpide, tentata primùm fuit perforatio; dilatatoriis dein turundis ampliatâ viâ, (non enim tenue ſimplex ſed craſſum & ſolidum fuiſſe obſtaculum,) alterâ vice ſequente die repetitâ inciſione penetrari potuit in vaginæ cavum; indicio effluxûs citi cruoris multi. Itaque ſenſim per dies continuando ampliationem, & prohibendo coalitum novum, absque ſuperventu ſymptomatum gravium, eò res fuit deducta, ut locis recluſis & manentibus patulis, in poſterum ab invaſione iſtâ dolorum libera potuerit menſtruari, tandiu verſata ſtatu in ancipiti.

Si quæras, quid apertis iſtis profluxerit? relatum fuit: non aquam, vel ſaniem; non purulentam materiam; ſed cruoris ſubnigri, crasſi, tenacis, multum, primâ vice ad æſtimium vel menſuræ noſtratis, expertem fœtoris, ad ſubſidentiam indè ventris; qui priùs tamen non fuerit viſus adeò tumere. Mirum, ſive in vaſis accumulatus, ſive in cavum fuerit effuſus, graviorem nec induiſſe corruptionem, nec intuliſſe noxam.

Interim jam tertium in annum dicitur pro certo, menſtruari iſtam, virum admittere, non tamen concepiſſe hactenus, nuper delapſam ab horreo, absque noxâ graviore, valere ſatis benè.

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Elumbis.

LEgatur etiam in his non hygieiæ tantùm ſed & morbonæ monumentis hiſtoria, & conſervetur memoria nuper defuncti

ſuncti Amici, per tria luſtra ſingulari modo Elumbis, impotentiâ inferi corporis horizontali ſic enervati, ut in reſolutos tamen pedes excurreret tenſio ſpasmodica & frequens & acris. Juvenis annor. circ. 26. ſtaturæ non magnæ, firmæ tamen & robuſtæ, temperatè ſanguineus, qui ob hæmorrhagiam narium aliquoties ſanguinem miſerat, dein intermiſerat, anno ſeculi tertio, menſe Julio, ab equo excuſſus, ad viciniam duram adeò graviter fuit adliſus, ut à veſperâ per noctem quaſi ſenſibus privatus vel ſopitus manè demum ad ſe redierit à vino & caſu. Cùm de crure dextro unicè moveret querelas, à chirurgo hoc tractatum fuit, præcipuè genu, quod percuſſum & ſubluxatum dicebatur. Et videbatur utique benè reſtitutum; ſed ſequenti tempore de pede ſiniſtro fuerunt querelæ non minores tanquam infirmiore. Nec hoc ſolùm, dum ſecuriùs & negligentiùs res tractaretur, ſenſim & occultè dubio modo noſter pede utroque magis debilitatus fuit, per annum non unum, ſed per tres, in quartum, donec tandem propemodum nihil amplius valeret utroque. De dorſo primum nihil auditum; nec tactu poſthac prægreſſæ luxationis vel fracturæ ſigna ibi usquam vel unquam comparuerunt. De alio tamen principio, aut alia ſuperveniente causâ ſecuturæ longæ gravis miſeriæ, præter gravem iſtum caſum, & intimiorem à vehementi concusſione in occulto labefactationem ſpinalis medullæ, non conſtat. Hoc tamen non prætermittendum, pedibus adhuc in ſtatu utcunque bono, dubio, conſtitutis, per annos illos, ſpem Conjugii fuiſſe propinquam; ſed quâ excidit, ut abhinc ipſi fuerit vivendum & manendum in cœlibatu.

Cum itaque jam non parum enervati eſſent pedes, in pejus tamen omnia iverunt à majo anni ſeptimi, quo ſuſtinuit choleram quandam, ſed brevi ſuperatam. Unde per æſtatem querelarum ſumma huc redibat: hæc erat ab illo tempore in ſequentes annos ſtatus deſcriptio: Capite, pectore, brachiis in ſalvo, diu, corpore ſupero toto libero ſano, à lumbis quaſi cingulum ſtrictura antrorſum ſe extendit, absque ulteriore ta-

men per dorſum dolore, nec cum ſenſu per hoc formicationis, pedes modò fuerunt infirmi, in tantum, ut nec valeret ad ſuſtinendum, nec ad procedendum, nec in lumbis & cruribus erat robur, quin corrueret corpus niſi detentum. Interim ſedens, jacens parum ipſos movere potuit, nec ſenſu carebat in ipſis, quin vel pulicum morſus eſſent moleſti, & pruritus ipſorum ſæpè nimis quàm cogebat ad frictiones. Cæterùm ipſis non dolebat, cùm eſſent etiam calidi, frigus tamen ægrè ferentes, nondum tabidi, nec tumidi, ut nec Tabes dorſalis æquè huc quadrare videretur.

In hos adeò debiles pedes magna pars querelarum fuit, fieri toties violentas quaſi irruptiones, & extenſiones, per plures annos. Ita ſedendum per eorum luſtra, laborandum capite, & manibus, ſcribendo, &c. geſtandus ipſe de lecto in lectum. Sequentibus tamen annis, ſub & poſt dicendorum uſum, cœpit omni niſu tentare & experiri motum, unde ad menſam nixus, baculo fultus, ab alio ſuſtentatus & ductus, utcunque ægrè, ſæpè tamen & diu, incurvatus flexo corpore miſer quaſi rependo ambulavit, quin & ſcalas aſcendit.

Morbi interim per annos iſtos fuerunt anno iſto ſeculi ſeptimo, Julio menſe paroxyſmus tertianæ epidemiæ non niſi unus; pluribus cortice non parco repreſſis. Octavi Martio, Aprili, Julio, recidivæ. Hisque ipſis annis duobus ſcabies. Nono, ſub autumnum odontalgia cum gravi genæ tumore, ſed diſcuſſo, de cætero nihil ſingulare p. n.

Inter cauſas moleſtiùs graviusque ſolitas tendere pedes fuit vinum, & vini ſpiritus, ut ne eſſentias vel qnicquid cum ipſo paratum ferret: paroxyſmum autem iſtorum febrilium pars horrida pedes inprimis dirum in modum exercuit & vexavit. Ex adverſo, melius in his ſe videbatur habere, cùm eſſent ſcabioſi, & à fricando benè humidi.

Inter etiam & præter quàm plurima alia uſurpata mentio facienda quoque primum externorum: Anno ſeculi ſexto balnei Blaſiani; anno ſeptimo Thermarum Ferinarum: (cum potu

potu acidularum, ſed quarum non ultra libram neſcio cur ſe bibere potuiſſe dixit:) Sedit in his per tres horas, capite non doluit, alvum habuit liberam, pruritum cutis cum arenâ ibi fricare ſolitus. Ult. ſeptim. coryzam paſſus gravem, cum languore artuum majore, ita tamen ſe recollegit, ut equo inſidens quemadmodum eò venerat ſic redierit, brachiis ſe tenendo potius ſuper equum, quàm cruribus: paucis, à thermis nil melius.

Anno nono ſalivatio per inunctionem procurata à medio Aprilis ad medium Maji, cum decocto lign. ſubjunctis balneis, & unguentis. Cùm non malè tuliſſet, ſic feliciter ſuperaſſet illam, videbatur ſpes quædam ſucceſsûs; ſed non magni, res ferè manſit in priſtino infirmitatis ſtatu. Cætera externa magno numero & varia olea, emplaſtra dorſo impoſita transeant: fuit etiam ſpiritus vitrioli volat. à dorſo in crura ad unc. ſex ſenſim illitus; ſed & hic fruſtrà.

Ex internis memorandi ſpiritus urinoſi, ammon. & corn. cerv. in aquâ, in vino; à quorum uſu non parco pruritus magnus & longus. Porrô, abſtinentia à vino; ſubſtituta diæta lactea; quas ita laudavit, ut ſi non melius, tamen valeret indè non pejus. Sic etiam balſ. copaive à guttis ad drachmæ dimidium ſumſit, absque ſenſu fortioris urgentiæ ad urinam, ſed ructuum frequentiam. &c.

Qui tandiu per tot annorum partes, etiam hyemes, ſederat in officinâ, qui à geſtantibus fuerat non ſemel proſtratus, noctu è lecto delapſus, usque renitens, vigore corporis ſuperi, etiam appetitu bono, conſtans, tandem ſenſim languere cœpit, usque magis, maximè per hunc annum ſeculi vigeſimum; ad poſtremum brachiis etiam enervatis, ut cibandus fuerit ab alio, & ſcribere vix valuerit amplius. Ergò tandem paucis poſt tusſim gravem in lecto transactis diebus, linguâ etiam reſolvi visâ, non hydropicus, non convulſus, non apoplecticus, pedibus non tumidis, non ulceratis, ſed conſumtis,

Ccc 3 rigi-

rigidis, exhauſtus leniter occubuit & exſpiravit, die 15 Septembris, annorum 43. paucorum inſuper menſium. r. i. p!

(*Tubinga Auguſtam Vind. d. 17. Nov. A.* 1720. *miſſæ.*)

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. Chriſtiani Henrici Erndel.

Nova Trichiaſin & Diſtoichiaſin tractandi methodus.

TRichiaſis & Diſtoichiaſis inter rariores merito numerantur oculorum affectus: Et communiter quidem Trichiaſis definitur ab autoribus Chirurgis, quod ſit affectus palpebrarum, ubi pili tarſi palpebræ ſuperioris introverſi bulbum oculi continuo irritant, & pungentem ſenſum maxime dolorificum una cum inſequenti inflammatione inducunt. Talis poteſt à prægreſſa & male tractata palpebræ læſione per vulnera, uſtiones, abſceſſus, & hinc nata informi cicatrice ortum ducere, ut ita introvertatur palpebræ tarſus, ut cilia vel pili ejus, oculi bulbo moleſte incumbant. Et in hoc caſu læſionis cauſa manifeſta eſt, & fortasſis utplurimum ineptæ medentis manui & tractandi modo adſcribenda. Plane aliter autem ſe res habet cum *Diſtoichiaſi*, quæ non raro cum Trichiaſi, aſt malè, confunditur, à Phalangoſi autem parum vel nihil differt: in hac Diſtoichiaſi revera duplex ciliorum obſervatur ordo, uti ipſa vocabuli origine Græci, ex δὶς & ςοῖχος compoſiti, etymologia manifeſtat, naturalis alter extraverſus ſine omni vitio, oculo noſtro pro decore non minus ac defenſione bulbi à Creatore O. M. datus, ſiquidem pilis his tanquam vallo limbus palpebrarum cartilagineus ſeptus eſt, ut, & apertis oculis, ſi quid incideret, repelleretur, & ſomno conniventibus, cum iis ad cernendum non egeremus, oculi his quaſi involuti melius quieſcerent: alter præternaturalis, ex internâ tarſi parte ſeorſim enatus,

enatus, oculum peſſime afficiens cum dolore continuo, intolerabili æque ac inflammatorio, qui ſi diutius durat, cœcitatem non minus ac Trichiaſis, per inſpiſſationem & corruptionem humorum oculi naturalium, tandem inducit.

Hanc ipſam *Diſtoichiaſin* videre mihi licuit ante aliquot hebdomadas Warſaviæ, in plebejo viro, vietoris opificium exercente, quadraginta incirca annorum, ſano alias & ſatis vegeto, non obeſo quidem, aſt toroſo tamen & robuſto cum mediocri corporis ſtatura. Accedebat me hic ipſe miſerabili & luctuoſa facie, *die* 15. *Novembr. a. c.* & tectis ſtrophiolo oculis, præſertim quando hos luci diurnæ obvertere debebat, (communiter enim nihil magis reformidare ſolent oculis affecti quam lucis & aëris novum impulſum) de exquiſitisſimo oculorum dolore, ex pungentibus bulbum pilis, acerbe querebatur. Ego tunc inſpectis uti decet oculis, utrumque inflammatione tunicæ adnatæ male affectum, ſiniſtri autem pupillam ad ſuffuſionem jam vergentem obſervavi: reclinatus poſtea etiam debita circumſpectione palpebrarum tarſis, in inversâ vel interiori horum parte, pilos breviores, non denſe uti cilia ſtipatos, ſed rariores hinc inde enatos, aſt rigidiuſculos conſpexi, ita quidem locatos, ut ciliorum ſitum naturalem altitudine aliquantum ſuperarent. De cauſa occaſionali hujus affectus patiens ſciſcitatus, reſpondit ante duos annos, cum uxorem, poſtquam ab injuriis verbalibus ad reales venerint, probe dedolaſſet, & illa amicos in auxilium vocaſſet, hi uxoris partes tuentes, pugnis & fuſtibus ipſum male mulctaſſe, ſimulque caput aliquoties lapidi cuidam grandiori allidiſſe, ex quibus plagis paulo poſt capitis intumeſcentia ingens & oculorum inflammatio ſecuta, unde tandem ſenſim ſenſimque hunc affectum contraxiſſet, ut pili ex interiori parte palpebræ creverint atque inſigni dolore ipſum affecerint. Poſthæc modo his, modo illis adhibitis externis contra hoc malum quidem certavit, conſultis pro hoc ſcopo, & Sacerdotibus, & anibus, uti & circumforaneis quibusdam, inter alia conſilia à Sacerdo-

te

te quodam ipſi promittebatur pilorum illorum per applicationem certæ cujusdam plantæ exſtirpatio: alii uſum ſanguinis ranarum viridium, alii calcis vivæ extractionem & applicationem pro conſumendis illis pilis ſuadebant. Aſt omnibus his nihil penitus proficientibus, certius remedium hactenus quidem expertus eſt aliud nullum, præter evulſionem pilorum pungentium per volſellam, quâ ad octiduum vel duas ſeptimanas etiam, ab acerbiori & continuo dolore immunem ſe præſtat, inconſtanti licet & nimis brevi auxilio.

Ego dolens infelicem hujus viri ſtatum, mentem meam ſuper hoc malum ita ipſi explicavi: non improbandum quidem eſſe auxilium, quod in evulſione pilorum iſtorum nocentium quæreret, & ex parte obtinuiſſet, conſtantiorem autem fore hujus operationis uſum, ſi poſt extractos pilos foraminula hinc patentia, candenti acu tangeret, eoque ipſo excretionem novorum ſi non penitus impediret, diutius tamen protraheret: quod ſi & hæc foraminulorum cauteriſatio non ſufficeret, nil niſi reſectionem cartilaginei illius limbi, ex quo & naturalia cilia & præternaturalis hic pilorum ordo excreſcerent, in ſolatium ejus ſupereſſe, tanquam unicum & certiſſimum hujus mali remedium.

Cum autem poſt miſeri hujus abitum, ipſius affectus raritas ſimul & luctuoſa moleſtia, animum meum in accuratiorem contemplationem & commiſerationem erga patiens ſubjectum deflexiſſent, profundius cepi rem ipſam mentis acie inſpicere, & primo quidem ratione cauſæ, ſecundo autem & præcipue ratione tractationis & curationis hujus mali cogitationibus meis indulgere & ſpeculationes inſtituere. Et cauſas quidem quod attinet, apud pleroſque Autores, Medicos juxta, & qui de Chirurgia ex ptofeſſo ſcripſerunt, videmus allegari abundantiam particularum crasſiorum & fuliginoſarum ſucci nutritii, quæ cum reliquo ſucco chyloſo ad corpora ovalia circa radices pilorum ſita, depoſitæ & non abſumptæ propter excedentem copiam, novos largiri radicum ſurculos

& pi

& pilorum proventum efficere exiſtimantur: quæ hujus mali ætiologia remote ſpectata, omnino quidem accipienda, quod autem proximam attinet, & qua ratione per dolorificam inflammationem ſolam, pili ejusmodi excreſcant, de hoc nihil quidem apud illos, quos evolvi Autores notatu dignum invenio. Si autem mentem meam explicare liberius licet, ita quidem ſentiendum judico: Revera mihi non novus pilorum proventus ex ſingularibus & propriis radicibus enatus hic eſſe videtur, ſed ipſæ naturalium Ciliorum radices oblique reſpectu prominentium ex margine pilorum plantatæ, novos emittunt ſurculos, qui perforantes interiorem palpebrarum tunicam, hanc præternaturalem pilorum ſeriem ſuppeditant: ſurculorum autem illorum perforatio continuæ presſioni & attritui inflammatorio adſcribenda, quæ idem illud efficere valent, quod crebrior barbæ jam tonſæ perfricatio, quæ mox largiorem pilorum egreſſum promovere ſolet. Hinc etiam altiori longe, quam cilia naturalia loco, hi pili excreſcere ſolent, & non aliter plantati eſſe videntur, ac ſi pili illi prominentes oblique per palpebrarum margines, ſuperiora verſus transfixi eſſent.

Alterum quod concernit, affectum hunc tractandi & curandi methodum, jam ex ſupra dictis liquet, & in Trichiaſi, & in Diſtoichiaſi, præter evulſionem pilorum & cauteriſationem, vel denique omnimodam reſectionem limbi cartilaginei, pro ſolatio & auxilio ab Autoribus in medium proferri nihil. Neque memini, cum apud Batavos, Amſterodami præſertim, maximos in arte viros, *Ruyſchium* puta & *Rawium* Chirurgiam docentes ac demonſtrantes audiſſem, aliud quid ab illis pro curatione hujus mali commendatum fuiſſe. Et tamen ſi conſideremus, quam durum ſit ſupplicium acu candente maxime ſenſibilem partem tangere, quàm crudele palpebram mutilare cartilagineæ partis reſectione, & abſurdum maxime turpisſimumque aſpectum eô ipsô efficere, operæ pretium erit omnino, de mitiori remedio cogitare: Et revera

eò res redit, ſi corpus quoddam congruum bulbum oculi inter & palpebram poſſet applicari, quod bulbum non læderet, nec viſum impediret, ſaltem enormiter, conſultum eſſe omni difficultati. Hæc animo volventi, in mentem mihi venit artificialis oculus ex vitro fuſo paratus & pictus, ut pupillam colore congruo inducto, repræſentet, quo uti ſolent communiter illi, qui alterutrum oculum, quoad pupillam, vel ex morbo vel externa violentia enormiter læſum habent, ita tamen, ut bulbus adhuc globoſitate ſua integer & adhuc ſuperſtes ſit: illi ſine omni moleſtia vitreum hoc hemiſphærium intra palpebras intrudunt, quæ retinaculi loco ſunt, ne excidat facile, & eodem modo, ut naturalem oculum movent, cubitum autem ituri pro ſomno capiendo eximunt, & ſæpius abſtergunt, de cætero nihil niſi hoc caventes, ne caſu, ictu vel quocunque alio violento modo, machina hæc intra orbitam diffringatur. Quod ſi ad imitationem oculi hujus artificialis, (qui aliàs Pariſiis nitidè conficitur, & ad nos transmittitur,) *vitrea* ejusmodi *hemiſphæria*, ſine pictura, *plane diaphana* conficerentur, & laborantibus Trichiaſi ac Diſtoichiaſi oculis applicarentur, annon ſuavius longe & conſtantius miſere affectis ita ſuppeditaretur auxilium, præ crudeli iſtâ cauteriſatione & reſectione palpebræ per forficem chirurgicam? Neque enim viſus ipſe inſigniter inde ſufflaminari poſſet: transparens enim vitrum tenue, & debite ſecundum Optices regulas confectum, impedire non poteſt, ut ex vaſto horizonte prodeuntes radii in unum punctum colligi, inque exiguas imagines contrahi posſint, quamdiu ſaltem lenticularis cryſtallinus oculi humor in actione, figura & claritate ſua integer adhuc eſt: nec motus bulbi ad videndum & circumſpiciendum neceſſarius, adeo inſigniter impediri poteſt, ſi modo lævigatum ſatis & politum ſit vitrum: an autem lymphæ ex glandulis & ductibus oculorum continua excretio, obſcurando vitrum & infringendo radios viſivos obſtare posſit, examinandum quidem etiam eſt probe: continuo enim pro pupilla humectanda & bulbo lu-

bricanTo-

bricando, ne in motu fatiſcat, ſufficiens ex glandula *Stenoniana* & *Meibomianis* ductibus ſuppeditatur humor: aſt & hic partim intra bulbum & vitrum, partim intra hoc & palpebram dimanare & naturali modo ad puncta lacrymalia derivari poteſt: neque unquam ullum, qui oculo artificiali uſus eſt, nimis lippientem obſervavi, vidi autem & novi eorum plures. Quod ſi etiam non in totum ſemper per vias conſuetas abſorberetur deſtillans ex oculis lympha, obſcurari tamen inde adeo inſigniter non poteſt vitrum, niſi adeo craſſus & lentus humor ſit, qui ſupra illud condenſatus, transparentiam impediret, quod in ſtatu hujus lymphæ naturali nunquam accidit, in omnem eventum autem per abſterſionem frequentiorem poſſet præcaveri.

Ex defectu artificis, qui vitrea hujusmodi hemiſphæria vel ad lampadem vel alio modo præpararet, ipſius rei periculum facere hic loci quidem non potui, aliàs de invento hoc confidentius ſtatuerem. Interim tamen cogitationes has meas cum publico communicare nullus dubitavi, ſperans fore, ut interim aliis accuratius rem examinare vel experimenta ipſa inſtituere integrum ſit, antequam mihi potiundi debitis ad experientiam adminiculis occaſio emergat. Tacere interim non poſſum, propoſuiſſe me has meas ſpeculationes tunc *Illuſtri D. D. Heuchero, Conſiliario & Archiatro Regio, Viro ad artem noſtram augendam & ornandam, propter ſummas quibus pollet animi & ingenii dotes, verè natum*, qui, exceptis & tactis jam objectionibus, ex Optices legibus & naturali oculorum uſu deſumptis, nulla inſigni difficultate, propoſitam hanc Trichiaſin tractandi methodum premi exiſtimavit.

(*Warſaviâ d.* 9. *Decembr.* 1720. *Vratiſlaviam ad Exc. D. D. Klaunigium miſſa.*)

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. Georii Dethardingii.

Anodyma vera, non fera.

BIna communicare liceat remedia titulo tali non indigna: Alterum eſt *Tinctura Tartari acris*; alterum *infuſum foliorum ſennæ*. De Tinctura Tartari per frequentisſimas experientias novi verum illam anodymum eſſe in torminibus tenellorum ad convulſiones increſcentibus, adeo ut non modo ſubito remittant ploratus moleſtisſimi, ſed & ſomnus blandus omnia iterum componat. Nec vero una doſis extenditur ultra guttas ſex cum lacte nutricis infundendas. Quod infuſum foliorum ſennæ attinet, propitia veritate affirmare poſſum, cruciatus abdominis colicos in adultis ſopiri non modo, hujus uno alterove hauſtu, ſed inſuper à primis hauſtibus ægrotantes iſtos ſomno placidisſimo corripi, ut ipſi non ſemel ſibi perſuaſerint opiatum quoddam fuiſſe admixtum. Quod ſi evigilent, alvi ſubſequirur ſolutio magno cum levamine & cruciatuum diſparentia. Parari vero illud jubeo tantillo nitri adjecto.

SCHOLION.

OPiatorum blanditias & meretricios amores pari paſſu ambulare vix quiſpiam Clinicus probus hodie diffitebitur, qui obſervavit, quam utriusque dulcedinem momentaneam triſtes querelæ excipiant. Qui vel à primis praxeos meæ annis opium ceu proditorem novi, quem oderunt omnes, etiam qui proditionem ejus ſive dolorum ſilentium in deliciis habuerunt, affirmare auſim per annos viginti quatuor, quibus praxin medicam, nec, quod præfiſcine dixerim, citra omnem applauſum vel ſucceſſum felicem aut ſperatum, exercui, me ultra ℈j. ejus non præſcripſiſſe, ſub qua etiam forma fuerit, periculis alio-

aliorum ſemper magis cautus & doctior magis factus. Nec parum me firmavit in tali abſtinentia, quando obſervavi Practicos veteranos creſcentibus praxeos annis magis deponere ſuetam per opiata curandi methodum, quos inter recordor Phyſici cujusdam ſexagenario majoris. Hic ex ſchola *Sylvii* prodiens, quem conſtat ex frequenti opii præſcriptione Doctorem opiatum vocatum eſſe, ſub primis praxeos annis admodum indulſerat Laudano opiato, aſt jam canus parcisſima manu idem diſpenſabat, ſuam audaciam juvenilem ſæpius deteſtando. Quam autem valeret ars Medica opio, remedio illi felino, **das vorn leckt und hinten kratzet** / per omnia valedicere, ſi quando vel lubido eſſet, vel per otium morboſorum inſultuum liceret inquirere in cauſas dolorum & motuum anomalorum, hasve cognitas tollere! O! quam ſublatis cauſis ceſſarent triſtes illi tumultus & quam fido redderetur æger deſideratæ tranquillitati! Anodynorum, quorum in obſervatione mentio facta eſt, non alia eſt operandi ratio quam modo allata, hinc tam ſuavis medelæ amplexus & ſucceſſus.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

De mira cupiditate vivendi in Hydropicis.

DUm nuperrime incidi in verba Celeberrimi *Furſtenovii*, quibus in *Diſſertatione Epiſtol.* non ſatis exprimere poteſt anxium illud vivendi deſiderium, quod ſe in hydropicis offert, placuit roborare aſſerti hujus veritatem his, quæ ipſe in hydropica paucos ante menſes obſervavi, utpote quæ me prognoſin triſtem formantem nunquam non excitavit boni animi eſſe. Erat ætate quadragenaria major, ſanguineo-cholericæ indolis, phthiſi diu fatigata, quando menſium negotium ſubſiſtendo primordia tumoris pedum gignebat. Mali quoq; ominis nuncius tumor erat prædurus indolens infima dextri

 hypo-

hypochondrii umbilicum verſus in abdominis interaneis occupans, quem hepati tribuere malui, ac quidem omento indurato. Parcior ego in medicamentis propinandis eo modo allaborabam ut menſes redirent, quo, quam me arcere haud poſſe ſentiens, aſcitem, retardarem tamen & ſuſpenderem, ne tam facile accederet. Illa vero pronior in remedia, ut vulgo audiunt domeſtica, & undique hydropicos hydropicasve inveſtigans, quo horum fata expiſcaretur & medelam intelligeret, tandem, me annuente, per tres ſeptimanas continuavit bibere decoctum flor. centaurei minoris & calendulæ, interpoſito laxante pulvere; nec male inde habuit, urinâ largius fluente, ipſaque alvo cum euphoria fluida magis. Sed quod cedere non penitus vellet, ingratus ille abdomen infarciens ſuccus mucidus, & comperiens Balnea laconica magis adhuc huic illive hydropico contuliſſe, quicquid diſſvaderem, hæc quoque experiri voluit, nec ſatis deprædicare mihi potuit ſucceſſum optatum, quam ego diffiderem, inde illi fidum ſolatium poſſe emergere citius damna. Illa vero, quoties accedendo de ſtatu morbi me informarem, O! quam belle, inquit, ſuccedunt omnia, modo refocillatio illa, quam ſudore diffluens ſub vaporibus perſentiſco continuaret in lecto, contra omnem ſuam ſpem cito citius ſana forem. Quod vero febrilis paroxyſmus tragœdiam hanc vellet finire, me in rus vocato alium accerſiri juſſit Medicum, & quamvis hic pariter exitum videret fatalem, noluit illa hunc deſperare, ſed ſibi ex præſcriptis medicamentis admodum bene eſſe, ultrò narrans, ut pergeret ſuæ valitudini & famæ conſuleret, inſtitit. **Sie habe noch immer einen guten Muth.** Aſt vix elapſæ ſunt tres ſeptimanæ, quando & animum deponere & animam dimittere morbo increſcente coacta eſt. Venit pariter in memoriam me Medicum aſcite laborantem aliquando conveniſſe, & proſperum morbi exitum apprecantem hoc reſponſum tuliſſe. **Wann er nur wieder möchte geneſen/ er wolte GOtt auf ſeinen Knien**

davor

davor dancken/ und die übrige Zeit ſeines Lebens mit Waſſer und Brod ihm genügen laſſen.

SCHOLION.

DEſiderium vitam continuandi, & ſi hæc per morbos labefactata fuerit, iterum emergendi nemo culpaverit, qui noverit, quam fidus ille nexus animæ & corporis, ſit mater fœcunda tot actionum in gloriam & voluptates tendentium. Non de piorum jam agam deſiderio emigrandi, quando decumbunt, hoc quippe in omnibus horum afflictionibus eſt ſolenne & ſapit Philoſophiam altioris indaginis; nec digitum jam intendo ad ægritudines doloribus & cruciatibus ſtipatas, quæ aſſolent mortem in ſolatium commendare; lippis quippe & tonſoribus conſtat, quam talibus mors videatur minus malum, hinc eligenda. Quam non ſub morbis contagioſis epidemice graſſantibus cito ſpes decollat in ægrotis, ut vaſa ſua conſarcinent? quamvis etiam non omnes eo perveniant, quod de civibus ſuis peſte Anno 1634. Haffniæ regnante refert Bartholinus, ut modo correpti ſe ipſos ferali arcæ includant, in omnibus tamen animus eſt ſatis demiſſus & ad mortem ſubeundam magis quam vitam continuandam compoſitus. Melancholicorum morborum rei hoc ſibi quaſi habent proprium, ut mori velint, & quo ſcopum hunc ſuum obtineant, varias ſemitas cum propriæ famæ & familiæ dedecore eligant; prouti non ita pridem in his terris Nobilis quædam fœmina prolem vicinæ, ſibi cæteroquin chariſſimam, puteo immerſit, quo capite plecteretur ac vivere deſineret; ſtudioſus vero meæ curæ commiſſus omnia vitra ſimul exhauſit ut protinus occumberet, es würde und ſolte ihm das Hertz abſtoſſen. Quod econtra deſiderium eluctandi attinet, hoc equidem generale dixeris in omnibus morbis chronicis, quia ipſum tempus medelam concedere videtur & una medendi methodo in vanum adhibita, ad alteram accedere licet, ſed quandoquidem in nullo illorum familiarius, vel magis conſtans ac in memorato morbo hydrope,

cum

cum tamen ex mille aſciticis vix unus ad priſtinam ſanitatem redeat, aut ab arte Medica redire posſit, organis, quorum quam maxime opera ad ſanandum opus foret, læſis & vitiatis, alia ſubſit, neceſſe eſt, ratio, quam generalis illa, quæ animum ita obfirmet. Dubito an illam collocem in miti hujus affectus indole, qui ſenſim ſenſimque increſcendo vitæ inſidias parat, dantur quippe & inter allegatos morbos chronicos, quorum greſſus eſt tardus; Nec audeo allegare mentis ſedem manere in illo intactam & liberam facultatem de rebus ſuis diſponendi, manet mens illibata ſub ipſa peſte aliisve hujus commatis morbis, in quibus tale deſiderium deficit. An lymphatica fortean mens eſt, & remisſior in lymphatico hoc morbo, ut non ſatis ponderet hujus gravitatem & contumaciam? nec hoc dixerim, quando hydropici ſatis gnaviter & promptè ſatis negotia ſua intelligunt & expediunt. Quod ſi inter conjecturas, quæ animo de deſiderio illo obverſantur, quam judico probabiliorem eſſe, afferre licitum, concluderem ætiologiam illius reponendam eſſe, in *ſede hujus affectus*, *materiæ morboſæ qualitate innocua*, & *promptitudine ſe ab illa liberandi.* Quoad ſedem affectus, abdominis eſt cavitas, quam aſcites occupat, quæ non modo capere valet magnam ſatis quantitatem, ſed dum ejus tegmina patiuntur ſe diſtendi citra dolores notabiles ad ſat magnam peripheriam, illius ſemper major portio locum habet ut commoretur; quod vero materiæ morboſæ qualitatem attinet, hæc blanda admodum eſt, non moleſta incolis abdominis ſive hujus viſceribus, inter illa fluctuat, & quando in ſtatu valetudinis optimæ nunquam non halituoſæ excretiones in aquam fatiſcentes viſcera perluunt ac obliniunt, hæc alluvies toleratur facile, nemini ibidem moleſta. Accedit, quam dixi, facilitas, ut aqua hæc excludatur, organis excluſionibus talismodi humorum illic præſentibus, tubo, puta, inteſtinali & renum viis urinariis. Sub his circumſtantiis Principium corporis, quod de nobis in corpore diſponit, nec adeo angitur à materia morboſa ut de interitu

metuat,

metuat, nec ſpem deponit evacuari poſſe per vias, quæ tam prope adſunt. Confidit ergo de die in diem evacuationem illam futuram fore cum qua ſalus corporis ſit conjuncta, momentaneum ante fores eſſe auxilium ex quo non habeat quæ amplius metuat.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

De Arcano duplicato ſalis Epſomenſis ſuccedaneo.

NOn modo Medicum retuleris inter grata tria nova, ſed & Medicinam ſive hujus inſtrumenta, quæ novitate ſua alliciunt, & facile ab ingenio fulgidis Clinicis in uſum vocantur. Fatum hoc experitur ⊖ Epſomenſe anglicanum, purgans vel quo Titulo cluat, id quod jam thronum conſcendit ex choro purgantium, adeo Magnatibus charum eſt. Moneant alii de ejus natalibus ſpuriis, inſufficientia evacuandi &c. in præſens non habeo quam ut afferam, effectum eundem largiri vulgare hodie, olim æque magnificum & ſub Titulo ſalis Ducis Holſatiæ pro arcano habitum remedium, arcanum duplicatum, ex capite mortuo aquæfortis, ut conſtat, parandum. Solvatur hujus ℥j. in ſ. q. aquæ, blandaque evacuatio docebit illius anglici & hujus vires eſſe in ſale amaricante inteſtinis tædioſo, repoſitas, hinc vim catarcticam ſalis Epſomenſis non proprietati cuidam ſingulari tribuendam, vel tanto pretio ac de illo conſtat, eſſe emendam. Nec reticebo quam in morbis infantum ab hoc arcano duplicato perceperim mucida per alvum excludendi efficaciam, ſi quando ſcrupulum dimidium cum abſorbentibus terreis remixtum & nodulo incluſum cerevisiæ commiſerim quam hauſerint. Ab hoc pariter ſale eſt efficacia ſequentis formulæ, quam ut arcanum & divini quaſi effectus re-

medium ab amico quodam accepi : ℞. Magneſ. alb. ʒß. arcan. duplicat. ℈j. ⊕ depurat ℈ß. M. f. pulvis.

(Roſtochio Auguſtam Vind. d. 20. Dec. A. 1720. miſſæ.)

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. Balthaſaris Kryſingii.

Linguæ ductus ſalivalis calculorum promuſcondus.

NOn tantum ſerum, à renibus ſecretum, in tophos ſæpe permutari, ſed & ſalivalem humorem, terreis particulis onuſtum, in lapides nonnunquam indureſcere, cum duriuſcula, dentibus inhærens, ſubſtantia, tum præcipue variorum de linguæ calculis hiſtoriæ ſatis ſuperque evincunt. Atque hinc interdum evenit, ut in unum eundemque ductum ſublingualem, tanquam in nidulum, non una ſolum vice, quod vulgatum eſt, ſed & ſemel iterumque lapides deponantur. Cujus equidem exemplum ut apud neminem Scriptorum me legiſſe memini, ita non ingratum fore poſteritati crediderim hic annotâſſe, quæ ante triennium experientia ſequentem in modum exhibuit.

Simon Raetger, organœdus Flensburgi, quadragenarius, ſat firma corporis valetudine uſus, A. 1715. ſub medio linguæ loco tumorem quendam ſubito vidit ſine dolore exortum, ac longius prominentem, initio fungum ab ipſomet habitum, qui tamen leni commotione exemtus, atque inventus fuit lapis oblongus, altero latere planus, altero autem paulo elatior, colore & ſubſtantia tophis renum prorſus ſimilis, è ductu ſalivali per linguæ motum expreſſus. Patriam tum viſenti mihi memoratus vir inacceptum hunc oris fœtum donaverat, multum gaviſus de moleſtiis ab eo non amplius metuendis. Verumenimvero, tribus annis poſt, noctu, quod lingua volutabat, dentem

dentem in ore elapſum exiſtimans, peperiſſe ſibi linguam novum calculum expertus eſt, exterius vireſcentem, interius calcem albisſimam referentem bacciformem, velut figura adjecta oſtendit. Ex his prior Lit. a. impedimentum loquelæ, poſterior Lit. b. frequentisſimum tumorem genis ac faucibus induxerat, à lapidis ſpontaneo egreſſu usque mox ceſſantem. Utrum ab ulteriori lapidum geneſi poſthac futurus ſit liber eorundem parens, tempora edocebunt.

Vid. Tab. VI.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. Balthaſaris Kryſingii.

Globulus ſclopetarius 25. annos, & quod excurrit, in naribus deliteſcens.

NObilis quidam in Dania, Danorum ſub Rege ſtipendium militare merens, A. 1692. in conflictu cum Gallorum copiis ad Steenkerckam infelici ſignifer, à globulo exploſo, & per vexilli haſtam trajecto, ita ad naſi ſiniſtrum latus læditur, ut à vehementia ictus in gyrum circumactus vix tum ſuæ compos mentis eſſet, ſequente non tantum inſigni hæmorrhagia, remediis vel optimis vix ac ne vix quidem cedente, ſed & maximo faciei tumore. Quæ quidem ſymptomata gravia in Noſodochio quodam Belgico à Chirurgis, quorum curæ commiſſus eſt, ſenſim profliguntur, de extrahendo globulo nihil minus quam ſollicitis, forte quod ictus vehementiam à præcedente per haſtam vexilli tranſitu diminutam, atque adeo naſi osſibus minus vehementer adactum globulum reſiliiſſe crederent. Verumtamen à vulnere conſolidato in læſo naſi loco colliculus remanet, faciem aliquantum defœdans, de quo conſulti iſtimet, ne quid neſcire videantur, reſponſum ferunt, callum osſis à globulo diffracti in illum tumorem excreviſſe. Magi-

ſtris itaque artis hic noſter nimium fidens facilem aſſenſum præbet, vivitque ad Annum 1717. ſine ullis unquam moleſtiis, usque dum, vigiliarum Præfectus & plurimis cohortis ſuæ negotiis implicitus, in itineribus variis ab injuria aëris autumnalis magnam d. 12. m. Octobr. perſentiſceret narium obſtructionem, quam tantum abeſt, ut pulvere tabaci ſternutatorii, quo eum in finem diligenter utebatur, imminuerit, ut longe eam reddiderit graviorem, ita ut primo naſus, dein facies quoque tota turgeret, quin & caro quædam vitioſa, narium meatus obſtruens, ſpiritum reddere difficilem, nasique tumor ulcus non leve ceperit minari. In auxilium nunc tandem adhibitus Chirurgus fomentis quidem tumori proſpicere, ſed carnem morboſam attingere non auſus, Medici conſilium una jungendum expetit. Qui accerſitus morbum catarrhum eſſe ſalſum & exedentem judicans ſalivationem mercurialem ſuadet. Obſequens æger à 27. m. Octobr. in quintum usque diem artuum articulos bis in die inungi curat. D. 28. ejusd. tumor naſi a maturante emplaſtro ruptus, & puris, ſenſim promanantis, fere libram, & ægro dolorum lenimen ſpirituique faciliorem per nares tranſitum præbet. D. 29. ejusd. vitioſæ carnis pars ſponte ſua evaneſcere, atque impoſito poſtmodum ulceri emplaſtro, ablutisque per ſyringam narium meatibus, præter opinionem chirurgi, ac non ſine admiratione conſultoris medici, ulcus d. 31. ejusdem penitus diſparere incipit, ne veſtigio quidem ſui relicto. Hisce per quinque dierum ſpatium ſic peractis, quum inunctus mercurius, partim per ſolutam alvum, partim per diaphoreſin, diſcederet, ſuoque rite fungi officio nollet, neq; tum temporis ſalivatione amplius videretur opus, ægrotanti decoctum lignorum continuo commendatur uſu; Quo tandem æger redit ad ſanitatem, nihil ſibi poſthæc de ullis unquam incommodis metuens. Verum, quatuor hebdomadibus poſt præterlapſis, rem in naſo ſentit ſolutam, atque indies mobiliorem, quam pro oſſe per mercurium ſeparato, habet chirurgus, ſedulus quidem in illo extrahendo, ſed fru-

ſtraneo

ſtraneo conatu; quoniam, uno narium exitu in triplum vel quadruplum major exiſtens, aliquo latere prominentiam indicabat inæqualem, aſperamque inſtar ſerræ, certoque verendum erat, ne ſi hæc præſcinderetur, reliqua pars ob deficientiam idoneorum inſtrumentorum hæreat incomprehenſibilis. Præterea medicus & chirurgus nunc diſcordes fieri, altero naſum in latere incidendum ſuadente, quo putredo narium, omnino non evitanda, coërceri, atque os per plagam eximi queat, altero contra iſtud naſo, oculo ac faciei decori, maxime inimicum profitente. Has diſceptationes quum nemo æquus judex dirimere, vel altercantium adverſas ſententias ullatenus conciliare poſſet, uterque & medicus & chirurgus naturæ, ceu optimæ medicatrici, ægrum committunt dimittuntque lubentes. Interim is anguſtiis hisce detentus quicquid non tentare, nunc hujus nunc alterius implorare opem, ſed fruſtra. Tandem divina factum eſt gratia, ut, meo potisſimum conſilio innixus, aliûs chirurgi manualem admitteret operam, qua quidem id effectum eſt, ut forcipe ſcindente atque incredibili labore fruſtum aliquod plumbeum abſcinderetur, quod quum in conſpectum veniret, difficile dictu eſt, quanta ſpectantes ceperit admiratio, nihil tale ſuſpicantes. Ac, quum paulo ante haud parum abeſſet, quin & hic chirurgus manum retraxerit, nimii laboris in findendo pertæſus, & de manuum defatigatione valde conquerens, (**er habe ſich die Hände faſt zu ſchanden gedruckt**) ut taceam, inſtrumentum tandem ipſum fuiſſe in iſto opere prorſus diffractum, redire nunc animus cepit, certus globuli ab ictu relicti, qui, quamvis osſiculo adhucdum firmiter cohæreret, vi quadam divulſo, non ſine ægrotantis ſummo cruciatu, una cum osſis portione feliciter d. 3. m. Febr. A. 1718. extractus eſt, poſtquam 25. annos, inſcio ipſomet ægro, latuiſſet.

(*Lubeca Noribergam d.* 20. *Decembr. A.* 1720. *miſſæ.*)

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. Georgii Wolffgangi Wedelii.

Plica ſingularis.

EST mihi nota fœmina, 50. circiter annorum, quæ à teneris gerit plicam Polonicam, ex occipite oriundam, ſæpiusque à me viſam & tactu exploratam; trium jam & amplius ulnarum longitudinem, ac pondus duarum circiter librarum obtinet, alias ſana; quam in capite circumvolutam gerit, & minutas quaſi excreſcentias oriundas ſenſim in fine ejusdem ſubinde reſecans ſine noxa.

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. Georgii Wolffgangi Wedelii.

Thalerus deglutitus.

VIr 60. annorum, in feſtivitate quadam nuptiali, geſticulatorio luſu thaleri ab alio accepti deglutitionem ſimulans, ſpectatoribusque ſic riſum movens,& ipſe in riſum ſolvitur, ſimulque nummum faucibus illapſum experitur, ubi per quinq; dies ſirmiter hærens, tandem poſt aſſumta emollientia in ventriculum deſcendit; ex quo tempore Vir ille presſionem in ſtomacho per longum tempus ſentit, ea vero per annum remittente, in maraſmum incidit; quo ſemper incrementum ſumente, ſimulque animi morbo ex male adminiſtrata heri ſui œconomia accedente, d. 18. Aug. A. 1707. moritur. Cadavere ſexto demum die aperto, nummus in inteſtino cœco, ad primum attactum mox diffluente repertus, valde nigricans, cæterum quoad pondus & qualitates alias integer.

Hanc Obſervationem, ex Anhaltina urbe à quodam medico anonymo ipſi olim communicatam, Illuſtr. D. Wedelius

lius Ephemeridibus his inſerendam, una cum antecedente benevole conceſſit.

OBSERVATIO LXXXIII.
Dn. D. Hieronymi Laubii.
Puellæ Hydrocephalicæ anatome.

PUella 1½. anni, primis à partu menſibus vegeta & ſana, nono ætatis menſe laborare cœpit hydrocephalo, extenſione capitis ſucceſſive in tantam molem aucta, ut capiti ſuſtinendo impar fieret, quo malo per novem menſes cum viſus abolitione miſella conflictabatur, cruſta ſcabioſa totam fere faciem occupante. Caput à morte menſuratum à radice naſi ad nucham 5. quadrantes ulnæ, ab una aure ad alteram ulnam æquabat. Remota cute in conſpectum veniebant oſſa capitis longo ſatis intervallo ab invicem diſtincta, ita ut inter oſſa bregmatis palmæ virilis, inter os frontis & occipitis plusquam ſemiulnæ ſpatium dura mater occuparet: qua ad latus ſiniſtrum ſinus falcati inciſa, ultra lib. X. ſeri pellucidi ſubſalſi effluere vidimus. Cerebrum flaccidiſſimum & pene exſangue repertum ventriculos anteriores adeo dilatatos exhibuit, ut cuivis pugnum immittere liceret. Cerebellum molliſſimum inter digitos quaſi diffluxit. Nervos è cerebro prodeuntes ſatis magnos diſtincte admodum obſervare licuit. Reliquarum cavitatum interanea nil p. n. paſſa, renes autem pro ratione ætatis valde magni conſpiciebantur. Externæ corporis partes emaciatæ & vix cute tectæ erant.

OB-

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Cordis inſolita magnitudo in cadavere aſthmate convulſivo defuncti.

VIr quinquagenarius potui olim deditus à Paralyſi lateris ſiniſtri præterito anno in Noſocomio Status maritimi eousque liberatus, ut baculo ſuffultus incedere, brachiumq; ſatis libere movere valuerit, jam denuo noſtræ curæ traditus de capitis gravitate, vertigine ac reſpirandi difficultate ingenti queritur, quæ ſymptomata, omnibus incaſſum adhibitis, usque & usque ingraveſcebant, ut præter febrem, quæ illa comitabatur, & ſummam virium proſtrationem ultimis ante obitum diebus frequentius paroxyſmis aſthmaticis convulſivis tentaretur. Cum propter temporis anguſtiam capitis interiora examinare non liceret, ſtatim ad reliquas cavitates corporis progrediebamur, thorace ergo aperto in conſpectum veniebant Pulmones flaccidi copioſa ſpuma referti, mediaſtinum & pericardium, quin & ipſum cor, cujus magnitudinem naturali triplo majorem adſtantes mirabamur, copioſa pinguedo fere occultabat. In cordis ventriculis multus ſanguis tenuis aderat, cum polypoſarum concretionum rudimentis non exiguis. Muſculis abdominis una cum peritoneo ſublatis ſtatim obviam fiebat Omentum durum, craſſum, fuſcum, inflammatum, peritoneo hinc inde, lieni & initiis inteſtini recti firmiter connatum. Ventriculum & inteſtina una cum meſenterio inflammatio corripuerat, hujus glandulæ erant induratæ, & non pauca pinguedine tectæ. Hepar erat fuſcum & durum, lien magnus & ſcirrhoſus: Renes ex atro rubicundi duritiem quoque contraxerant. Veſica urinaria flaccida urinam valde acrem continebat.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Ventriculi expanſio ſtupenda in cadavere ebrii.

NAutarum quiſpiam, juvenis toroſus, 30. circiter annorum, quem præcedenti veſpera domum quandam ingreſſum valde ebrium hauſtum cereviſiæ adhuc petiiſſe, menſæque aſſidentem inter bibendum obdormiviſſe ſimulque animam efflaſſe apportantes retulerunt, ſequenti mane cultro anatomico ſubjectus, faciem, collum, thoracem & abdomen maculis violaceis obſcuris fœdata, ventrem inprimis infra umbilicum valde turgidum monſtrabat. Thorace aperto pulmones intus & extus nigricantes, tumidi & ſpumam atram fundentes conſpiciebantur: uterque cordis ventriculus cum auriculis vix drachmam ſanguinis nigerrimi continebat. Ex abdomine, levi adhuc ejusdem apertura facta, impetuoſe proſiliebant inteſtina turgida, & quoad tenuia, inflammatione correpta. Ventriculus adeo erat diſtentus, ut in longitudine ſeu ab uno orificio ad alterum vix 4. virorum robuſtorum palmis tegi potuerit, in latitudinem ultra duas palmas expanſus, interius muco quodam tegebatur, quo abraſo maculæ plures ſubatræ apparebant, liquoris fuſci ac fœtidiſſimi, vinum aduſtum & cereviſiam redolentis aliquam portionem iſte æque ac inteſtina tenuia continebant, craſſis à ſtercore & flatibus diſtentis. Reliqua viſcera ſic ſatis integra obſervabantur, niſi quod in veſicula fellis ne gutta quidem bilis abſcondita fuerit. Ulterius examen ipſiusque capitis apertionem fœtor ingens & feſtinatio prohibebant.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Hepar magnum & purulentum Hæmorrhagiæ narium diuturnæ cauſa.

VIr conſiſtentis ætatis d. 9. Maj. An. 1718. Noſodochio adſcriptus febricitabat cum hæmorrhagia narium quotidiana larga, quam per plures jam dies ſe expertum, nullisque remediis cedentem referebat: ſuccesſit paulo poſt abdominis intumeſcentia, faciei color in flavum degenerabat, extrema ſummus marcor occupabat, donec 13. Junii mors miſeræ vitæ finem afferret. Cadaver recens & adhuc calens diſsecantes invenimus Pulmones flaccidos, & cor mollisſimum: in abdomine præter ingentem ſeri flavi urinam ſpirantis copiam Hepar mole maximum totum purulentum innumeris vomicis in parte convexa æque ac concava fœdatum, veſiculam fellis collapſam & omni bile deſtitutam, reliquis viſceribus pro magnitudine morbi ſic ſatis bene & naturaliter conſtitutis.

(*Hafniæ Auguſtam Vind. d. 15. Febr. A. 1721. miſſæ.*)

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. Joannis Baptiſtæ de Wenckh.

De vermibus, plus minus octo millibus, per urinam, meras Erucas æmulantibus ex juvene fœmina ejectis.

CUm in amplisſimo Macrocoſmi theatro innumera quotidie Naturæ Curioſo ſpectanda, ac perſcrutanda, nova ſuppeditentur phænomena; profecto neque multo pauciora quotidie viva Microcoſmi machina producit. Quod ex ſequentis hiſtoriæ (meo quidem judicio) relatione dignæ contextu patebit.

Quod

Quod vermes in corpore humano, & maximè in ventriculo ac inteſtinis generentur, quotidianâ patet experientiâ, præcipuè in Infantibus, quibus natura per originale peccatum depravata vix natis, jam unde oriantur, & quid futuri ſint, prænuntiat. Caſus autem ſequens, & in ipſis arteriis, veniſque & aliis partibus, ſingulariter ſpermaticis, quod rarius eſt, quoque produci, demonſtrabit.

Uxor cujusdam Mercatoris nomine Mayr, Græcenſis, Annis 22. nata, temperamenti ſanguineo-bilioſi, à teneris annis vini Italici dulcioris potui aſſueta, eidemque liberalius indulgens ſaccharatis eduliis nimium addicta, tandem hac dulci & gulosâ victus ratione, depravatis humoribus menſe Junio colicis doloribus atrocisſimis corripitur: his accesſit arthritis vaga, omnia membra crudeliter dilanians, ac motibus convulſivis exagitans, tandem Epilepſia ita corripitur, ut ad 15. horas perdurans, jam de ſalute ab adſtantibus deſperata conclamaretur. His tamen non obſtantibus adhibitis omnibus ex artis lege remediis ſalutaribus, tandem ab his ſymptomatibus, utcunque reſtituta fuit; quamvis febre lentâ hecticæ æmulâ, per menſes quatuor continuos afflicta fuerit.

Nec diu priora ſymptomata, præcipuè autem arthritis vaga miſeræ reſpirandi moram conceſſerunt, nam menſe Octobri ejusdem anni, arthritis vaga auctis ſymptomatibus, atrocior recurrit, articulosque omnes acutisſimis doloribus afflixit; Ego autem evocatus, ut afflictæ opitularer, examinata urina deprehendi ſolito crasſiorem, & crudiorem, pulſum autem celeriorem, aliaque indicia, quæ ad occultiorem ſuſpectæ infirmitatis iſtius cauſam inveſtigandam me incitabant: unde urinæ exactius examen inſtitui, tandemque aliquibus diebus elapſis plusquam 90. vermiculos vivos hinc inde in illa natantes, non ſine admiratione adſtantium annotavi. Sed neque hic mea hæſit indagatio, nam adhibito microſcopio, quamnam hi vermiculi præ ſe ferrent ſpeciem, & figuram, curiosè inſpexi, atque illos verarum & realium Erucarum figuram & ſpeciem

ad vivum repræſentare deprehendi. Hæc autem per urinam vermium vivorum excretio per quatuor ſeptimanas perduravit, quandoque minori, & ſubinde majori copia, ita ut ſæpè ſæpius una vice plus quam 400. apparerent.

Cognita tandem tot gravisſimorum ſymptomatum cauſa, ad antidota vermium necantia, ac propulſiva, ut malo obviam irem, recurri, unde ſequens remedium præſcripſi: Rec. rad gramin. ℥ß. corallinæ ʒß. fl. hyperic. p. ij. cort. fraxin. rec. ʒij. ſem. abſinth. ℈ß. inciſ. & contus. coq. in aq. fontan. ℥viij. ad remanent. ℥vß. colat. add. mercur. vivi ℥iij. coq. in olla vitr. ad remanent. ℥iijß. dein ſepara ☿um à decocto, add. ſyr. fl. perſicor. ℥j. Det. pro doſ. mane jejuno ſtomacho ſumenda, & ſic per v. dies conſequentes; exterius autem applicari curavi articulis male affectis emplaſtrum de ran. c. ☿ io.

Præter hæc in contumaci ac jam radicato morbo expugnando, cum infirmæ vires adhuc ſuppeterent, validiori pharmaco uſus ſum, nimirum: Rec. mercur. dulc. gr. vij. C. C. præp. ℈j. M. F. Pulvis pro doſi mane ſumenda, & ſic F. iv. diebus.

En! poſt tertiam aſſumpti hujus pulveris doſin, ſubſecuta fuit ſalivatio, & adhibitis omnibus in tali operatione cautelis, in illius continuatione per 22. dies perplurimas excrevit Erucas, quarum excretio adhuc durante ſalivatione finem habuit, articulorum dolores ceſſarunt, & febricula, quâ durante hac infirmitate continuò laborabat, evanuit. Victuque recreata, convaluit, atque è ſepulchro quaſi ſuſcitata, nunc prius ſanitatis gaudere commodis, quâ tamdiu privata fuit, expulſis his moleſtis & mortis conſortibus hoſpitibus, rurſus ſe vivere gaudet.

In hoc microcoſmi raro & vario phœnomeno, plura conſideranda occurrunt: Imprimis, undenam horum vermium, ſeu potius Erucarum in humano corpore generatio; qua ratione illarum per urinam excretio: An inſecta illa, tam atrocia potuerint producere ſymptomata? &c.

Quan-

Quantum ad primum, ſive illorum generationem attinet, perpenſâ victus iſtius mulieris ratione, quæ potiori ex parte dulcibus conſtabat, facile mihi perſuadeo, exinde proceſſiſſe. Nam Galeno teſte, dulce vinum non ſolum eſt oppilativum, inflativæ ventoſitatis generativum, in hepate videlicet & ſplene, omnibusque membris, excepto pulmone.

Cauſa hepar oppilans fit propter vias eorum, quia cum venit ad hepar per largas vias, ſeu venam quæ porta nuncupatur, ſtansque ibi digeritur, deinde ad ſubtiliſſimas veniens vias, quæ ſunt in ſuâ concavitate non poteſt fex tranſire per anguſtas vias.

Quare ibi aut in ſplene permanens Apoſtemata creat ſecundum ſui naturam. Hæc Galenus referente Iſaco lib. 11. cap. de vino. Cum autem Italica vina quæ venalia apud Mercatores extant, ordinariè iſtius ſint conditionis, quinimo cum diu ſervari non posſint, hinc fit, ut recentia bibantur, quæ Galeno teſte ventoſitatem & inflationem, faſtidiumque generant, quia minus ſunt defæcata, maximè quæ ab Italis in Germaniam mittuntur, nam illa ut dulciora remaneant, & Germanorum palato ſapidiora evadant, vix ebullire, ſeu effervescere ad fæces heterogeneas ſeperandas, ſinunt; ſed factâ aliquali effervescentiâ, vaſa obſtruunt, unde fæcibus permixta crasſiora, & turbida evadunt, ſimilesque in corpore humano producunt humores, videlicet craſſos, fæculentos, & indigeſtos. Nihil autem hic de fraudibus, quibus tam Itali, quam Mercatores, ut illa dulcia reddant, variis ingredientiis & compoſitionibus etiam frequenter utuntur noxiis.

Quid immoderatus ſacchari uſus producat, ſatis conſtat, nimirum phlegmatis copiam gignit & acidum ſumme corroſivum; unde & cibi, potusque ratio in qualitate eadem uniti, eundem etiam potentius producebant effectum, nimirum crudos, viſcidosque humores, qui præ cæteris ad putrefactionem & conſequenter ex illa ad vermium productionem ſunt diſpoſiti.

 Non

Non ſine ratione etiam cauſam harum Erucarum productionis attribui poſſet latenti in Italico vino Erucarum ſemini, conſtat enim hæc inſecta maxime in arboribus, & fruticibus ſua, ad ſpeciei conſervationem deponere ovúla calore ſolis beneficio hyeme transacta, vivificanda. Cur etiam alicui uvarum botro ſemina illa acglutinare non potuiſſent? quæ deinde per muſtum diſperſa, neque ob perfectæ fermentationis defectum ad ſui purificationem cum aliis fæcibus præcipitatæ, in vini potatione ſimul hauriri poterant, & naturalis caloris adminiculo vivificari: in hoc enim una mecum convenit Doctisſimus & Expertisſimus Marcus Gerbezius Academiæ noſtræ Collega notatisſimus in Chronologiæ ſuæ Medico - practicæ Ar. 1. Num. 7. dicens quemadmodum &c. ad quem tractatum B. L. transmitto. Non enim plura deſunt exempla, in quibus refertur, diverſos aquarum hauſtu ſerpentum, ranarum, aliorumque aquatilium animalium ſemina in aquis deliteſcentia ſimul potaſſe, quibus deinde in corpore vivificatis horrendas in eo tragœdias excreverunt.

Neque diffiteor poſſe etiam venereo contagio adſcribi, nam hoc morbo correptorum maligna ulcera vermibus ſcatere, compertum eſt: quidni ſperma, cum ad ſibi ſimile animal producendum ordinatum ſit, dum corruptum eſt, ſuo fruſtratur principali fine, quod deterius eſt, generat nempe vermes, & ſimilia inſecta: quod tamen in præſenti caſu, cum ſufficientia non habuerim hujus rei indicia, potius allegatis ſuperius cauſis, adſcribendum cenſeo: quod etiam ſymptomata, quibus ægra divexata eſt, confirmant.

Nam ſi Galeni teſtimonio dulcia, & non benè, & probè defæcata vina plurimum craſſa ac turbida, uti ſunt Italica, quæ in Germaniam advehuntur, ventoſitatem & inflationem cauſent, quid mirum ſi atrocibus colicis doloribus fuerit correpta, quæ ſæpius ex flatulentia, & humorum tartareorum viſcidorum copia, quales ſimilia vina generant, oriri ſolet: hoc etiam ſatis indicabat crasſior, & viſcoſior urina, nam dulcia vina, teſte

Iſaco,

Iſaco, cum ſint crasſiora, ſic difficilius transeunt ad veſicam, neque urinam provocare poſſunt. Vagæ quoque arthritidi eadem cauſa attribui poteſt, tartareis videlicet humoribus per univerſi corporis juncturas diſperſis, quidni, etiam dum ventriculus vim non habet digerendi largi epoti dulcioris vini quantitatem, accedentibus etiam ſaccharatis eſculentis, facile aceſcit, quod acidum deinde per circulationem ad caput delatum & inde per univerſas juncturas à nervis delatum, atroces illos efficiebat dolores, quinimo & ipſam cauſabat Epilepſiam. Nec dubium eſt, quin peregrini iſti hoſpites ſua roſione & morſu per univerſum fiſtuloſum corpus, quo nunc cum chylo & ſanguine deferebantur, maxima ipſi incommoda intuliſſe, & forſan aliis pravis humoribus conjuncti, cuncta ſymptomata ſupradicta perpetraſſe.

Quod autem hi vermes in ipſis venis & aliis viſceribus fuerint ſtabuliti, exinde patet, quia urina, quæ illuc defertur, per emulgentes ex vena cava ad renes illam attrahunt, inde autem per ureteres ad veſicam tranſit, cum autem vena cava ſuæ in hepate habeat originis principium, & per univerſum corpus diffundatur, conſequenter una cum ſanguine per circulationem continuam vagos illos hoſpites hinc inde deferebat, donec per emulgentes una cum ſeroſo ſanguinis liquore ad ureteres protruſi, tandem cum urina foras propellerentur.

Ex his ergo ſatis innoteſcet cur ☿rii infuſionem & eundem dulcem ad curationem adhibuerim, quæ in morbis alias deſperatis adhibentur, ad id enim tam propria experientia, quam Clariſs. Helmontii præclara doctrina (quam in tractatu ſuo in verbis, herbis, & lapidibus eſt magna virtus) ubi Mercurii arcanum contra vermes commendat, inductus fui, cujus hæc ſunt verba: radicalis commiſtio argenti vivi admiranda eſt, ſi argentum vivum maceretur in magna aquæ communis quantitate; hæc namque etſi ne minimum quid de argento vivo in ſe ſorbeat, aut ad ſui naturam convertere queat, attamen ab argento vivo proprietatem, non item ſubſtantiam mutuat,

tuat, ſic ut pota aqua ejusmodi necet lumbricos univerſos in corpore exiſtentes etiam quo potus iſte nunquam pervenit, quippe qui mox totus in lotium rapitur, fitque aqua iſta contra lumbricos validior ſi ſemel cum argento vivo bullierit: ſic enim unica uncia argenti vivi millies poterit menſuram aquæ inficere, attamen permanere in pondere & proprietate. Hæc ille. Lymphæ autem crudioris evacuationem adhibito ☿rio dulci per ſalivationem procuravi, quia ille ad hunc effectum producendum & ex partibus remotioribus educendum, nullum efficacius eſt remedium.

(*Græcio Auguſtam Vind. d.* 27. *Febr. A.* 1721. *miſſa.*)

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. Samuelis Köleſeri de Keres-Eer.

Apoſtema hepatis curatum.

N. N. Vir maturæ ætatis, ſtaturæ mediocris, conſtitutionis ſanguineæ, indolis moderatæ, ruri degens, dum ad habitationem ſuam reditum feſtinaret, concitatô velocioris greſſûs cauſa equô, quem equitabat, præcipiti caſu antrorſum prolapſus eſt, alliſitque thoracem dextrum, circa regionem hepatis & diaphragmatis oppoſitæ glebæ, equi ſimul ruentis pondere preſſus, adeò graviter, ut ſemianimis diu humi procumberet; adſtantium verò auxilio ad genua erectus, reſpirationis difficultate, & dolore punctorio alliſæ partis penè oppreſſus ſuffocationi proximus, ægrè ad habitationem curru veheretur. Ubi operâ Chirurgi, & remediorum adminiculô deſtitutus, parti affectæ impoſuit linea calefacta, ſpiritu vini myrrhâ-camphoratô imbuta; internè præter pulviſculum bezoardicum, qui forte ad manum erat, copioſisſimè hauſto, herbæ theæ infusô ſe levabat, ſubortamque tusſiculam tantillum ſedabat. Sic ſolâ quiete & calido regimine per aliquot dies conti-

continuatis, dolores circa lobum hepatis ſiniſtrum, & coſtas binas inferiores, umbilicum verſus, cum nonnullo tumore protenſi, remiſerunt quidem, in integrum tamen non ceſſarunt: Siquidem recuperatis etiam viribus, ſi veſtitu arctiori ſe conſtringeret, vel ſi ad latus dextrum decumberet, reſpirationem anxiam & anheloſam reddi animadvertit; ideo ſomnum capturus, ſupinus jacere coactus eſt. Tandem vertentis anni menſe Martio febri continuâ corripitur cum diarrhœa, tusſi & urinæ doloroſa excretione, ardore interno & vigiliis comitata. Adhibita ab amicis varia, tam officinalia, quam etiam decantata Halenſia, quæ novitate rei tum temporis ſe omnibus commendabant, optatô effectu haud ſubſecutô. Aegrotum inter inſomnia lactis bubalini appetentia incesſit, quô alterô die allatô, & cochleatim aſſumptô, ſymptomata nequicquam exaſperari, quinimò continuato bidui uſu remittere calores, ſomnumque placidum obrepere deprehendit. Somnô refocillatus, audacius & avidius uſui lactis per 14. dies inhæret, & vires reſumit; mox etiam itineri tuto ſe committere poſſe cogitat, & ſpei plenus, lectum deſerit; ſed arreptâ ex cibo ſumpto nauſeâ, (uti hujus Gentis morborum principium & origo, à nauſea, quæ vulgò *Tſemer* audit, derivari ſolet,) rurſus febri corripitur cum ſubitanea virium proſtratione, & tanta memoriæ debilitate, ut in tertia quavis voce ſcribenda vel eloquenda prorſus hæreret, dolor ſubcoſtalis cum ſenſu attractivo ponderis alicujus, à medio diaphragmatis verſus inguen dextrum delabentis, deliquiis identidem ſi ſe moveret urgentibus, iterum comparuit, medicamentis hic parum proficientibus, aliquot guttulis defecatisſimi, ac ſinceri vini Tocaiani, vulgò **Ausbruch** ſubinde ori admotis, ſe ſuſtentavit; Octavo autem poſt gravem hanc recidivam die, exquiſitisſimum dolorem in extremo vertebrarum dorſi introrſum ſentit, quem dum hæmorrhoidibus cœcis ſurentibus adſcriberet, varia incaſſum tentavit, donec ab extremo ani, ſcrotum verſus dolorem ſerpere, ſcroti dextram partem paulatim tumere animad-

verteret. Tumore autem, & ex pendula gravitate, ſcroti dolore auctis, pedibus amplius inſiſtere non potuit. In caſu ancipiti, Chirurgorum conſilium expetit; quibus cum in more poſitum ſit, in omnibus promiſcuè caſibus una ſolummodo oberrare chorda, cataplaſmata diſcutientia, emollientia, & ſuppurationem promoventia, priori intentione non ſuccedente, adhiberi perſuadetur; quibus ad præſcriptum adhibitis, dum eventu contrario, dolorem, tumorem, & inflammationem in immenſum augeri videret, abjectis Chirurgorum cataplaſmatibus, ſaniore alicujus conſilio adhibuit pulverem ſiccum vegetabili-mineralem parti inſigniter inflammatæ & diſtentæ externè adſperſum, & pelle leporinâ contexit, quem, quo frequentius adſpergeret, eo certius dolorem remittere cum ſolatio deprehendit. Tumor quidem à ſphinctere ani, usque ad pubem ſe exeruit, ac ultima nocte, cum febris nova acceſſione ſe plus viribus & animo linqui animadvertens, ad alexipharmaca & cardiaca dicta mixti generis ſuoque genio appropriatis, in forma mixturæ, ſingulis horis aſſumpta ſine intermiſſione infuſum herba-theæ ſuperbibendo, unicè poſt DEum confugiendum ratus, ſuccumbenti naturæ in tantum ſubvenit, ut in parte ſuperiori ſcroti ſub virga aperto ſponte foramine in cute exteriori, pus erumperet craſſum fœtidiſſimum, & intra biduum effluente pure copioſo, tumoreque ſcroti & pubis ſubſidente, æger levatus ſit, ac ad ſe redierit, ſubſecutô interim partis dextræ ſcroti effuſiſſimo ſudore, tantoque partis madore, ut dictus pulvis amplius adſpergi, nec lintea quadruplicata ultra horam ſufferre potuerit. Sudore hocce per aliquot dies continuante, & ſcrotum ad priſtinum ſtatum rediit, & durities à ſcroto ad ſphincterem ani protenſa evanuit. Jam ſpei plenus æger, emaciatum doloribus & vigiliis corpus, cibo ad appetitum ſumptô, refocillare geſtiebat, dum poſt cœnam frugalem quaſi ex inſidiis minime prævîſis, febrili excandeſcentia corripitur, ſuperveniente lateris affecti punctoriis doloribus, tuſſi, reſpiratione laborioſâ & moribundorum extrema

agen-

agentium haud abſimili. Jam ab amicis morti deſtinatus, ſemianimis accipit præmemoratam mixturam, & ſe ad diſſolutionem componit, decima ſexta à novo hoc inſidioſo morbi aſſultu horâ, ingraveſcente tusſi, conatus ad vomendum cum ſuffocatione urget, & inclinatus ad latus, tantam materiæ purulentæ lixivioſæ, virideſcentis & ſaburræ, omnis generis ejicit copiam ut ſubſtratam patinam profundiorem impleret, ejectâ ſaburrâ, omnia ſymptomata ceſſarunt, & ſopore ſuperveniente, altero die jam jam morti datus reviviſcere inciperet, ſuperatisque tot morbi aſſultibus, tribus annis ſanus vixit, præterquam quod urinam egereret fœculatisſimam, ſedimentoſam, gravè olentem, aliquando & involuntariè fluentem. Ante biennium ex inſperato, plus ex commotione animi, quam diætæ errore, corripitur dolore colico lancinante, & ſpaſmodico in loco illo ſubcoſtali contuſionem paſſo, cum tumore ovum anſerinum æmulante, ſed ſine inflammatione. Hic clyſterum & internorum paregoricorum, antiſpaſmodicorum, alcalinorum, & balſamicorum auxilio remiſit, ſed accedentibus variis animi afflictionibus, & curarum plenâ ægroti vitâ ſubinde intra anni decurſum recrudeſcens crudeliter exercuit. Acceſſerunt hoc anno epidemicè graſſantes puſtulæ, nec non variolæ ſilveſtres, per totum corpus ichorem & ſaniem fundentes cum inſigni pruritus ad noctem exacerbatione; quibus abſterſis, elusâ depurationis ſanguinis ſpe, redeunt memorati dolores colici gravisſimô inſultu, adultô jam autumnô, & cum nec clyſteres, nec alcalina in mixturis data, nec alexipharmaca, quibus antea adſueverat, neque dolorem mitigantia officium facerent, balnea aquæ dulcis cum hordeo & nitro parata, adhibentur nonnullô levamine; tandem ſuadente amicô hirudines applicantur, quorum adminiculo copioſus effluxit ſanguis, craſſus, ater, ſeri aquoſi expers, & depletis vaſis ſedalibus æger à doloribus per aliquot dies inceſſanter infeſtantibus præſentaneum quidem ſentit levamen, ſed paulo poſt formicantem humorum, an flatuum? (dignoſci non potuit) prolapſio-

lapſionẽ à parte toties dicta ad inferiora abdominis & lumbos repere deorſum advertit, quem ſecutus eſt teneſmus cum urgente conatu ad irritas dejectiones alvi, & urinæ misſionem exquiſitisſimi ſenſûs: prout eſt in iſchuria & ſtillicidio. Ingraveſcentibus doloribus, cum prodromis convulſionum, repetitô balnei & calefactorum ſacculorum uſu, penes interna balſamico-volatilia cum ℞ ♁ ſolari, mox etiam ℞ ☉ ope menſtrui cinnabârino-antimonialis, & vitriolico-martialis elicita, adhibitâ, cum impetu urina prorupit, ſine ullo calculi indicio; egeſta liberè & frequenter materia ſanioſa, in floccos quaſi diſcerpta, per plures dies; quâ ſe paulatim exonerante natura, æger reſtitutus eſt. Novæ accesſionis dictæ colicæ præludia, per pilulas balſamicas Becherianis non abſimiles, & venarum hæmorrhoidalium levem ſanguinis profuſionem feliciter prævertit. Recurrentes vicisſim poſt quatuor ſeptimanas, iisdem pilulis felicisſimè ſuperavit, nunc ſanus & reſumptis viribus prioris ætatis conſtitutionem recuperandam præſagit. Cæterum diæta utitur moderata, & potu ſine vino plerumque calido.

SCHOLION.

NOn pauca in caſu fideliter relato occurrunt, quæ medico-phyſiologicam conſiderationem merentur; cumprimis verò, cum poſt gravem contuſionem in regione hepatis apoſtema generatum eſſe, morbi hiſtoria indicet, mirari ſubit: quî tam diu ſine notabili noxæ ſenſu in parte principali motui diaphragmatis obnoxiâ, purulenta materia ſtabulari queat?

Secundo: Per quas vias dubio omni procul materia iſthæc erumpens ad ſphincterem ani, inde inter membranas ſcroti ad dextrum teſticulum delapſa eſt?

Tertio: Sed longe major eſt difficultas determinandi: per quas eadem illa materia rurſus poſt quatuor annorum moram congregata, antrorſum ad veſicam delapſa, & per vias urinarias excreta eſt.

Quar-

Quarto: Suſpicione non caret peritoneum ſub coſtis nonnullam rupturam paſſum eſſe, per quam ſubinde inteſtini coli pars gibboſa exſiliat. Cum urina ſaturatisſimi crocei coloris, & oleoſo pinguis diu ſub ultimo paroxysmo excreta ſit; Annon etiam per occultas vias in ureteres extravaſatæ bili adſcribendum veniat? Utrinque ſumpto experimento verificari videtur nonnulla in corpore humano rationi ſolæ,& nondum experientiæ quomodo fiant, patere, juxta principia Craneniana.

Quinto: Memorabile eſt, dolores inteſtinorum, colicoſpaſmodicos, per apertionem venarum hæmorrhoidalium certiùs & citiùs ſedatos eſſe, quam clyſterum alvum ſubducentium, anodynorum, aliorumque antiſpaſmodicorum auxiliis.

Sexto: Robur compacti corporis, & nervoſi generis ſoliditas quantum conferat ad vitam prolongandam, & morbos graves ſuperandos, fluidis vitio laborantibus, & graviter affectis.

Septimo: In caſibus infrequentibus, & ambigui eventûs non ſemper ſequendas vulgares Medicorum & Chirurgorum hypotheſes; generalesque curandi rationes in individuis talibus applicatas, nondum ritè exploratis: morbi origine, progreſſu, fluidorum conſtitutione, & ægri indole, plerumque mortiferas & pernicioſas eſſe; ideoque Medicinas ſyſtematicas caſualibus merito poſtponendas, judiciumque Medici arcani loco eſſe.

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. Samuelis Köleſeri de Keres-Eer.

Vomica pectoris.

SUpremus Armorum Cæſareorum Præfectus, C. S. à S. propemodum ſeptuagenarius, incidit in diarrhœam cum conatu primum, poſt etiam fluxu hæmorrhoidali per 14. dies non

ſine dolore durantem; cui domeſticis tantillum ſedatæ, brevi poſt ſupervenit conſtipatio alvi, cum febri continua, tuſſicula, dolore ſubinde punctorio, plus autem gravativo lateris dextri ſupra diaphragma, proſtratione virium, urina intensè rubra, uti & vigiliis, ut, accedente devexâ ætate laboribus fatigata, jam conclamatum eſſe videretur; Cùm superveniente fideli Conſultore, cum blandis roborantibus, ſedes ſine irritationibus promoventibus, & ſudores ſine exagitatione proritantibus, morti proximus ad vitam revocaretur. Dato aliquot dierum interſtitio quietis impatiens, dum juſto plus viribus fideret, aliorſum proficiſcitur, quo vix appellens, febris tertianæ paroxyſmis corripitur; quibus per priora remedia depulſis, emanente febre, priorem ſtationem repetit; diutinam ibidem manſionem, & continuandam quietem, deſiderium recreationis vindemialis abrupit, reditque iterùm ad locum, quem pauco ante tempore deſeruerat, infauſto eventu: febri enim ibidem corripitur, cum conatu hæmorrhoidali, & dolorifica ſanguinis profuſione non ſolum, ſed & ex venis dorſi manus, uti & apicibus digitorum, nullo vel ulcuſculo, aut impetigine, vel vi externa præcedente, erumpit ſanguis floridus, & guttas ſtillat, mira naturæ phleboromia. Paulo poſt cadaveris inſtar, manus & pedes frigeſiunt, ſpiritu vini inunguntur; calidis linteis fruſtra foventur, præſenti tamen animo, & integris ſenſibus, interpoſito paucarum horarum interſtitio, viribus ſubito deficit, & neceſſario advocato, vix aliquot verba locutus, inexpectatè moritur.

Aperto cadavere, in capite vaſa ſanguifera turgida cumprimis in ventriculis cerebri plus juſto diſtenta viſa ſunt. Cerebrum plenum, & grande nullo inſolito colore tinctum, ut nonnulli exiſtimant; tabacæ fumigatoribus cerebrum camini vel alembici inſtar atro colore tingi, cui tamen ſumme deditus erat, copioſo nihilominus humore, ſeroſo, crocei coloris perfuſum, repertum eſt. Pulmones luridi, materia ſeroſa, purulenta & ſanie graveolente infarcti; Lobo ſiniſtro adhæſit

mediantibus ramificatis vaſis ſanguineis, tendinoſus & adeo craſſus quidam ſacculus, ut repetitis inciſionibus vix cederet, continens intra ſe cocti, (uti dici ſolet) puris graveolentis uncias ſex, adhæſitque vertebris dorſalibus valida ligatura: altera vero pars pulmonum membranæ pleuræ. Intra ambas lobi pulmonis, & pleuræ membranas à memorato ſacculo diſtinctas ſtabulatus eſt humor lymphæ inſtar limpidus, dimidiam excedens menſuram, inodorus. In arteria magna repertus eſt polypus, ulnæ unius longitudine gelatinæ inſtar ſubtili membranula obductus. Caput & pedes conſiſtentioris ſubſtantiæ. Cor magnæ molis, ſed exſuccum, parenchyma ſine lympha, cordis ventriculi vix drachma ſanguinis referti. Hepar ſine defectu ſanum. Lien exilis, unius digiti longitudine, crasſitie duorum. Renes inæquales, materia ſeroſa purulenta & olente turgidi. Veſica ampla & plena, poſt expreſſam urinæ rubræ menſuræ unius & dimidiæ quantitatem, apparuit in fundo veſicæ miniatum ſabulum, & pingue phlegma.

Hæc ſi cum vita, conſuetudine & actionibus mortui conferantur, non vana conjectura conſectari licebit: habitum corporis, & internam temperiem vel intemperiem ſequi paſſiones animæ, & mores hominis, vicisſim externa internorum eſſe indicia. Subinde dum viveret, tusſivit; ſed rarisſime & vix aliquid ejecit, & id, quod excreando expectoravit, glutinis inſtar tenax fuit. Frequenter conqueſtus eſt de ſiccitate, dolore gravativo pectoris; de reſpirandi difficultate nunquam. In ambulando indefeſſus, nulla ipſi per montes via impervia, vel tædioſa. Cuniculos metallicos perreptavit, & metallariorum labores in fodinis metallicis, earumque anfractibus juvene quovis impigrius, ad extremum usque ſcrutatus eſt. Penes uſum fumi tobacæ decocto Caphè ſæpius cum herbis pectoralibus, aliquando & amaricantibus parato; vino pauco, eoque auro obriſo candente calefacto uſus, incommoda apoſtematis prævertendo ſuppresſit.

OBSER-

OBSERVATIO XC.

Dn. D. Samuelis Köleſeri de Keres-Eer.

Inteſtini pars extra abdomen pendula.

RUſticus è Comitatu Colos, natione Valachus, mediocris ſtaturæ, robuſtus, compacti corporis, ex elevatione & in altum ſublatione ponderis, elongatis abdominis muſculis, quaſi mucrone ſaucius inguinis ſiniſtri pungentem dolorem perſentit, quem cum nonnullus tumor ſubſequeretur, quævis fomentationum & embrocationum, nec non inunctionum media adhibet; quibus irritis, & nil proficientibus, pars affecta abit in ſuppurationem, poſt in exulcerationem, & cum ruptura peritonei inteſtini procidentiam. Subjicit ſe curæ Herniotomi itidem Valachi (eſt hoc hominum genus temerarium, audax, illiteratum, ſed ab experientia ex caſtratione equorum hauſta, ſæpe omni literato, & exquiſitisſimis inſtrumentis inſtructo, expeditius) qui exulcerationem curaturus, & delapſum inteſtinum repoſiturus, caſu fortuito inteſtinum diſcindit, quod cum conſolidare niteretur, incaſſum omnibus tentatis, nil amplius effecit, quam quod partem inteſtini extra abdomen pendulam relinqueret, ut egeſtioni excrementorum viam ſimul aperiret. Vidi hominem, ejusdemque inteſtinum, longitudine unius pedis pendulum in ligneo tubo corpori alligato absque incommodo geſtatum, prouti in appoſita figura videre eſt. Qui dum fæces egerendas ſentiret, amoto tubulo per hoc excretorium felicius levabatur, quam per anum; Anus autem unacum inteſtino recto tam firmiter coaluit, ut ne quidem humorem ullum transire vel ſudare ſineret. Dum iter faceret, vel inter homines verſaretur, à cibo prorſus abſtinuit, & non niſi ad noctem comedit, excrementa quidem ſtatis temporibus egesſit, humores tamen ſubinde ſtillabant in tubulum, qui fœtoris vitandi cauſa mundandus identidem fuit. Tali corporis conſtitutione, pendente extra abdomen inteſtino, vixit annos ſeptem ſupra viginti.

ginti. Cætera ſanus, opificio ſarturæ deditus, nuper admodum ex alia infirmitate, ſub contagio peſtilentiali mortuus eſt.

Vid. Tab. VI.

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. Samuelis Köleſeri de Keres-Eer.

De transmutatione ferri in cuprum.

TRansmutatio ferri in cuprum, ſumpto ex aquis Hungariæ Schemnicenſibus, & vallis Dominorum vulgò Herrn Grund experimento, metallorum transmutationi tantam fidem hactenus fecit, ut Alchymiſtæ, Aurifices, ipſique Adepti pro poſſibilitate aurifactionis & transmutationis viliorum metallorum in aurum, palmariô hoc argumentô uti non vereantur. Modus & Methodus, quibus credita illa ferri in cuprum mutatio peragitur, notiora ſunt, quam ut novâ repetitione indigeant. Accidit nuper in Valachia Auſtriaca, dum ejusdem cuprifodinæ luſtrarentur, ut in ruinis antiquæ fodinæ extra ductum venarum, & ut metallicè loquuntur, ad ſolem, (am Tag) elegantisſimæ viridis æris glebæ obvenirent; quas neglexiſſe, aut tanquam inutiles præteriiſſe, priores Metallurgos, cum credibile haud ſit; ſiquidem certum eſt virides iſtas glebas fodinarum Valachicarum valdè tractabiles eſſe, nec toſtione indigere, facileque in cuprum fundi: Cum autem ferri mineris fœtos & circumquaque locupletes eſſe contiguos montes; quid evidentius eſt, quam perſuaſum habere: easdem ferri mineras, percurrentem Cœmenti aquam præcipitaſſe, & ex hac præcipitatione particularum cupri elegans viridis æris depoſitum cum tempore in glebas coiviſſe, ſuſpicandique occaſionem eſſe, in Schemnicenſibus aquis per ſolutionem ferri cuprum præcipitari, quod additione cupri montani ad ſtabilitatem partium obtinendam funditur. Mirum eſt,

nondum adhuc accuratius examinatum eſſe: An ferrum, quod in aquis Schemnicenſibus ſolutum eſt, & in lixivium ſaponarium redactum, reducibile ſit? ſic etiam explorandum meritò foret: Num ramenta in aquis Schemnicenſibus ferreæ indolis? & quæ ſit proportio, inter ferrum, aquam cœmenti, & ramenta quæ in cuprum funduntur; quæ tamen præter Docimaſiam ignis, etiam per ſtaticam tentari, ſi non plane explorari poſſe videntur. Similes equidem præcipitationes in fluidis aquarum fortium auri, argenti, & æris omnibus obviæ ſunt, & veriſimilitudinem hanc haud obſcurè innuunt.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. Samuelis Köliſeri de Keres-Eer.

Achates &c. Tranſilvaniæ.

FEracem eſſe Tranſilvaniam ſubterraneorum naturæ proventuum, cumprimis, auri liberi, in pulvere, granis, fruſtis, non tantùm cum mixturâ aliorum metallorum; ſed & obryſi apyri, nemini jam ignotum eſt. Terræ argillaceæ, ſabuloſæ, arenæ, lapides, fluviique ſuis in matricibus & certis cruſtis quærentium non eludunt operam; prouti in Auraria Romanô-Dacica pluribus videre eſt:

Nuper admodum ſingulares mineræ ferri etiam detectæ, quarum hactenus nulla fuit notitia, quæ in fornace ex quorundam itidem in Provincia inventorum ſaxorum genere, ſtructa, in ferrum fuſile excoquuntur, ex quo tam pro bellica, quam domeſtica neceſſitate omnis generis inſtrumenta & utenſilia funduntur; quibus, (tantô hucusque beneficio deſtituta,) nunc locupletatur Provincia. Salium non quæſitorum poſt ſiccitatem priorum annorum infinita ſe hincinde prodit copia. Lapidum, Rubini, Cryſtalli, Marmorum varii generis in & ſuper terram miræ deteguntur ſpecies.

Proxi-

Proxime præterito Autumno mons cæteroquin aurifer internum lapidis Achatis penu per nonnulla elegantia fruſta externè hærentia prodidit. Triplicis hic generis eſt; ruber, ſubniger, & flavus mirâ variegatione, qui ſi expoliti fuerint, elegantiâ & puritate nullis aliis cedent, maximè ſi nova fruſta ex ſinu terræ eruentur; ſiquidem majores moles ibi reconditas eſſe hujus lapidis, fidem præter inventa aliquot librarum fruſta, promittunt columnæ ſeu ſtyli laterales monumentorum epitaphialium in templo Cathedrali Carolino-Albenſi, nunc in uſus ſacros converſorum, ex ſimili lapide, nec aliunde quam hinc erutorum, certa experimenta. Dies diem docet, & quæ ſeculis ſepulta jacuerunt, hora detegit: Sic inſignia Antiquitatis Romanæ fortuiti labores detegunt indicia. Inter cætera memoratu digna in ruinis Apulenſibus nuper effoſſum eſt ſimulacrum Hecatenes cum Inſcriptone Græca, item lapis alius quadratus latus aræ cum Inſcriptione Romuna: HECATENI PATRES Ex DE. votione ARAM POSIERUNT - - - - &c. ſed de his & ſimilibus alibi fuſiùs.

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. Samuelis Köliſeri de Keres-Eer.

Mures agreſtes.

INter tot epidemiæ Tranſilvanicæ phaſes poſteaquam immemorialis ſiccitas impluviæ æſtatis ardore terram exusſiſſet, & miris contagii peſtilentialis propagationum mediis optimos tractus depaviſſet, rubigo fruges ſteriles reddidiſſet, ſupervenit incredibilis murium frequentia. Quos ab Oriente veniſſe & ſuccesſivè unum poſt alterum Principatûs tractum occupaſſe, ſollicita plebs obſervavit. Varietas in colore & magnitudine diverſa fuit; plerique domeſticis ſimiles, nonnulli talparum & catorum minorum, quos mures alpeſtres dixeris magnitudinem æquabant. Dilatarunt ſe à menſe Maji in ſe-

rum autumnum per totam ferè Provinciam Occidentem verſus; terram undique infinitis contiguis cavernulis cribri inſtar perforarunt, primum tenue gramen, mox virideſcentes ſpicas, tandem & grana conſumpſerunt. Adulto verò autumno providenti ſollicitudine excavatis mirâ Architecturæ naturalis fabricâ cuniculis, congeſſerunt non ſolum puri tritici penum, (cujus ſubinde metretas hinc inde detexerunt tenuis meſſis pertæſi agricolæ) ſed & lectos uvarum acinos, & quicquid humano nutrimento inſervit, inſigni jactura in diſtinctas convexerunt cellulas. Præter damna frugibus & vineis illata, gramen effœtum vel adversâ quadam indole affectum non tantum pecudum nutritioni infeſtum fuit; ſed & prægnantes equas paſſim abortire fecit. Dumque ſpes brumali gelu nivibus & aquis ſuffocandos & exſtirpandos fore ſollicitum de novo ſemente fruſtraret agricolam, opinatum eſt, ventô quodam ab Oriente appuliſſe & vento pariter ipſis inimicô exterminandos fore. Id equidem curioſis obſervatoribus jam extra dubium eſt: Affectiones epidemicas plurima ex parte afflatui nonnullorum ventorum originem debere, concurſu magis vel minus efferari, mutatione ſedari. In nupera terna peſte, cumprimis in ultima, meridie correptos paucisſimos evaſiſſe, circa veſperam paucos, manè plurimos. Licet nonnulli perſuadere conati ſunt aërem infectum non fuiſſe; Nemo tamen ſanus negaverit, in modum fulgurum vibratas has aëris regiones infectas plus vicinis reddi potuiſſe; Cum verò inſolitâ tempeſtatum anni conſtitutione inconſtans hyems, & in initium veris protractum aſperrimum gelu penuaria murium exhauſiſſet, quaquaverſum murium frequentia in pagos ſe ſubduxit; in quibus nil proficiente incolarum induſtriâ exterminandis ingratis hoſpitibus, mirô naturæ auxiliô a muſtelis ſubventum eſt, à quibus incredibili celeritate necantur, & in acervos necatorum cadavera congregantur.

(*Claudiopoli Auguſtam Vind. d.* 1. *Martii A.* 1721. *miſſæ.*)

OB-

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. Michaëlis Bernhardi Valentini.

De cauſa Hemicraniæ lethali.

HEmicraniam utplurimum ex abſceſſu cerebri aut ſimili cauſa oriri, per cadaverum ſectiones demonſtrarunt *Bonetus in Sepulchreto & Blancardus in Anatome practica.* Confirmat idem caſus, quem hoc ipſo anno Vir Experientisſimus, Dn. *D. Heldius*, Conſiliarius & Archiater Anhaltinus, per literas mihi communicavit, cujus verba è vernacula in Latinum translata ita ſe habent: Die 16. Febr. hujus anni Erlangæ diem ſuum obibat locumtenens Dn. *ab Arnheim*, quem die inſequente ſectioni commiſi, quum in dextro capitis latere, cumprimis circa aurem ejusdem lateris, immanes hactenus dolores, unà cum febri & deliriis perpeſſus fuerit, quæ nequicquam etiam remittebant, licet multum materiæ purulentæ ex aure illa effluxerit: ita ut tandem delirio furioſo & epilepſia ſimul corriperetur. Ubi quoque reticere nequeo, eundem annis juvenilibus ſæpisſimè ad quartam aut dimidiam horæ partem cœcitate quadam obrutum fuiſſe, à quâ eundem liberavi. Poſtquam igitur pituitam, inſtar lardi induratam è naribus extraxeramus, caput primum aperiebatur: ubi remotâ durâ meninge in dextro cerebri hemiſphærio, ſtatim ſub piâ matre, multum pituitæ & aquæ flaveſcentis, gelatinæ inſtar condenſatæ, apparebat.

Venæ in toto cerebro inſigniter turgebant, haud aliter ac in Apoplecticis fieri ſolet. Sub dextra aure cartilago quodammodo nigricabat. Nervi viſorii ingentes ſatis & robuſti occurrebant. Proceſſus autem mammillares omninò deſiderabantur; quapropter vivens adhuc omni odoratu deſtituebatur. In infimo ventre lien ſolito major & hepar in parte inferiore nigricans apparebant, quo colore veſica bilaria æquè ac inteſtina hinc inde quoque deturpata erant.

In medio ventre cor magnum latis & in pericardio aquæ quantitas exceſſiva ſpectabantur. Quod verò admirationem merebatur, pulmones quoad totam ſubſtantiam, chartæ inſtar albeſcebant plurimis tamen punctis nigris intermixtis, cumprimis in ſiniſtro pulmonum lobo, ubi ſimul nodi hinc inde occurrebant. Alioquin autem, durante adhuc vita, demortuus macer admodum fuit, potui Spiritus vini Gallici & roris ſolis adſuetus.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. Michaëlis Bernhardi Valentini,

De coalitu vaginæ uterinæ in gravida.

CUm anno præcedente 1720. Alsfeldiæ in prædio meo ſuburbano commorabar, conſilium meum implorabat uxor *Georgii Scheres*, Piſtoris & civis illius loci, non ſine lacrymis conquerens ſe à Chirurgo, *Joh. Adamo Carolo* in partibus genitalibus conſolidatam eſſe (ſie wäre gantz zugeheilet) poſtquam ob genitalium, ob partum difficilem, dilacerationem ejusdem auxilio uſa fuerat. Quum vero idem Chirurgus ſub ipſa cura marito ejus ſuaſerat, ut turundæ loco virilia immitteret ipſaque mulier ante vaginæ conſolidationem denuò concepiſſet, hac autem nunc per imperitiam Chirurgi coalita de propria non minus, quam fœtus vita, ob denegatum exitum, anxia & ſolicita eſſet, ob partus tempus appropinquans opem meam expetebat. Digitis ergò explorationem inſtituens orificium vaginæ ad duarum unciarum profunditatem adeo concretum & coalitum inveni, ut indicis apicem vix absque ſummo dolore admitteret. Suaſi ergò ſectionem chirurgicam, quam Dn. *Henricus Klebergerus*, Conſul & Chirurgus illius loci, in ſe ſuſcepit & feliciſſimè abſolvit, adeò, ut muliercula paulò poſt filiolum formoſiſſimum enixa fuerit, quem hoc ipſo anno 1721. lætabunda videndum obtulit.

De

De imperita autem prioris Chirurgi curatione dijudicanda non tantùm Facultas Medica Giſſena requiſita fuit, ſed & adhuc ſub judice lis eſt.

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. Michaëlis Bernhardi Valentini.

Anatome clangulæ.

ANno MDCCXX. menſe Novembri Anas fera rarior, ex illarum genere, quæ PLATYRINCHI ſeu Latiroſtræ, Helvetis Taſchenmäuler dicuntur, cùm inferior roſtri pars in ſuperiori, tanquam in theca quadam includatur. Erat autem illa ſpecies, quæ CLANGULA vocatur & quidem mas, qui infra oculos utrinque maculam albam piloſam, in diametro album vel groſſum æquantem, habere ſolet, quæ in fœmellis deſideratur.

Magnitudine Anate domeſtica paulò minor erat, in parte ſuperiori alarum ex parte nigra, ex parte alba, apicem in vertice gerens, è nigris pennarum cirrhis conflatum, prope quem pennæ ex nigro obſcurè virent. Venter albicans.

Roſtrum illi brevius & obtuſius reliquis, cujus pars inferior in ſuperiori tanquam in theca reconditur. Lingua carnoſa & ſemipollicem lata, cujus pars anterior inſtar ſucciſæ quaſi præmorſa appendicem minorem habebat, in parte ſuperiori quodammodò ingricans, in altera verò ſeu inferiore ex albo flaveſcens. Oculi ſimiliter eleganter flaveſcebant, quemadmodum & pedes, quorum digiti lata & nigricante pellicula, alis veſpertilionum haud abſimili, connectebantur.

Inteſtinum cœcum duos appendices longas, utrinque annexas, habebat.

Quod verò ſingulare & inſolitum eſt, aſpera arteria primum anguſta circa medietatem in utriculum ſe expandebat, duos ferè pollices latum, cujus annuli obliquè & ſquamarum inſtar

inſtar ſibi quodammodò incumbebant. Abhinc rurſus anguſtior reddebatur, donec tandem in pectore in ſacculum cartilagineum, inſtar crepitaculi infantilis, utriculo majorem & aliis anatum ſpeciebus etiam familiarem deſineret, qui altero in latere etiam adhuc ſemi-annulares articulos oſtendebat: in majore verò parte glaber erat & in utroque latere in appendices anguſtiores deſinebat, quæ in pulmones hiabant. Vide TABULAM, quam utinam cum ipſa deſcriptione *Amphitheatro meo Zootomico*, eo tempore jam abſoluto inſerere licuiſſet!

Vid. Tab. IV.

Fig. I.

a. Aſpera arteria.
b. Utriculus annularis.
c. Continuatio aſperæ arteriæ latior.
d. Sacculus cartilagineus glaber.
e. Latus ſacculi articulatum.
f. f. f. f. Appendices ſacculi articulis gaudentes.

Fig. II.

a. Lingua.
b. Appendix linguæ.

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reuſneri.

Vires Balſami Ungarici, itemque de Oleo Libani Carpathici deſtillato und Krum-Holtz Oel.

EX quo venale fuit in Sileſiâ noſtrâ, Oleum quoddam deſtillatum, odore, colore & ſapore ad naturam Terebinthinæ accedens, quod agyrtæ vocant Krumholtz-Oel / placuit inquirere: an in ſylvis noſtris, imprimis in montibus Sudetibus, Alpibus Sileſiæ, hoc lignum creſcat? Movi, quod dicitur,

citur, omnem lapidem; ſed verum & genuinum lignum non potui invenire, quamvis neque ſumptibus neque laboribus pepercerim.

Allatum mihi quidem eſt ligni cujusdam ramus, unus & alter cum foliis, qui vocabatur Knie-Holtz / ex immenſis jugis montium; hæc arbor, vel propter nives perpetuas, vel, quod magis probabile, propter ſterilitatem loci, ad genua hominum vix accreſcit; unde nomen accepit; ſed erant rami Pini communis. Liquet ergo oleum hoc eſſe adulteratum, & vel parum, vel nihil ab oleo Pini & Abietis differre, neque ad naturam & vires Balſami Ungarici accedere.

Curavi igitur an. 1719. ex Ungariæ montibus Carpathicis genuinum lignum afferri, & vidi, quod ſit arbor, creſcens caudice ramisque diſtortis, foliis quinis, (hæc eſt nota characteriſtica) ex uno tubulo ſeu centro prodeuntibus, cortice rugoſo nodoſoque; & eſſe ſpeciem quandam Pinaſtri, Tournefortio tamen ignotam. Ex libris IV. hujus ligni c. foliis, macerando in ▽. communi per 4. hebdomadas & ⊖ com. deſtillavi Oleum quoddam odoris fragrantis, balſamici, & accepi ℥ij. ʒij. ponderis medicinalis. Hoc Oleum deſtillatum per omnia quoad virtutes convenit c. genuino Balſamo Ungarico, quem Dn. ab Hortis primum invenit. Deſcriptionem hujus Balſami communicavit mihi DD. Liefmannus Practicus Budiſinenſis meritiſſimus, Amicus optimus, prout Pater ejus p. m. in Ungaria à DD. Spielenbergero Phyſico Leutſchovienſi, & hic à DD. de Hortis accepit.

Uſus externus.

1. Omnia recentia vulnera, non nimis magna aut profunda ſpatio 24. horarum ſine ſuppuratione aut notabili cicatrice ſanat; majora verò intra triduum aut quatriduum, ſi ſolummodo aliquæ guttulæ pennâ inſtillentur. Debet verò linteum ceratum ſuperponi, quo ligetur, aliàs evaporat.

2. Humidam puerorum in capite & facie ſcabiem ſolum illitam, intra triduum exſiccat, & funditus tollit, nullo relicto veſtigio.
3. Ulcera antiqua, ſerpentia & exedentia, qualia plerumque ſunt in cruribus, ſpatio 2. ſeptimanarum, ſi modo illinatur, & linteum ceratum ſuperponatur, ex fundamento ſanat.
4. Frigidis fluxionibus, contuſionibus ſanguineis concretis, Retentionibus, Tumoribus, ex quibus plerumque Paralyſes, aut contracturæ nervorum diuturnæ oriuntur, ad miraculum tollendis efficax eſt, quæ omnia intra duas ſeptimanas reſtituit.

Uſus internus.

Doſis eſt à guttis 7. ad 9. in liquore conveniente, bis vel 3. in die.

1. Obſtructiones hepatis, hypochondriorum & renum potenter aperit.
2. Sine moleſtia impuritates ſanguinis per copioſas urinas & paucos ſudores è profundo etiam venoſo genere, tollit.
3. Arenas & calculos pellit.
4. Menſes & Hæmorrhoides movet.
5. Gonorrhœam & catarrhos frigidos ſiſtit.
6. Inveteratos capitis dolores diſcutit.
7. Tusſique etiam & inveteratis thoracis morbis, nominatim vero Phthiſi & ulceribus pulmonum medetur.

Occaſione hujus ligni accepi quoque ex Ungaria Balſamum, in formâ ſiccâ, ſeu Gummi, quod idem eſt balſamus, ab aëre & ſolis radiis quaſi inſpiſſatus; paravi c. $\overset{s}{V}$. ♀riſato & tantillo cochionellæ Tincturam, in calculo renum & veſicæ non contemnendi uſus, à guttis 14. ad 20. in vehiculo appropriato. De quo impoſterum plura.

OB-

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reuſneri.

Antipathia cum mentha curata.

EXcellentisſimus DD. Joh. Lud. Hannemannus PP. Chilonienſis Dec. 2. anno 4. obſ. 51. exemplum refert de fœminâ, quæ ſine deliquio animi mentham nec videre nec olfacere potuit: credo equidem plures eſſe homines qui mentham averſantur.

Occaſione hujus obſervationis ſuccurrit memoriæ alia puellæ ſc. 8. annorum, quæ odorem menthæ tolerare & perferre non potuit, ſed lipothymia correpta fuit. Mater ejus, Matrona generoſa, certo conſcia, lipothymiam Filiæ eſſe ab odore menthæ; eodem temporis momento manipulum menthæ recipit, & non ſuperficialiter, ſed ad nauſeam usq; tam diu nares eâdem herbâ fricat, donec ad ſenſum priſtinum filia redierit; à quo tempore ad hodiernum usq; diem odorem menthæ benè perferre poteſt: eſt autem ſexagenaria major, adhuc in vivis. Utrum aliæ antipathiæ hoc modo curandæ, cæteris paribus, Curioſis DD. Collegis indagandum relinquo; hujus enim gratia obſervationem hanc communicavi.

(*Javerâ Auguſtam Vind. d. 23. April. A. 1701. miſſæ.*)

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. Johannis Adami Limprechti.

De grato Caſtorei odore, à Medico in proprio corpore primùm ægro, poſtea ſano, experto & per triginta ferè annos durante.

MEdicus quidam Practicus quadragenario major cholerico-ſanguineus ſubitam patitur virium dejectionem, ita, ut ex ſella in qua ſedebat, alienâ ope deſtitutus aſſurgere fruſtra ad-

laborarit, in febrem incidit, malignam quidem & immani cephalalgiâ conjunctam, mente tamen nunquam afflictâ. Hujus exacerbationem quotidianam circa horam ſecundam pomeridianam ſemper indicarunt nauſea inexplicabilis, inanis vomendi conatus & ingens ſimul in ſomnum propenſio, quam in turbulentum tandem ſomnum converſam capitis dolores diutini exceperunt, ſiti & calore corporis mediocribus.

Certis indiciis perſuaſus nervoſum genus affici, linteolo ▽ hirundinum cum caſtoreo imbuto ſpinam dorſi cum ſucceſſu fricari jubet. Hoc dum fit, odor ſuavis naribus occurrit, qui in tantam augetur fragrantiam ut in admirationem etiam æger rapiatur. Veritatem hujus rei curatius indagaturus, caſtoreum ipſum manibus ſubinde tractans naribus admovet, quod mali citrei odorem illi refert, hinc occaſionem continuandi arripit; ſed & aquam prædictam epithematis inſtar fronti applicandi, quo facto adſtantes omnes, aucto ſcilicet fœtore caſtorino fugantur ex cubiculo, enumerata verò ſymptomata ex ægri corpore.

Notari meretur Medicum hunc, mente nullo modo læſâ, dictum Caſtorei odorem primum percepiſſe in corpore ægroto, quem antequam hic morbus eum invaſit, nunquam ſenſerat, in ſano verò tamdiu continuaſſe, ut jam ſeptuagenarius vegetus non tantummodo odoris ejus ſuavitatem adhuc ſentiat, ſed nec ab Aſſæ fœtidæ fœtore abhorreat.

Interea pro integritate ſenſuum externorum pariter ac internorum in corpore ſuo huc usque ſervatâ humani generis Servatori grates perſolvit quotidianas, & ne Lectori curioſo de ſano olfactus Medici hujus judicio ullum reſtet dubium, ſciat: vires ſuas nihil magis recreare quam ſuaveolentia, eas enim ſtudiis & laboribus defatigatas odore Moſchi reficere aſſolet, in tali autem loco, ubi ellychnium non exactè fuit extinctum, aut prunæ tetrum odorem ſpirantes in ignitabulo aſſervantur, vix ac ne vix quidem per horæ momentum ſubſiſtere illum poſſe.

(Berolino Auguſtam Vind. d. 30. April. A. 1721. miſſa.)

OBSERVATIO C.
Dn. D. Lucæ Schröckii.
De Calculis veſicæ.


MErcator quidam, ætat. *69.* annor. robuſta cæteroquin & ſana corporis conſtitutione præditus, cum per quindecim annos calculi veſicæ doloribus, ultimo tamen vitæ triennio, ſub conveniente diætæ regimine, & motus inprimis vehementioris moderatione, tolerabilius, ut de calculi præſentia fere dubitare maluerit, laboraſſet, tandem An. 1721. M Septembri acerbius iisdem denuo fuit adflictus, ut etiam d. 25. hujus menſis convulſiones atroces accederent, & d. 27. ipſum vita privarint. Cadavere cultro anatomico ſubmiſſo, ſola veſica cum incluſo calculo conſiderationem merebatur; in qua pauca urina, paulo major vero ejus quantitas in renis dextri ejusque ureteris cavitate obſervabatur, calculus autem magnus, quaſi pyriformis, ſuperiori nempe parte crasſiore exiſtente, & ſeptem cum dimidia unciarum pondus æquans delituit, veſica admodum craſſa & circa calculum conſtricta comparente, ut difficulter ille inde loco moveri, atque ex pelvi extrahi potuerit, & ita quaſi in medio veſicæ ſuſpenſus hæſerit; cumque talem ille ſitum nactus fuerit, quo minus crebrioribus & urgentioribus doloribus circa ultimos vitæ annos collum veſicæ atterere & ſtimulare valuerit, hinc ſuſpicionem præbuit, mortem ſubſecutam non tam ipſi, quam alteri alicui minori calculo potisſimum eſſe imputandam; ſiquidem circa ingreſſum ureteris dextri in veſicam calculus nucis moſchatæ majoris magnitudine arctisſime inhærere deprehenſus fuit, cum loci illius tumore, à fibrarum conſtrictione orto, & calculi extruſionem in ipſam veſicam impediente: à quo ſpaſmo atrociori funeſtas illas univerſales convulſiones vel motus epilepticos fuiſſe excitatos credibile eſt. In ſiniſtro quoque latere, ubi ureter in veſicam inſeritur, minor calculus, isque laxius ſub-

ſtitit, qui fibras non adeo intenſas ibi inveniens aut efficiens, aliquale urinæ ſtillicidium in veſicam conceſſerat.

Quantam motus vehementior in calculo ſimul movendo concitare noxam valeat, non ita pridem obſervare licuit, dum Mercator aliquis, ſexagenario major, poſtquam, præter alia ſanitatis incommoda, calculi veſicæ doloribus per biennium fuit excruciatus, diætæ decentis adminiculo, eam dolorum remisſionem expertus fuerat, ut etiam ſine ſingulari incommodo ſæpius in publicum prodire ipſi licuerit. Cum vero aliquando in dolio magno & ponderoſo ſuſtollendo vires ſuas nimium intendiſſet, dolores admodum ſine intermisſione recruduerunt, eundemque, ut lithotomiæ ſe ſubjiceret, tandem impulerunt; quæ equidem, magna tamen cum ſanguinis profuſione, ita ſuccesſit, ut calculus unciarum duarum cum dimidia pondere fuerit extractus, qui ex utroque latere quaſi lævigatus quia erat, unum vel duos alios adhuc latitare in veſica, indicium præbuit; extractione tamen, ob metum majoris hæmorrhagiæ, in quartum usque diem dilata; ubi ſimilis alius calculus in apricum prodiit, ex una parte tamen mucrone præditus, qua veſicam atterendo cruciatus illos reſuſcitaverat, quem ex ſupra memorato corporis violento motu, etiam fuiſſe è loco ſuo commotum, mucronemque iſtum prius verſus alterum calculum, uti credibile eſt, directum, nunc extrorſum fuiſſe converſum, conjecturare liceat.

APPENDIX
AD
EPHEMERIDUM
ACADEMIAE
CÆSAREÆ LEOPOLDINO-
CAROLINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
IN
GERMANIA
CENTURIAS IX. & X.

TAB. VII.



CONTENTA APPENDICIS.

DD. *Mauricii Hoffmanni, Profeſſoris quondam in Univerſitate Altdorfina Medicinæ primarii, Mantiſſa Obſervationum.* pag. 441
DD. *Chriſtiani Henrici Erndelii, S. R. Maj. Poloniæ &c. Archiatri Iter Medicum Grodnenſe.* 471
DD. *Franciſci Scufonii, Medici Romani Obſervationes de Locuſtis.* 485
DD. *Januarii Jaunellii exercitatio de mira dilatatione & prolapſu coli.* 505
DD. *Godofredus Heldius ab Hagelsheim, Conſil. & Archiater Byruthinus, de Analogia Macrocoſmi cum Microcoſmo, occaſione æſtus diuturni, in utroque, Anno MDCCXIX. obſervata.* 531
DD. *Johannis Baptiſtæ de Wenckh Diſſertatio: An ex coitu hominis cum bruto poſſit verus homo generari?* 552
DD. *Johannis Caſpari Weſtphali Judicium de Sagis & Magis.* 560
Memoria Lochneriana. 571
Lanciſiana. 632
Genſeliana. 652

MAURICII HOFFMANNI
MEDICINÆ DOCTORIS
ET
IN INCLUTA NORICORUM UNIVERSITATE
ALTDORFINA
ULTRA L. ANNOS
PROFESSORIS PUBLICI PRIMARII,
DIVERSORUM S. R. I. ELECTORUM ET PRINCIPUM CONSILIARII ET ARCHIATRI

MANTISSA OBSERVATIONUM SELECTIORUM

QUAM
FILIALI PIETATE INDUCTUS AB OBLIVIONE VINDICAVIT

JOH. MAURIC. HOFFMANNUS D.

SACR. CÆS. MAJEST. ARCHIATER,
NEC NON
SEREN. MARCHIONIS ONOLDO-BRANDENBURGICI CONSILIARIUS AULICUS ET ARCHIATER PRIMARIUS, COMES PALAT CÆSAR.
S. R. I. NOBILIS,
EPHEMERIDUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM DIRECTOR,
DICT. HELIODORUS.

OBSERVATIO I.

De Calculis unguiformibus in aortæ deſcendentis bifurcatione repertis.

IN Nobili Patavino d. 19. Febr. A. 1649. pro cognoſcenda in regione Lumborum doloris pertinaciſſimi, magnorum Medicorum conſilia & auxilia fruſtra implorante, cauſa poſt mortem diſſecti, renes vacabant omni culpa & calculo ab omnibus accuſato, jamque in eo erat diſſector, ut cauſa incognita diſcedere ventremque conſuere vellet, niſi aortæ truncus ſub renibus in ramos iliacos diſtractus quaſi contortus mihi adſtanti apparuiſſet, & per compreſsionem digitorum prominentias aliquas duras notaſſem & demonſtraſſem. Aperta igitur arteriæ bifurcatione ſex calculi unguiformes ſive laminæ lapideæ viſui ſeſe obtulerunt, ſub qualibet arteriæ pulſatione vicinas fibrillas membranaceo-nerveas lancinando pungendoque doloris pertinacisſimi autores. Interim cauſam horum concretorum perſuaſi erant fuiſſe crebriorem pulveris viperini ad exulceratam mammam aſſumpti uſum. Aliud notatu dignum non occurrebat, niſi quod epar prægrande cum hypogaſtrio dextro etiam epigaſtrium occupans, in aliquot lobos diſtinctum fuerit, duriuſculum & quaſi ſcirrhoſum, mediumque inter binos veſicula bile turgens tenuerit.

OBSER-

OBSERVATIO II.

De Vaſis umbilicalibus in viro triginta annorum adhuc perviis, & ductu pancreatico à Virſungo ſimul inquiſito.

MEnſe Martio ejusdem anni in viro triginta aliquot annorum fato violento defuncto vaſa umbilicalia, vena ſcilicet & arteriæ geminæ umbilicales facile ſtilum admittebant, & canalium reliquorum vaſorum inſtar adhuc cava erant, quæ ipſa in infantulo à me privatim diſſecto per corpuſcula quædam lumbricalia ſuccreſcentia ab epate & iliacis internis verſus umbilicum protracta, hunc tamen non attingentia repleta obſervavi. In propoſiti autem viri cadavere Medicus Anatomicus & Chirurgus experientiſsimus D. D. Virſungus, Præceptor & hodogeta meus fideliſsimus, me præſente, inquirere cœpit in ductum pancreaticum, quem ego menſe Septembri ſuperioris anni in gallo Indico ſive gallopavo oſtenderam, communi cum eodem hoſpitio in ædibus Victoriæ Cavaræ & Manfredda dictæ prope templum S. Antonii uſus; ut adeo nominati ductus primam inventionem mihi jure meritóque vindicare poſsim, ſicuti etiam teſtatus eſt Anatomicorum princeps Th. Bartholinus Anatom. Libri I. Cap. XIII. ſed & poſthæc confirmavit ſeq. teſtimonio mihi, cum in aula Studgardienſi in gratiam Sereniſsimi Ducis Wirtenbergiæ Friderici Caroli ſimul commoraremur, benevolentiſsime verbis ſequentibus conſignato: Dum Patavii eram 1644. in ædibus D. Virſungi, in quibus hoſpitabar, excellentiſsimus D. D. Gilianus Garzius Hamburgenſis & D. D. Chriſtianus Burger Dresdenſis, ſæpius mihi referebant, Excell. D. D. Mauricium Hoffmannum, nunc Profeſſorem Medicinæ Altdorfi celeberrimum, ductum pancreaticum in gallo Indico inveniſſe ac dein Virſungo oſtendiſſe, unde captarint occaſionem inquirendi in ductum pancreaticum hominum, quem tandem repererint; quod idem non ſemel confirmavit Dn. Joh. Leonicenus Proſector Anato-

micus Exc. D. Veslingii, quibus his bona fide atteſtor. Studgardiæ d. 1. Novembr. 1686. Joh. Jacob. Wepfer. M. D.

OBSERVATIO III.

De uteri in gravida craſſitie, venarum valvulis & arteriarum fibris transverſis.

MEnſe Novembri anni prædicti à Joh. Leoniceno uterus poſt partum cum ſecundinis relictis puerperæ defunctæ conſpiciendus mihi offerebatur, certiſsimo indicio etſi ſub fœtus geſtatione uteri membranæ extendantur, parietes tamen non fieri tenuiores. Menſe inſequente Decembr. cum D. Virſungus & ego in ſtrangulati cujusdam cadaveris arteriis & venis extrahendis & tabulis agglutinandis per plures dies occupatiſsimi eſſemus, copioſas partim in venis ſanguine plenis notavimus valvulas cor reſpicientes, nullibi tamen crebriores quàm ſub axillis & in inguinibus, ſæpius geminas. In arteriis autem vacuis fibras notavimus paucas transverſas, nimiam extenſionem præcaventes, motuque tonico ſanguinis progreſſum ad venas ſocias adjuvantes.

OBSERVATIO IV.

De Salamandra fœmina diſſecta.

IN hac fame mortua ejusdem menſis die decimo, cultro anatomico ſubjecta acutos plurimos dentes utriusque maxillæ notavi, cordi auricula rubra adhærebat, accumbentes utrinque pulmones atrorubentes ſpumoſam oſtendebant faciem, ventriculus à faucibus rectè deorſum protenſus ſub oblongo epate deliteſcebat, hujus autem veſicula fellea globuli inſtar rotunda erat, ſuper quam à duodeno ad epar albicans ductus exporrigebatur, ab epate vero duo vaſa ad inteſtinum diſpergebantur. Lien parvus lateri ventriculi ſiniſtro accumbebat cum plexu quodam ſuaverubentis coloris, ſub inteſtinis plura grana rotunda, ovarii ſcil. ovula conſpi-

ciebantur, quibus uterus bifurcatus proximus tredecim vivos fœtus exiles, digiti dimidii brevioris longitudinem nondum æquantes, in pectore autem ſub rubicundiſsimi ſanguinis puncto cor repræſentantes, diſtinctisque umbilicis præditas & quoad colorem nigras, maculis aureis nondum variegatas complectebatur.

OBSERVATIO V.

De Lienoſo ex narium hæmorrhagia vita orbato.

IN hoc tantæ molis lien viſebatur, ut diaphragma in ſiniſtro latere ad coſtas ſuperiores protenſum fuerit, æquaverat autem XV. librarum pondus, tunica ſuperextenſa plumbea ac ferme glareoſa ſive ſabuloſa exiſtente: ventriculus hinc epatis cavo arcte appreſſus erat: pancreas & meſenterii glandulæ in ſcirrhoſam combinatæ erant duritiem.

OBSERVATIO VI.

De Vomitu ſanguinis ex liene compreſſo.

ANno 1645. Generoſus Gabriel Rexrada von und zu Schullenz, Sereniſsimi Electoris Bavariæ in urbe Neoforo Præfectus, ultra quatuor luſtra tumido liene, absque ſingulari tamen noxa vel incommodo affectus, cùm poſt cladem Mergentheimii à Gallis factam, fuga ſibi pecuniæque collectæ conſulturus Ingolſtadium cogitaſſet, propitiosque viales in templo exoraturus, ſedili editiori hypochondrio utroque innitens, arctius ſiniſtrum compreſsiſſet, vertigine correptus domum properavit, moxque per vomitum magnam ſeri & ſanguinis grumoſi, parum fœtidi, copiam binas menſuras civiles excedentem, non ſine ſumma virium proſtratione rejecit, mox ſubſecuta tumidi lienis ſubſidentia & evaneſcentia. Procul enim dubio per vas breve, valvulæ relaxato vel abrupto tono, via ex liene ad ventriculum humoribus excretis aperta fuit, uti Riolanus etiam anthropolog. l. 2. c. 17. in no-

bili Senatore annotavit, & Adrian. Spigelius lib. 8. c. 14. ex Valverdæ l. 6. c. 5. de Cardinali de Cibo retulit. Is ipſe vero Generoſus vir cum me per celeres equos ad ſe vocari mandaſſet, uſu decocti & electuarii ex vulnerariis & ſubadſtringentibus concinnati, viribusque analepticorum ope reſtauratis, mox cum ſanitate integra in gratiam rediit. Cum autem poſtea Ingolſtadii circulatoris & circumforanei ſuaſu ſitim ingentem ingurgitatione muſti juniperini paſſulati copioſioris demulcere crebrius ſolitus fuiſſet, venter in molem inſignem intumuit, ideoque ab eodem agyrta pro tribus doſibus oblatas XI. pilulas purgantes devoravit, à quibus tanta ſeri copia intra octiduum per alvum expurgata fuit, ut vix ei recipiendæ amphora civilis LXIV. menſurarum ſufficere potuerit; ſed infauſto admodum eventu, ſiquidem contabeſcere cœpit, & Ratisbonam reverſus cunctis conſiliis impatientiſsimè repugnans ibidem obiit.

OBSERVATIO VII.

De globulis plumbeis exploſis vi fracta ſub integumentis communibus coërcitis.

ANno 1646. Johannes Kerl Schnebergenſis artis pharmaceuticæ cultor, annorum 16. Altdorfi à militis ſclopeto exploſo globulo plumbeo circa umbilicum ſiniſtrorſum vulneratus erat, cùm autem globulus idem latus & fundum pyxidis ligneæ è guajaco torno elaboratæ, quam manibus prehenſum pharmacopola ante ventrem detinuerat, prius perfodere debuerit, non in abdominis cavum penetravit, ſed integumenta inter & muſculorum latas expanſiones, illæſo peritonæo ad lumbos pervenit, indeque ſectione ſimplici extractus eſt, atque vulneratus 14. dierum ſpatio feliciter convaluit; licet inter initia non abſque metu majoris periculi cruenta quædam & per alvum & urinam effluxiſſent. Hujusmodi fortunam propitiam expertus etiam eſt Baruthi menſe Nov. An. 1682. in facta quadam velitatione eques crupellarius, cui globuli ſclopeto emiſsi in hypochon-

pochondrio dextro per thoracem ferreum & coriaceum ſat craſſum transeuntis vis quaſi fracta, ſub cute ad lumbos usque citra epatis læſionem inter externos muſculos tantum penetraverat. Conſ. Adrian. Spigel. lib IV. de ſemitertiana c. 14.

OBSERVATIO VIII.

De Paralyſi crurum ex lapſu in gangrænam terminata.

ANno 1645. circa ſolſtitium hyemale faber lignarius Altdorfinus, robuſtiſsimus civium habitus, ligna in proxima ſylva collecturus, ex trunco quercus præceps ad traham ſuam factus, per lumborum contuſionem luxationem vertebrarum ibidem tam vehementem patiebatur, ut nullo modo proceſſus oſſei ſede nativa dimoti, validiſsima etſi extenſione adhibita in ordinem concinnum redigi potuerint, adeoque urinæ & alvi ſuppreſsiones pertinaciſsimæ catheteris, ſuppoſitoriorum & enematum uſum poſtulabant, paralyſi utriusque cruris permanente continua, poſt ſex ſeptimanarum ſpatium in gangrænam exitialem terminata. Simile fatum obtigit An. 1679. prope Altdorfium neogamo ruſtico, qui cùm nundinas vicinas adire conſtituiſſet, à ſocero in annoſam quercum glandium excutiendarum gratia conſcendere coactus fuiſſet, ex impatientia neſcio an incuria præceps deorſum graviſsimo lapſu ruebat & allidebat ad prominentes ſupra terram nodoſas duriſsimas radices, hinc ſenſuum omnium miniſterio orbatus pedum paralyſin paſſus eſt ex luxatione ſecundæ tertiæve lumbaris vertebræ, dum brachia interna motibus convulſivis exagitabantur vehementiſsimis, non prius ceſſantibus quàm poſt octo horarum inſecutum intervallum miſer vitam cum morte mutaſſet.

OBSERVATIO IX.

De Erinaceo terreſtri.

IN hoc diſſecto notavi ſpinas aculeatas ſive aculeos cuti infixos circa radices poroſos eſſe. Epar in lobos ſciſſum; ejus-

que

que veſicula fellea copioſa bile diſtenta per ligamentum membranaceum annexa erat, in hoc duo vaſa cyſtica ab epate enata per tunicam externam diſſeminabantur. Ductus pancreaticus quoque ſe conſpiciendum præbebat. Inteſtinum cœcum nullum. In media fronte muſculus robuſtus caput erigens; hoc enim detracto ad anteriora, femoribus dextrorſum, dorſo vero ſiniſtrorſum incurvatis animal illud ſeſe conglobare ſolet.

OBSERVATIO X.

De Cervo cultro anatomico ſubjecto.

CErvus procerioris habitus XIV. cornuum prominentiis conſpicuus ein Vierzehner/ etſi globulus plumbeus exploſus ſiniſtrum ejusdem cordis ventriculum penetraſſet, ultra 200. paſſus tn. aufugerat, donec medio ſub ſaltu exanimis concideret. Veſiculæ felleæ defectum ductus epaticus biliarius corpore aperto ſupplebat, (deliramentum n. venatorum eſt, bilem in cauda colligi) adeoque ventriculus & inteſtinorum contenta bile tincta apparebant. Epar unicum diſtinctum fiſſura tantum portæ lobum offerebat. Lien placentam æmulus figuræ ſimilitudine repræſentabat, cavo ventriculo, ſimo diaphragmati ſeſe adaptans. In thorace juxta aſperæ arteriæ dextrum latus lobus pulmonis ſingularis à Galeno notatus aderat, quo ſiniſtrum latus carebat. Hiatus auriculæ dextræ ad ventriculum dextrum facile latam manum capiebat. In utroque ventriculo ſanguinis nigreſcentis copia. Septum ſolidum nulla cavitate pervium. In cordis baſi oſsiculum, os de corde cervis officinis dictum ab oblonga forma das Hirſch-Creutz vulgo dictum, proprium locum habere viſum eſt inter valvulas radicis venæ cavæ & arteriæ aortæ in medio ſepti quaſi exortum, uti poſthac menſe Julio 1645. & menſe Septembri Anno 1674. denuo notavi. Larynx tota cartilaginea, ex bronchi circulis nonnunquam duo in unum coaluerant. In principio œſophagi papillæ prominentes compreſſæ viſcidum mucum reddebant. Aorta in exortu

ortu ſuo crasſitie cultri dorſum excedebat, ex manifeſtis quinque tunicis compoſita. In alio cervo alio tempore diſſecto deprehendi in epatis cervini convexo venæ cavæ valvulas quasdam membranaceas ſive limbos ingreſſum ſanguinis in epar intercipientes, eundemque ad cor dirigentes. Præputium priapi ſcrophulariam fœtore æmulabatur, hujusque pili aſperi quaſi arenulis conſperſi contactui obveniebant. Glans erat albicans anguſtum foramen inter rugas occultans.

OBSERVATIO XI.
De ſciuro diſſecto.

IN eo ſequentia notavi. Epar ventriculo incumbens in lobos fiſſum. Ductus pancreaticus exilis. Lien ventriculi fundo proximus. Inteſtina ſatis longa varie circumvoluta. Cœcum amplum pollicis craſſitiem admittens. Ileum rotunda ſua extremitate valvulam conſtituebat regurgitantibus obſtantem. Mucronata pectoris cartilago cordis figuram æmulabatur.

OBSERVATIO XII.
De muſtela piſce.

MUſtelam piſcem, quem vulgo Ahl-Ruppen & Quappen nominant, ſquamis deſtitutum aperui, cujus epar in paucos lobos ſciſſum flaveſcens ſuſpenſum in vitro, tenerrimæ texturæ liquorem flavum oculorum bulbos detergentem & mundificantem ſtillat; ventriculus oblongo-rotundus ſenſim attenuatur. Pylorum ſive duodeni principium appendices pendulæ multæ, cœca inteſtina repræſentantes quadruplici adhæſu ambiunt, chylum diſtrubuendum forte transeuntem oſculis ſuis excipientes, quas Noricæ medicaſtræ Ruppenhändlein vocant, & adverſus epilepſiam, ſecundinarum retentionem & colica tormenta laudant. Veſicula fellis ſub epate propendens poſt appendices in duodenum per porum compreſſa tenuem

bilem eructabat. Lien parti inferiori inteſtini recti adhærebat per fibras & vaſa. Hujus extremo bina corpuſcula lactei candoris adjacebant, teſtes æmulantia, ad quæ vas ſanguineum à ſuperiori ventre demiſſum ramis ſuis terminabatur. Ad meliorem autem notitiam figuræ hîc additæ benevolo Lectori ſubſervient.

Tab. IX. Fig. I. II.

a. Portio œſophagi. b. Principium ventriculi. c. Ventriculus ipſe. d. Ejusdem fundus. e. Pylorus, in quo valvula quædam aderat, nec flatui tranſitum ex ventriculo concedens. f. Appendices ſunt foraminibus quatuor ad duodenum hiantes, chylumque abſorbentes: hic enim iſtis compresſis effluxit una cum lumbrico tereti exiguo rubeſcente. g. Veſicula fellis ſub hepate, penitus exalbido. h. Reliqua inteſtinorum portio, quæ ad lit. i. k. oblique reflectebatur, & ad lit. m. rurſus dilatatur rectumque conſtituit inteſtinum. l. ubi vero hoc incipit ad lit. m. ibi valvula aderat, quæ nec flatum ex recto inteſtino vi impulſum admittebat. Huic recto inteſtino lien parte inferiore per vaſa & fibras appenſum erat. Utrinque etiam accumbebat corpuſculum n. lactei coloris thymo non abſimile.

OBSERVATIO XIII.

De Lupo anatomiæ ſubjecto.

IN Lupo barbæ bubuli atrorubentes conſpiciebantur. Anaſtomoſes venarum mammariarum & epigaſtricarum ſub muſculis abdominis rectis manifeſtæ. Lien ſubjacebat ventriculo. Ductus pancreaticus geminus. Epatis lobus minor porta dictus juxta pylorum omento involvebatur. Medio inter orificia ventriculi loco quatuor tubercula dura ſive ſteatomata aderant. Mediaſtinum pectoris tenue. Cor & pericardium multa pinguedine obductum. Muſculi oculorum octo nume-

numerabantur, nullus tamen nervum opticum involvens; cornea tunica ab uvea facile ſeparabilis. In principio valvula. Nervorum recurrentium extrema ad muſculos cricoarytenoideos poſticos & laterales ac ſphincterem gulæ diſtributa. Genitalis membri oſſiculum canum oſſiculo ſimile.

OBSERVATIO XIV.

De Caprea femina.

CApream feminam cum perluſtraſſem, in ejusdem pedibus poſterioribus inter ungulas extremas foramen rotundum nigro excremento ſordidum apparuit. Vaſa umbilicalia optime conſpicua, tota tamen haud pervia, ob corpuſcula quædam lumbricalia albicantia verſus umbilicum prolongata. Inteſtinum cœcum amplum fæcibus repletum, reliqua varie convoluta. Ventriculus uti in ruminantibus quadruplex, ad cujus pylorum vaſa candida plura verſus epar, veſicula fellea deſtitutum pergebant. Ductus felleus nullus conſpiciebatur, ſed & pancreas cum ſuo ductu ſenſum oculorum effugiebat. Diaphragmatis expanſio tenuisſima, pulmonum lobi in ſiniſtris tres, in dextris quatuor, hic vero ultimus venæ cavæ ad jugulum aſcendenti præcipue inſervire viſus. Uterus bifidus cornua ſua quaſi criſpata ad vaſa iliaca protendebat.

OBSERVATIO XV.

De Noctua.

IN hac menſe Martio diſſecta ſequentia ſingularia à me deprehendebantur. Nervi copioſi ſub cute cranii ex vertebris colli diſpergebantur. Muſculi temporales tenues. Aures amplisſimæ. Unguis oculorum ex cantho majori dimidium bulbum tegebat. Humores in oculis tres, aqueus mucoſus, vitreus clariſſimus, cryſtallinus major quam in vitulo depreſſæ rotunditatis, pupillæ proximus. Sclerotica cartilaginea fere orbitam formans & protuberans, corneam in medio pel-

lucidam relinquit, quæ amplior quam in homine & duplex apparet. Muſculi exiles, bulbique oculorum vix mobiles. Caro pasſim pallida. Cor inter epatis lobos latebat. Renes phaſeoli figura conſpicui, quibus glandulæ luteæ & ova plurima ſupra venam cavam adhærebant. Veſicula fellis pendula & oblonga, altero extremo epati, altero duodeno jungebatur. Ventriculus totum ferme abdomen occupabat membranoſus, pedes & caudam muris devorati continens. Lien nullus videbatur. Pericardium tenerrimum. Epar pallidum. In cordis ventriculo dextro notabatur valvula carnoſa. Inteſtinum cœcum duplex juxta rectum.

OBSERVATIO XVI.

De Pico viridi.

IN diſſecto pico viridi vulgo **Grünſpecht** lingua apicem ſpinulis ſive hamulis exilibus ſerratum & depreſſum offerens, triplo longior roſtro erat, compoſita ex binis corporibus cartilagineis lumbricalibus tunica carnea unitis, quæ ſub radice aurium non tantum ad occiput utrinque, ſed etiam in vertice junctim ſupra mediam calvariam ad nares usque extendebantur, pro faciliori vermiculorum ex lignis putridis extractione, ope binorum muſculorum exilium adhærentium celebranda. Quibus cotpora bina oblonga albida venulis conſperſa granuloſa jungebantur, cavitate mucoſa prædita, ad extremam maxillæ inferioris partem excurrentia, quæ tam ad retractionem linguæ, quam adductionem maxillæ facere videbantur. Dum vitam cum morte commutabat, ejusmodi glutinoſum mucum per os rejiciebat. Os claviculæ pectoris osſi laxo nexu copulabatur. Caro muſculorum atrorubens. Pinguedo circa cordis baſin flava, ventriculus ſiniſter multo anguſtior dextro. Ingluvies craſſa ventriculo ſubjecto nigram materiam porrigebat. Porus felleus communis in mediam inteſtinorum partem, ubi & duo exiles ductus pancreatici inſerebantur. Bilis

veſi-

veſicula oblonga epati & inteſtinis accumbebat. Sub ventriculo glandula oblonga lienem repræſentabat. Inteſtino recto ſimplici nullum cœcum adhærebat. Supra renes glandulæ recurvæ luteæ notabantur. Ex unguibus bini antrorſum, bini retrorſum extendebantur.

OBSERVATIO XVII.

De Steatomate.

GEorgius Veſtnerus Civis Altdorfinus ex contuſione à parvo pilæ durioris jactu ſuſcepto ſteatoma collegerat, quod inter ſpinam dorſi & ſcapulæ ſiniſtræ baſin enatum, tantum incrementum ſumſerat, ut ultra ſpithamæ longitudinem protenſum pondere ſesquilibram ſuperarit, cum autem & pondere moleſtiam ipſi tantum non perpetuam peperiſſet, & inſpirationi obſtaculo fuiſſet, ablationem ejus à me obnixe petiit, corpore itaque decenter præparato illam mediante ſectione decuſſatim facta inſtitui, non ſine inſigni quidem ſanguinis profuſione, ſed longe minori virium proſtratione; convaleſcebat autem intra 40. dierum ſpatium, atque cicatrix reſidua imperiali dein obtegi poterat.

OBSERVATIO XVIII.

De pruritu inſigni manuum.

MEnſe Septembr. A. 1649. ruricola quidam Heimburgenſis gramina campi ex matutino rore madida ſecando colligens, tantum manuum pruritui ſuccedentem ſentiebat inflammationis atrorubentis ardorem, ut gangrænæ periculum vix effugeret. Auxilio autem ipſi ut & pharmacapœo Altdorfino Poſenneccero, ex collectione ſeminis naſturtii eodem modo tunc temporis per octiduum ferme afflicto, erant cataplaſmata ex foliis ſambuci inciſis, vitellis ovi, nitro & furfure parata.

OBSERVATIO XIX.

De concrementis caſeoſis per alvum rejectis.

PErſtrenuus Dn. Franciſc. Granwel Bruxellenſis, olim Generalis Tyllii Secretarius, poſtea in arce Breitenegg Præfectus, m. Auguſto anno 1653. dolore colico afflictus atque de vomitu ſtercoreo ſibi metuens, aliquot libras lactis caprilli tepidi pro demulcendo dolore hauſerat, ſed absque levamine, itaque me ad ſe accerſere coactus eſt: circumſtantiis itaque probe perpenſis ipſi propinavi Ol. amygdal. dulc. cum ſpermate ceti juſculo carnis calido dilutum, & paulo poſt vomitu aliquot fruſta candida ovo gallinaceo majora ſubſtantiæ caſeoſæ rejecit, cum notabili ſummæ anxietatis prægreſſæ remiſſione, bidui autem ſpatio dehinc uſu pulver. abſorbendo-reſolventium diaphoreticorum & clyſteris anodyni optime ſeſe habuit.

OBSERVATIO XX.

De vulnere ventriculi curato.

MEnſe Julio, Ruricola Dörlebacenſis circa regionem lienis acuto gladio cum vulneratus eſſet, non tantum per vulnus multam cereviſiam epotam refundebat, ſed & potiones vulnerarias propinatas omnes vomitu rejiciebat. Cui tamen præter ſpem albumina ovorum recentia cum pulveribus ſtypticis à me conſcripta & oblata tam ſalutaria fuerunt, ut conſolidato vulnere ultra 30. annos ſuperſtes fuerit.

OBSERVATIO XXI.

De compreſſione abdominis fœtus excluſionem promovente.

COriarii Altdorfini conjux ſat robuſti corporis, menſe Septembri A. 1661. poſtquam primum gemellum vivum pepererat, & alterum poſitu obliquo impeditum & jamdum mor-

mortuum partu eniti non potuerat, fruſtra exantlatis per biduum laboribus, demum meum imploravit auxilium, juſſi itaque ut inſtante novo conatu, & obſtetrici interim officium ſuum faciente, altera ex adſtantibus mulieribus caput fœtus in utero quaſi fluctuantis pugno deorſum verſus orificium uteri internum, mediante ventris compresſione deprimeret, altera vero pugno ſuo corpuſculum fœtus ſimultanea compresſione ſurſum cogeret, quo facto fœtus jamdum quidem putridus & fœtidus in dias hasce luminis auras editus eſt, puerpera autem viribus omnibus exhauſtis ſupremum mox obiit diem. Ceterum hujusmodi ventris compresſionem etiam in Serenisſima quadam Principiſſa & Perilluſtri quadam Baroniſſa proficuam quoque notavi.

OBSERVATIO XXII.

De globulo plumbeo per abſceſſum lumbarem excreto.

ANno 1658. Ruſtico cuidam Oberferriedenſi globulo exploſo plumbeo, circa claviculam dextram ad ſcapulam tantum transeunte, neque ipſam perforante, vulnerato, cùm nullo modo is extrahi potuerit, poſt trimeſtre abſceſſus in lumbis ſupervenit, hocque aperto globulus quidem cum pure multo fœtidisſimo extractus fuit, æger autem contabuit.

OBSERVATIO XXIII.

De Iſchuria ſucco cochleariæ curatæ.

MAtronæ cuidam nobilisſimæ ſero lymphatico mucido - viſcido abundanti, atque urinæ ſuppresſione à die lunæ usque ad veſperam diei veneris, ſumma cum reſpirationis anxietate gravisſime afflictæ, fruſtra adhibitis tam internis quam externis remediis variis, tandem veluti Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς auxilio fuit ſuccus cochleariæ acrioris recentis inciſæ cum vino expreſſus, hoc quippe hauſto aliquot libras urinæ aqueæ excrevit & convaluit.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

De virtute centaurii minoris antihydropica.

HYdropicis binis, ob rem anguſtam domi remedia domeſtica expetentibus, ſaluberrimum auxilium ſuggesſit ſimplex centaurii minoris pulvis, per novem dies continuos, mane quotidie cum cereviſia calida oblatus.

OBSERVATIO XXV.

De conceptione ex lapſu turbata, & inſequente hydrope.

COrdula fabri ærarii Laufenſis conjux ſub undecim annorum conjugio quinque liberorum ac gemellorum mater, poſtquam anno XXVIII. ætatis iterum conceperat, ex alliſione vehementiori ventris per caſum præcipitem facta ob abrupta & divulſa procul dubio in ovulo intra uterum recepto ſtamina fœtus primordialia conceptionem turbatam irritamque eſſe facile conjicere poterat, cum circa quintum geſtationis menſem alias ſenſibilem fœtus motum nullum perciperet. Spe igitur graviditatis omni abjecta ad remedia uterum repurgantia anxia confugit, ſed absque optato ſucceſſu, ſiquidem abdomine quotidie in majorem molem aſſurgente, ſuppreſſo muliebri profluvio, tandem hydrops aſcites ſupervenit, à quo ſesquiennio ante obitum mediante paracentheſi aliquantum relevata, quarto demum anno à ſuſcepto infortunio fatis concesſit.

Aperto poſt mortem tumido ventre, ſeri inſtar lixivii rubentis, atque menſuras civiles plusquam triginta ſuperantis, copia mox effluxit, poſtea autem ſequentia notatu digna viſui noſtro exhibuit: Nempe

1. Uterus æquabiliter ferme turgens ac livens globoſæ ſuperficiei dimenſione ſecundum longitudinem & latitudinem ſpithamam longiorem excedebat, lateribusque abdominis ſecundum arteriarum umbilicalium ductum arctisſime adhæreſcebat.

2. Pro-

2. Protuberantiæ ejus circa fundum, dextra ſcilicet & ſiniſtra manifeſtè flaveſcentis contenti puris copioſi clara offerebant indicia, atque teſticulorum ſive ovariorum corpuſcula quaſi abſceſſu corrupta exquiſito coalitu ipſis juncta viſebantur.

3. Colli uterini arctioris æque ac veſicæ, ut & inteſtinorum ac meſenterii membranæ omnes atro ſanguine ſuffuſæ erant ac ſcirrhoſæ.

4. Cavitas matricis tota repleta erat muco ſanioſo corruptum ovum fœtore, candore & mixta flavedine repræſentante, eoque quodammodo quaſi per cellulas diſtincto.

5. Inteſtina ampliſſima ſed breviora, ex copia excernendorum ita diducta, quæ in quartam usque ſeptimanam ſæpius retenta fuiſſe maritus affirmavit.

6. Renes & lien naturaliter quoad colorem & ſubſtantiam conſtituti cernebantur.

7. Epar tam arcto nexu diaphragmati connatum erat, ut vix aliud quam lamina tunicæ veſiculæ felleæ flaveſcentis ſub dextro hypochondrio in oculos incurreret. Reſecto autem diaphragmate epatis compages pallida & putrida tenuioris placentæ inſtar notabatur.

8. Pulmones atro ſanguine quaſi ſuggillati apparebant.

9. Cor in ipſorum & pectoris cavitatis medio reconditum pallidum, nulla pinguedine obvolutum erat.

OBSERVATIO XXVI.

De vermium excretorum copia.

METallifoſſoris Norici primarii uxor atrociſſimos ventris dolores perpeſſa, poſt uſum enematis atque pulveris amari à me præſcripti aſſumtionem tantam vermium teretium & albicantium, primi articuli digiti longitudinem æquantium, multipedum & ore acuto præditorum copiam, per alvum excrevit, ut vix capacior pileus iſtos capere potuerit, atque ab hoſpitibus ejusmodi inviſis liberata dein bene ſe habuit.

OBSERVATIO XXVII.

De Aſcaridibus per vulvam rejectis.

AMalia mercatoris Norici NN. conjux ætatis anno quadrageſimo quarto cum inſigni pruritu plurimos candidos vermiculos aſcarides dictos quotidie per muliebre pudendum excernebat, mox intereuntes, quorum ulteriorem proventum injectiones uterinæ amaræ ex decocto colocynthidis paratæ dein prohibuerunt.

OBSERVATIO XXVIII.

De portione oſſis tibiæ ſub genu exulcerato vi naturæ abſcedente.


FRiderico Joh. Hübneri Senatoris oppidani filio X. annorum, A. 1664. occaſione contuſionis genu dextrum tumidum factum, poſt aliquot ſeptimanarum decurſum ſuppurari cœperat; quo facto oſſis tibiæ apophyſis patellæ proxima ſalva quidem remanſit cum articulo, ab apophyſi vero oſſis tibiæ pars ſuperior prominens carne obduci renuit, ſed poſt ſemeſtre ſpatium ſponte ſeceſſit os forma & magnitudine, quam addita figura commonſtrat, ubi inſimul notandum, chirurgum eo loco, quam lit. c. deſignat, amputationem oſſis corrupti per ſerram antea tentaſſe, ſed tum ob ſanguinis inſignem profuſionem, tum & præcipue ob doloris acerbitatem ab operatione perficienda præpeditum eſſe.

Tab. IX.


Fig. I. Facies oſſis anterior.
Lit. a. Pars ſuperior oſſis.
b. Pars inferior foraminulenta.
c. Locus ſerræ adplicatæ.
d. Pars oſſis nonnihil nigricans.
e. Pars oſſis albicans.

Fig. II


Fig. 1.



ad pag. 458.
Fig. 2.



ad pag. 879.
Fig. 3.



BRITISH MU[illegible]
NATURAL HISTORY.

Fig. II. Facies oſsis poſterior.
f. Pars ſuperior oſsis.
g. Pars inferior foraminulenta
h. Foramen pro venæ ingreſſu.
i. Pars nonnihil albicans.

OBSERVATIO XXIX.

De Aſparago monſtroſo.

MEnſe Majo A. 1677. aſparagus monſtroſus ex coaleſcentia novem thyrſorum naſcebatur. Atque hujuscemodi vitium ex cohæſu caulium ſemel atque iterum in horto medico Altdorfino notavi in hyacintho botrioide, hieracio Sabaudo latifolio, cichorio ſylveſtri, beta vulgari, linaria violacea Auſtriaca, lyſimachia Virginiana lutea, flore cardinali ſive trachelio Indico flore rutilante.

Vid. Tab. IX. Fig. III.

OBSERVATIO XXX.

De partu quatuor filiarum.

ANno 1679. M. Decemb. in pago Höffen Margaretha 36. annorum, quatuor filias uno partu edidit, ſextum tum gravida, erant autem tantum ſeptimeſtres & ad paucas horas ſaltem vitales. Ex quibus tres unâ ſecundinâ incluſæ fuerunt, quarta propriam habuerat, quæ tamen mox ante baptiſmum obiit. Fuere hæ ſingulæ ejusdem magnitudinis, longitudinem dimidiæ ulnæ æquantes, absque nævis, motusque ſub geſtatione matri varios impreſſerant, ac ſi vermes in utero adeſſent.

OBSERVATIO XXXI.

De uſu ſingulari clyſteris in dentium dolore.

SErenisſimæ cuidam puerperæ ex ſuppresſione lochiorum dentium dolore acerbisſimo affectæ, ut cum ſumma anxietate linimentum expoſceret, miſi Enema lochiorum fluxum promovens,& decoctum anodynum lacteum ore detinendum. Illa vero perſuaſa enematis nullum fore uſum, utpote intra inteſtina longè à dentibus diſtantia tantum injiciendi, veſicatorio utebatur ad nucham applicato pro ſcopo revulſorio, ſed peſſimis ſuis rebus, cephalalgia etenim immanis ſuperveniens odontalgiam graviorem non ſolum effecerat, quin & illa in delirium inciderat. Vocatus igitur denuo in conſilii partes clyſterem absque mora ulla injiciendum rurſus ſuadebam, imo imperabam, quo vix ſuſcepto, etiam ante excretionem per alvum, dolor ac reliqua ſymptomata, quaſi per incantationem ceſſabant.

OBSERVATIO XXXII.

De vulnere tarſi palpebræ inferioris conſolidato.

GEneroſus adoleſcens ex alliſione ad clavum acutum tarſum palpebræ inferioris dilaceraverat, jamque tonſor de portione pendula per forficem reſecanda ſolicitus erat, dum ego forte fortuna adveniens atque temeritatem chirurgi increpans, ſolo emplaſtro traumatico glutinante impoſito labem vulnusculi ad propiorem contactum & unionem firmisſimam ſpatio viginti dierum reduxi.

OBSERVATIO XXXIII.

De virtute olei lini vulneraria.

SUſceperat Studioſus quidam in duello vulnus cæſim inflictum ſat grave in thorace, ad ejus cavum penetrans, cum abrupta aliqua mediaſtini portione, idque per plures ſeptimanas

TAB. VIII.

ad pag. 450.
Fig. 1.



ad pag. 450.
Fig. 2.



ad pag. 464.



ad pag. 461.



ad pag. 462.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

conſolidationem perfectam nullo modo admittebat, quin tusſis & atrophia notabilis ſupervenientes non levem mortis metum inferebant, idem tamen dein prorſus convaluit ex uſu olei lini recentis quotidie cum juſculo aſſumti.

OBSERVATIO XXXIV.

Scabies ſicca diuturna curata.

HEbræus quidam elephantiaſi obnoxius per XV. annos ſcabie ſicca laboraverat, repetito autem ſequentis decocti circa æquinoctia potu, & balnei aquæ dulcis uſu, poſtea à ſcabie immunis ſupervixit. Decoctum autem erat ſequens: ℞. Rad. cichor. tarax. plantag. ſcorzoner. a ℥ß. lapathi acuti ℥j. H. fragar. endiv. epatic. nobil. fumar. ad Mj. flor. nymph. alb. pap. errat. an. Mß. primul. ver. mund. ℥j. caric. pingu. num iiij. bacc. alkek. ſem. papav. alb. a. ʒij. Coq. in Aq. hordei ℔iiij. ad remant. ℔iij. colatura detur ad uſum. Poſt egreſſum è balneo linimentum tale inſerviebat Rec. Pulv. rad. helenii ʒij. irid. florent. ʒj. ♀ communis ℈iiij. Myrrhæ gr. ij. Miſc. cum butyri recent. ſ. q.

OBSERVATIO XXXV.

De Vetula ex aſſumpto Arſenico mortua.

ILla male ſibi conſcia gravioris pœnæ metu aſſumpto in carcere arſenici pulvere fatum ſibi acceleravit, in Theatrum Anatomicum Altdorfinum Norimbergâ transmiſſa ventriculi fundum quaſi exulceratum ſphaceloſum & nigricantem exhibuit, inteſtinis flatibus turgidiſſimis exiſtentibus, in veſicula fellea tres calculi ex laminis ſtriatis quaſi concreti numerabantur, magnitudine teſſeras luſorias mediocres æquantes. Cæterum univerſi corporis carnes ſpatio bidui tam cito putreſcebant, ut propter abominabilem fœtorem ſepulturæ illud committere coacti fuerimus.

Vid. Tab. VIII. Fig. IV.

OBSERVATIO XXXVI.

De fruſto ligni in pulmonibus cervi & acu ſutoria in vaccæ corde.

CUm An. 1674. juſſu Sereniſſimi Marchionis Brandenburgico-Onoldini in caſtello Kadolzburg cervum quatuordecim cornuum extremis inſignem menſe Septembri aperuiſſem, in ejus pulmonibus ſub jugulo fruſtum ligni aderat infixum membranaceo involuero obductum, ejus formæ & magnitudinis, uti adjectæ figuræ illud ex parte anteriori & poſteriori Fig. I. & II. oſtendunt, cinerei virideſcentis coloris. Huic obſervationi ſubnecto aliam, ſcil. de acus ſutoriæ fruſto ex corde vaccæ Menſe Martio 1686. Lauſæ extracto, quod hic Fig. III. delineari curavi, atque adhuc inter rariora reſervo.

Vid. Tab. X.

OBSERVATIO XXXVII.

De Coronis Serpentum.

VEndiderat ſat magno pretio Agyrta quidam coronas ſerpentum in aula cujusdam ſereniſſimi Principis, ſub ejusmodi forma conſpiciendas, prout addita figura oſtendit, quæ cum mihi oblatæ fuiſſent, fraudem mox detexi, atque dentes porcelli vulgo Sponſäulein dicti affirmans, cumque inſequente die porcellus aſſatus menſæ in prandio appoſitus eſſet, ex utraque maxilla molares dentes extractos coronis agyrtæ per omnia, ut ovum ovo, ſimillimos.

Vid. Tab. VIII. Fig. V.

OBSERVATIO XXXVIII.

De Arſenici gr. XII. aſſumtis.


AUri ſacra fames, & tanta nonnullis lucripetis audaculis eſt, ut ſcientes volenteſque vitam & valetudinem perniciei objicere, quam nummis carere malint. Eos autem inter per ali-

quot

ad pag. 464. Fig. 4.



ad pag. 462. Fig. 1.




ad pag. 462. Fig. 2.





ad pag. 462. Fig. 3.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

quot annos in Italia & Germania præcelluit Tarquinius Ryma Neapolitanus, vir ſatis robuſtus, nigra cæſarie conſpicuus & viribus ferox meritiſſimo ſuo venenivorax dicendus, is ſiquidem uti in aliis celebrioribus locis ita hic Altdorffi Menſe Martio 1662. Dominica Palmarum Electuarii ſui Orvietani adverſus venena ſingularem efficaciam populo concurrenti perſuaſurus, præſentibus Univerſitatis Rectore, Oppidi Præfecto, & Collegio noſtro medico, à pharmacopœo oblata arſenici albi gr. xij. cum vino albo aſſumebat, eoque facto mox non tantum venter in molem ſtupendam aſſurgebat, ſed & facies livida ac lurida reddebatur, oculi & cervix non ſine adſtantium terrore contorquebantur, atque ex adſtantibus ſartor juvenis perterritus in epilepſiam incidebat. Cum autem ejusdem miniſtri noſſent tempus nunc adeſſe aſſumendi Orvietani, hoc vino dilutum illius ori infundebant, atque ex ſuggeſtu ipſum in conclave proximi diverſorii ad caballum rubrum dicti deportabant, ubi aſſumpta mox evomebat lactei coloris menſuras binas civiles excedentia; epotaverat ſiquidem ante veneni aſſumtionem lactis pinguioris notabilem copiam, atque oleoſis hujus particulis veneni ſalina acria ſepticaque ſpicula ita involverat, quo minus deleteriam cauſticamque noxam exſerere potuerint, cum autem à me teſtimonium ſeriò petiiſſet, non aliud ipſi dedi, quam quod viderim eundem arſenici albi gr. xij. cum vino ebibiſſe & ex methodo mox per eam viam, per quam hauſerat, vomitorio ſuo revocaſſe, atque vim veneni ſic eluſiſſe. Huc confer. Excellentiſs. DD. J. J. Wepferi tr. de cicuta aquat. pr. 133. & Epiſtola J.F. Vertenbergeri Obſ. 39. Cent. 5. Fabr. Hildani annexa.

OBSERVATIO XXXIX.

De pila in avis undicolæ, & lapillis foliisque pini in ventriculo urogalli repertis.

ANno 1679. Menſe Novembri ex longe lateque patente piſcina vulgo Brandenburger dicta à Seren. Marchione Branden-

denburgico-Baruthino, Chriſtiano Erneſto mihi ad ſcrutinium anatomicum offerebatur avis undicola rarior cinerei coloris, ad magnitudinem & figuram ardeæ minoris accedens, pedibus longe alatis & ſquamatis prædita, in cujus ventriculo membranacea pila, molem ovi gallinacei adæquans, ex muſco & plumis pennarum convolutis compoſita continebatur. Lien in oblongas portiones diſtinctus inteſtino recto incumbebat, cui proxima quoq; bina inteſtina cœca. Epar in duos lobos diviſum, ſub quorum cavo veſicula fellis nigricans pylorum atro colore infecerat. Pancreas tenue & oblongum. Teſtes in lumbis phaſeolorum inſtar, quibus contiguæ binæ longæ lienis portiones. Pulmones floridi & laxi ex rutilantibus quaſi globulis compoſiti. Sanguis viſcidus. Roſtrum longum & acutiſſimum coloris incarnati. Pedum digiti in longum portracti & alati plantam ambulationi commodam nullam formabant, ſed perpetuæ natationi avem damnatam teſtabantur. Occaſione pilæ hic in ventriculo repertæ, liceat hic quoque memorare ſub tunica ventriculi urogalli interiore candicante facile ſeparabili & cartilaginea me inter lapillos plurimos folia pini varie implicita obſervâſſe, mediante quorum appreſſione & ſucco reſinoſo-nutricius prolectus atque ipſa in pultaceam ſubſtantiam poſtea contrita fuerunt.

Vid. Figura Tab. VIII. Fig. 3.

OBSERVATIO XL.

De ventriculo ranæ & ſerpentis.

ANno 1687. Philiater quidam ranam tumidam ac torpidam juxta piſcinam portæ Altdorfinæ inferiori proximam captavit & mox diſſecuit, atque talpam ſat magnam in ejus ventriculo invenit jam tabeſcentem, incertus an vivam rana talpam devoraverit, an mortuam? A filio autem meo natu majori, Joh. Mauricio Hoffmanno D. & Collega meo in Facultate medica gratiſſimo, accepi ranas menſe Majo ab eodem diſſe-

diſſectas ventriculum ſcarabæis majalibus ad crepaturam usque infarctum habuiſſe. Is ipſe etiam in hybernaculo botanico horti Medici aliquando ſerpentem diſſecuit prægrandem, in cujus ventriculo ranæ duæ videbantur, altera quidem in tabem prorſus reſoluta, altera adhuc à putrilagine libera, idque eo minus miratus ſum, cum alium ſerpentem bufonem vivum ovi gallinacei amplitudinem ventre ſuo æquantem intra oris rictum arripuiſſe propriis conſpexerim oculis, pedibus poſterioribus extremis tantum adhuc prominentibus: cum autem ab adventantibus quibusdam philiatris verbera ſerpens accepiſſet, reclinato ad dorſum capite, & maxilla inferiore quaſi retracta extremo conatu bufonem adhuc viventem rejiciebat.

Vid. Tab. X. Fig. 4.

OBSERVATIO XLI.

De Hæmorrhagiis variis.

IN ſcorbuticis ſanguine ichoreſcente abundantibus, non ſolum narium, ſed & aliarum partium hæmorrhagias ſubinde notavi. Ita è lumbis puellæ Balneatoris Andreæ Ruppii, è fronte recens nati pueruli, è crure adoleſcentis Norici Funccii usque ad animi deliquium, è fronte monetarii Norici, è vertice Chriſtinæ Haubneriæ ætatis anno 43. poſt menſium per ſexennium ſuppreſsionem, erumpentem ſanguinem vidi, nullo quamvis foramine manifeſto aut patulo apparente.

OBSERVATIO XLII.

De uſu ſingulari veſicatorii umbilico admoti.

FIlius unicus N. N. novem annorum ex inordinata victûs ratione torminibus ventris tam atrocibus affligebatur, ut non tantum deliraret, parentes & adſtantes pugnis & pedibus impeteret, ſed & epilepſiæ periculum frequens immineret. Cum autem interna quævis aſſumenda reſpueret, atque externa remedia, enemata, fomenta balneumque renueret, emplaſtrum

veſicatorium, (aliàs in ſubſultibus epilepticis multiplici & felici experientia à me probatum) umbilico imponi curavi, quod optimè profuit, ita ut dolor paulo poſt remiſerit, atque reliqua ſymptomata ſenſim evanuerint.

OBSERVATIO XLIII.

De Succi Beccabungæ ſ. Anagallidis aquaticæ virtute ſingulari.

COnqueſtus erat vir quinquaginta quatuor annorum ſcorbuticus de faucium & palati frigiditate tantùm non perpetua, quaſi ex glacie accumbente, & contra ſuperveniente nocturno tempore inſigni ardore ſub plantis pedum, quibus ſymptomatibus præ aliis remediis ſuccus Beccabungæ ſive Anagallidis aquaticæ cum vino expreſſus medelam dedit proficuam. Atque idem ſuccus ſolus cum vitello ovi mixtus pro ulceribus ſcorbuticis repurgandis ac conſolidandis ſæpius à me efficaciſſimus notatus eſt.

OBSERVATIO XLIV.

De Vetula ſexagenaria majori lactante.

ANno 1675. amici Solisbacenſes fide digniſsmi mihi retulerunt, vetulam 64. annorum infantem ex filia nepotem nutriendum ſuſcepiſſe, interea dum mater nutricis officio alibi fungebatur, & lacte ſuo nobilem alumnum alebat; cumque nepos tempore nocturno vix niſi mammarum ſuctione, quaſi defatigatus ſomnum caperet, frequenti ſuctione eundem ad mammas vetulæ chyloſum lacteumque ſuccum tam copioſum revocatum fuiſſe, ut ultra ſemeſtre avia iſthæc lactationi & nutritioni commodæ ſufficere potuerit.

OBSERVATIO XLV.

De tumore brachii poſt vulnus olecrani inſequente.

IN Studioſo quodam robuſto Bölcken dicto circa Olecranum cæſim vulnerato, non ſine ſynoviæ periculo, cum brachium valde

valde intumuiſſet, aqua vermicularis cum nitri pulvere remixta pro fomento calide adhibita nyćthimeri ſpatio omnem tumorem diſcuſsit, tonſoremque in admirationem rapuit.

OBSERVATIO XLVI.

De Cervæ gravidæ Anatome.

IN Cerva gravida trucidata hujusque diſſecto utero d. 19. & 20. Maii An. 1671. ſequentia obſervabantur. Bihorio poſt trucidationem per vaſorum thoracis dilacerationem ſanguinisque effuſionem factam, cum venter cervæ præſentibus Medicinæ Studioſis aperiretur, notatu digna erat uteri moles ampla membranacea transverſim protuberans. Inteſtinorum autem volumina ſurſum coacta cernebantur. Ubera turgidula ſub quatuor papillis glanduloſam maſſam flaveſcentem exhibebant. Poſt uteri cum veſica urinaria corrugata extractionem abdominis ventriculi aſſumptis diverſimode digeſtis, & inteſtina flatibus turgeſcebant, vaſorumque lacteorum veſtigia paſſim in meſenterio apparebant. Sub epatis cavo ductus felleus manifeſtus ad duodenum, ſed veſicula fellea nulla aderat. Lien lividus placentæque inſtar ferè rotundus. Renes phaſeolorum formam æmulabantur, in quorum interſtitiis glandularum multitudo. In pectoris cavo ob effuſum cruorem ductus lacteus thoracicus in ſenſus non occurrebat. In corde valvulæ xj. ampliſsimæ & robuſtæ. Exortus arteriæ aortæ in baſi cordis proximus arteriæ pulmonali durior quaſi cartilagineus tantùm notabatur, minimè oſſeus. In facie ſub canthis oculorum naſo proximis cavitas pro colligendis lacrymarum ſordibus ſinuoſa occurrebat. Atque hæc in cerva matre obiter obſervaſſe nobis ſufficiebat, majori deſiderio uteri & hinnuli videndi qui flagrabamus. Cujus minuendi occaſione ita jubente è Theatro botanico arci oppidanæ proximo anatomicum faciebamus, ac primo uterum generationis officinam, dein ipſum ventris fructum naturæ generantis officium

in plantarum hibernaculo perluſtrabamus. In utero pro fœtus incremento & contentorum copia humorum ampliſsimè diſtento, membranæ fundum conſtituentes vix dorſum cultri craſsitie ſua æquabant, cujus lateribus alias cohærentium teſticulorum veſtigium nullum, corpuſculum tamen utrobique gracile duriuſculum & tortuoſum videbatur. Collum uteri flaccidum facile binos digitos admittebat, ſed cervix rigidior ad digiti medii longitudinem mucagine lenta & flaveſcente repleta tam obſcurum orificium offerebat, ut plane usque ad cavitatem, imò in ipſa uteri cavitate impervium appareret, ſtilumque excipere immittendum renueret. Cohæſus uteri cum ſecundinis in novem vel decem locis per glandularum ſpongioſas diverſæ magnitudinis carnes, fungum tres vel quatuor digitos transverſos latum protuberantemque repræſentantes tam ſingularis notabatur, ut vaſa uteri candida pleraque ac nervea leviter ſinuoſam ipſarum ac pallidam cavitatem ſubirent: vaſorum vero umbilicalium extremitates elegantiſsimis plexibus convexitatem occuparent. Diſſectæ uterinæ glandulæ, minus vere cotyledones dictæ, è fibris recta à centro quaſi ad circumferentiam excurrentibus contextæ, ſpumoſum lentorem compreſſæ dabant, quarum ambitus carnei coloris, interiora autem candida erant. Utero ob lubricam ſuperficiem internam facile à ſecundinis ſeparabili remoto, ſecundinarum duplex membrana, craſsior chorion dicta, ac tenuior amnios vocata, in conſpectum veniebant, quæ in capacitate ſua mucaginem candidam, alicubi lacteſcentibus grandinibus ſive granulis variegatam, ſat copioſam continebant, à qua & tenuitate aquea & flavedine citrina membranaceo veluti ſucco oblongo allantoide credita, incluſa humiditas alia abundans facile diſcernebatur, urinæ quam ſimillima, ideoque excrementitia. Remotis membranis hinnulus fœminei ſexûs contractis cruribus conglobatus, tenuiſsimaque cute piloſa ſpadicea candidis maculis per dorſum ſubinde variegata viſum ſubibat, pede dextro antrorſum exporrecto, aurem dextram comprimens, quo

minus

minus de circumflua humiditate ſeſe aliquid inſinuare potuerit. Cujus umbilicale inteſtinulum, quatuor vaſa umbilicalia duriuſcula, mucagine pingui involuta continens, ad duorum digitorum craſſitiem & ſpithamæ longitudinem indiviſum turgeſcens tanti candoris erat, circaque exortum tam multis glanduloſis milii ac lentis magnitudinem vix ſuperantibus granulis lacteis variegatum, ut exſangue pronuntiare licuerit. Ore diducto mox dentes inciſores maxillæ inferioris octo aderant, molarium autem rudimenta tam in hac quam ſuperiori compreſſu digitorum cognoſcebantur. Oculorum ſplendidiſſimis bulbulis ſubjecta cavitas ſat profunda & fere triangula cineream ſuperficiem monſtrabat. In inguine quatuor papillis lentis magnitudinem præ ſe ferentibus granuloſæ glandulæ ſubſternebantur. Ungularum extrema attenuata ob candidam ex maceratione mollitiem cartilaginea erant. Ventre circa umbilicum aperto, vaſa umbilicalia tantum tria, vena ſcilicet unica ex ſingulari ſatque profundo epatis ſinu profecta, & binæ arteriæ ex iliacis aſſurgentes in cavo abdominis conſpiciebantur, ex quibus vena in ſuo per peritonæum tranſitu, ſuaque bifurcatione ibidem facta, valvulis quidem deſtituta, tam manifeſte tamen tamque valde impedita deprehendebatur, ut ſanguinem ex epate aliquoties vi adactum vix transmitteret. Poſt bifurcationem factam, altera propago venæ umbilicalis dextram, altera ſiniſtram arteriam umbilicalem comitabatur, tandemque omnes ad glandulas partim quinque dextras, dextræ uteri cavitati proximas, partim quinque ſiniſtras diſtrahebantur. Ex dictis autem glandulis minima ſiniſtra, quaſi abſumpta, minima dextra quaſi oris ſuctu lateretenus attenuata & pallida notabatur. In ventriculo majori mucago ſat copioſa candore & lentore mucagini ſecundinarum reſpondebat, indicio certiſſimo, hinnulum per os nutricium iſtum ſuccum admiſiſſe. Reliquorum vero ventriculorum, uti reticulati & folioſi ſuperficies interna pauco muco chyloſo, quemadmodum cavitas inteſtini duodeni bilioſo flaveſcente obducta erat. Du-

ctus ſelleus juxta exortum trunci venæ portæ ex epate brevis ad duodenum deſcendebat, in medio deſcenſu meatum pancreaticum exiguum admittens. Veſicula ſellea nulla aderat. Inteſtinum cœcum ſat longum meconio porraceo ſive praſino turgidum, rectum autem durioribus excernendis eodem colore transparentibus diſtentum conſpiciebatur, cui uterus incumbebat carnei coloris, fundo antrorſum verſus veſicam quaſi gemino protuberante, in cornua attenuatus contorta. Renes phaſeolorum inſtar ſed inæquali ſuperficie conſuetum locum occupabant. Epatis floridi tenera & lienis liventis, placentulæque inſtar ventriculo accumbentis conſtitutio erat. In thorace poſt retractum pericardium cordis longiuſculi conus ad pollicis craſsitiem attenuabatur, baſiſque per transverſum diſſecta non æqualem, cujusmodi fœtus ſolet, ventriculorum capacitatem ac parietum craſſitiem carnis majorem quam in dextro oſtendebat. Auriculæ æqualis magnitudinis atro-rubentes per foramen non tam ovale quam circulare membranaceumque impeditum ſibi contiguæ erant. Ex arteria pulmonali paulo poſt è baſi cordis exortum canalis ad aortam protendebatur, libera cavitate è dextro ventriculo ad ipſam qui procul dubio ſanguinem derivaverat. Ad dorſum epiglottidis muſculi attollentis corpuſculum hactenus in aliis brutis non obveniebat.

OBSERVATIO XLVII.

De Lutra diſſecta.

IN Lutra maſculo ſequentia obſervabantur. Pinguedo corporis multa viſcida. Ventriculus parvus à diaphragmate ad epar obliquabatur. Moles epatis utrumque hypochondrium occupabat in ſeptem lobos diſtincta. Lien ventriculum magnitudine ſuperabat. Renes atro-rubentes ex multis glandulis compacti. Ureteres ex ima parte renum quaſi ſeparati à vaſis emulgentibus deſcendere videbantur, re tamen vera in

centro

centro ortum trahebant. Pori biliarii tres ad duodenum ferebantur. Pancreatis candidi & ampli ductus vix per totum uber glanduloſum conſpicuus. Inteſtinum cœcum nullum. Omentum duplicatum ad epar & lienem protenſum ſive expanſum. Valvulæ in vena portæ nullæ. Rami meſenterici propago inſignis ad inteſtinum rectum. Inteſtina craſſa à tenuibus duritie contentorum tantum diſcernebantur. Vena umbilicalis nervulum repræſentabat. Receptaculum chyli aortæ accumbebat. Penis oſſiculo præditus, glans quaſi bifida. Pulmones paſſim adnati. Mediaſtinum tenuiſſimum. Aqua pericardii nulla. Cauda inſignis craſsitiei & roboris multa pinguedine ſuffuſa. Oſsiculum claviculare nullum notabatur. Reliqua erant vulgaria. Ejus ſceleton in Theatro Anatomico Altdorffino conſpicuum aſſervatur.

OBSERVATIO XLVIII.

De urinæ potu lethifero.

AGnellus trimeſtris cum pueris ludens urinam humanam in dormitorio poſtquam vix deguſtaſſet, motibus convulſivis poſt trihorium lethalibus tentari cœpit, & mox dein occubuit.

OBSERVATIO XLIX.

Mors repentina ex impetigine retropulſa.

FAber quidam lignarius poſt impetiginem ſub axilla ſiniſtra contra interdictum meum à balneatore pulverum & emplaſtrorum ſtypticorum uſu conſolidatam, lætus lubensque in diluculo ſurgens, veſicamque exonerans paulo poſt improviſa & repentina morte interiit. Non abſimile fatum habuit vidua quædam, quæ ex ulcere cruris antiquo conſolidato in templo apoplectica concidit.

OBSERVATIO L.

De Fulica diſſecta.

IN Fulica vulgo Waſſer-Huhn/ & ob protuberantiam candidam ſupra nares conſpicuam Bläßling dicta, cultro anato-

mico

mico ſubjecta ſequentia oculorum obtutui ſubjiciebantur. Veſicula bilis oblonga epati per vas quoddam connexa, inferius ductum ad vicinum inteſtinum exporrigebat circa ſecundam convolutionem. Bilis ipſa viridis & craſſa compreſſa in epar molle & rubicundum retrocedebat. Ex hoc tamen alius ductus priorem comitabatur loco epatici choledochi deficientis, cui pancreaticus ſe ſocium jungebat. Ingluvies nulla aderat. Oeſophagi finem copioſi nervi exterius occupabant. Ventriculi cavitas innumeris lapillis referta. Glandula lienaris ſat conſpicua epati per venam amplam connectebatur. Inteſtinis longis ac nervoſis lumbricos terreſtres æmulantibus exiguum cæcum appoſitum erat, muco plenum, digiti minimi tertiam partem vix longitudine adæquans. Ventriculus depreſſæ rotunditatis carnem monſtrabat duram. Inteſtino recto bina alia cæca gracilia viride excrementum continentia adhærebant, ad hujus capacitatem derivanda. Pulmones valde rari ac poroſi. Reni ſiniſtro ovarium incumbebat. In cordis ventriculo dextro venæ cavæ pro valvulis expanſio carnoſa, reliquis vaſis valvulæ vulgares erant. Cor dactyli fructum æmulabatur. Pedum articuli alati pro faciliori natatu, ungues vero pro firmiore apprehenſione acutiſsimi.

Dn. D. CHRISTIANI HENRICI ERNDELII,

Seren. Reg. Majeſt. Polon. &c. Archiatri, &c.

ITER MEDICUM GRODNENSE.

CUM tempus illud appropinquaret, quo Comitia, vigore Tractatus Warſavienſis ultimi, Grodnæ celebranda, auſpicanda eſſent, Sereniſs. Poloniar. Rex cum tota Aula, adulto jam *Septembri Menſe*, *Anni 1718.* Warſaviâ in Lithuaniam iter direxit, per Wiskovam, Epiſcopi Plocenſis ſedem, Lomſenſem Capitaneatum, Tykocinium & Kniſſinam, tractum faciens: in quo itineris tractu pleraque, quæ transivimus loca maxime devaſtata atque inculta offendimus, ſi Tykocinium & Kniſſinam excipias. Et *Tykocinium* quidem ad fluvium Narew ſitum, & à ſolis fere Hebræis, poſt ultimam conflagrationem reædificatum & jam habitatum, arcem habet, propter circumjacentes paludes, fere inexpugnabilem, & ex ultimo cum Suecis bello, hoc nomine, ſatis notam: *Kniſſina* autem à Chriſtianis quidem habitata, ſed minus ædificata & culta priori, à Sigismundi Auguſti Regis morte, apud Poloniæ Hiſtoriæ Scriptores, famoſa maximè eſt. Hic *Sigismundus Auguſtus*, qui etiam Sigismundus II. in Hiſtor. Polon. appellatur, filius fuit unicus Sigismundi I. Magni illius & glorioſi Regis, ex Sforza Buona Ducis Mediol. filia natus, quem ſi Polonorum Salomonem dixeris, non errabis: ſapiens enim, juſtus, bonarum artium & ſtudiorum Patronus, & doctus ſupra Principum conſuetudinem fuit, quo de vel ſolæ Epiſtolæ teſtari poſſunt, quas non ita pridem Illuſtris noſter Menckenius ex ſcriniis Domini de Huyſſen edidit, ita, ut non immerito mire-

tur in præfatione ad dictas epiſtolas Dn. Menckenius, quî factum ſit, quod tantus Rex, paucos vel nullos vitæ ſuæ ſcriptores invenerit: Nam ſi unici *Stanislai Orichovii Annales*, & *Gratianum in vita Commendoni Cardinalis*, (qui tamen indirecte ſaltem hiſtoriam ejus attingit, & in perſtringendis vitiis largiſſimus, in meritis ejus laudibus parciſsimus fuit) exceperis, fruſtra apud alios de geſtis ejus aliquid quæres. Hoc unico maculam purpuræ ſuæ, & labem valetudini aſperſit optimus Princeps, quod nimis Veneri & voluptatibus fuerit addictus, maxime poſt Barbaræ Radziviliæ, ſecundæ conjugis, quam inſolito & conſtantiſsimo amore ad mortem & tumbam usque proſecutus eſt, obitum, & contractum, cum primæ conjugis ſorore, Catharina, Ferdinandi Cæſaris filia, infelix matrimonium, utpote quam, propter caduci affectum, in venereis amplexibus ipſi familiarem, averſatus eſt maximè, & ex hac cauſa inde adduci ſibi juſsit concubinas, quibuscum conjunctiſsimè vixit, & adeò ſe abutendum ipſis, præcipue autem ultimæ Giſankæ appellatæ & matri ejus permiſit, ut commoda, honores, publica privataque munera, niſi qui fidem his mulieribus obligaſſent, ab ipſo non acceperint. Hac ratione & vivendi genere in tabificum & lentum morbum incidit Rex, quôcum per triennium fere colluctatus, nihil tamen interea temporis à quotidianis amplexibus ſibi temperavit, ſpretis domeſticorum ac Medicorum precibus monitisque. Et cum Warſaviâ Kniſſinam delatus, defeſſa membra ingraveſcente morbo ne tollere quidem de lecto poſſet, tamen raro atque ægrè admiſſa ſorore, cæteris omnibus excluſis, curam valetudinis propriæ dictis mulierculis commiſit, & ſagam anum Vilnâ adductam, veneficio cantionibusque ſalutem promittentem adhibuit, nugatoriis autem hiſce artibus nihil juvatus, ipſis Nonis Julii, Anni 1573. diem ſuum obiit Kniſsinæ. Ex quo loco autem corpus defuncti Regis mox Tykocinium delatum, atque ibidem, ad ſepulturam usque Cracoviæ poſtmodum celebratam, aſſervatum fuit. Quantum theſaurum in gemmis, aurô, argento,

aliaque magnifica ſuppellectili reliquerit Sigismundus Auguſtus, ex teſtamento illo, quod Warſaviæ mox ante diſceſſum Kniſsinam condidit, referente *Heidenſteinio de rebus Polonicis*, conſtare poteſt: aſt quàm infide poſt mortem, à præcipuis aulæ miniſtris & præſentibus concubinis cum relictis rebus actum fuerit, ex ejusdem *Heidenſteinii* confeſsione & *Swientoslaï Orelii Interregno Poloniæ Ms.* eluceſcit, ſiquidem poſt mortem Regis, nec tantum inventum fuit paratæ pecuniæ, ut linteo, quo corpus Regium involveretur, coëmendo, ſufficeret. Inſtituta poſtmodum juſſu Reipublicæ per deputatos inquiſitio, partim ſpoliati ærarii, partim veneficiorum, quibus Regem extinctum tunc putabant, cauſa, fuit, aſt invalido ſucceſſu, & renitente tunc temporis Regni Cancellario, prout hæc omnia fuſe explicantur in rariſsimo, quod *Dn. Joh. Burckard. Menckenius* Lipſiæ poſsidet *Mſto* cui titulus: *Interregni Poloniæ Liber, ad Petrum Czarnkovium Caſtellanum Poſnanienſem, ſcriptus Anno Chriſti MDLXXIII. Swientoslao Orelio de Bozejewice, Equite Polono Autore.* Et hæc occaſione Kniſſinæ, quod ſatis quidem in longum latumque extenſum, aſt vile admodum eſt oppidum, ſolâ tanti Regis morte & obitu nobilitatum. Kniſsinâ per regias Oeconomias & villas venatorias, *Grodnam*, in ipſa ſancti Michaelis Archangeli vigiliâ venimus, quam urbem, ſi Palatiola recentiſsime extructa ſpectes, pro nova haberes colonia, ſi Hebræorum miſeras & laceras domunculas, abjectiſſimum nominares angulum. Templa quidem, monaſteria & arx cum adjacente lapideo ponte ab uno colle ad alterum ducente, & à Sigismundo III. extructo, à longinquo eximium promittunt locum, aſt ſtatim ac ſuperato Memeſi fluvio, intrabis, loci ſpurcities, juſtum movebit faſtidium ac horrorem, ſiquidem & ipſa arx, inſigne quondam opus, in ruinis fere jacet ſupra dimidiam partem: reſtaurata olim hæc, & in ſpectabilem formam erecta *à Stephano Bathoreo Rege* fuit, qui maximam regiminis ſui partem hic transegit, vel ob venationis commoditatem, vel, prout qui-

dam ex Hiſtoricis notant, ut longius abeſſet ab Anna uxore ſua edentula, quam ſexageſimo ætatis anno pro virgine duxit, alio modo corona & ſceptris potiri nequiens. Mortuus etiam in hac ipſa arce, die 13. Septembr. anni 1586. eſt Stephanus Bathoreus, & quia ætatem juſtam haud attigit, quinquageſimo quarto ætatis anno ſcilicet extinctus, varia de infelici & præmaturo ejus obitu, ſparſa fuerunt judicia: *Heidenſtein* ſcribit, ſe vidiſſe literas Ducis Pruſſiæ ad Regem paulo ante mortem datas, ipſum, ut à Medicis ſibi caveret, hortantes; *Nenkebanerg* dicit epilepticis paroxysmis proſtratum; *Guagninus* apoplexiâ extinctum, & non adminiſtratis SS. Sacramentis è medio ſublatum fuiſſe aſſerit in *Chronico Regum Poloniæ*: in alio quodam tractatu Germanico, *Polonia ſuſpicans* appellato, Medicorum negligentia mortuum eſſe, legiſſe memini, ne quis ſcilicet moriatur, ſine culpa Medici. *Hoppius* in ſchediasmate de *Scriptoribus Hiſtor. Polon.* varia allegat ſcripta, de ſubita & inopinata Regis morte, tunc temporis pro & contra edita. In hac igitur urbe per duos & quod excurrit menſes, degimus, quo tempore per ſex ſeptimanas continuas comitia, non ſine magno fervore & partium contentione agebantur, de quibus, ut publicis negotiis, nihil attinet hic dicere, cum noſtra mens ſit atque intentio, brevibus ſaltem indicare, quid in Medicis mihi, ratione morborum & aliorum rariorum contingentium hic contigerit obſervare.

Et ſicuti antiquiſſima Hippocratis obſervatione, ex aëre & aquis potiſſimum judicanda locorum ſalubritas, ita non immerito hic etiam primo loco monendum, ſituationem Grodnæ ita eſſe comparatam, ut optima quævis ratione ſalubritatis promittat. Urbs enim ipſa, prout jam paulo ante monuimus, elevato loco & collibus inædificata eſt, quam Memeſis fluvius continuo & ſatis vivo torrente alluit: circumcirca autem, ad duorum milliarium ambitum & ultra, dumeta, ſylvæ, colles, rivi, fertiliſsimi agri, prata, commendant provinciam: Aquæ ex fluvio ſatis dulces, ex fontibus autem non æque, niſi ſcaturigines

rigines in collibus ſalientes adeas, quæ limpidiſsimam, puram & ſalubrem ſuppeditant lympham. Et licet plerique Hebræorum Grodnæ incolæ, lippientes habeant oculos, hoc tamen malum Hebræis quaſi hæreditarium, immoderato potius allii & fumoſæ cepæ uſui, quam aëris impuritati adſcribendum eſſe exiſtimo. Maximus equidem cæcorum, inter mendicos innumeros, qui tunc compita & vias publicas Grodnæ occupabant, tunc erat numerus, aſt qui ex aliis locis huc confluxerant, cæcitatemque per abſciſſam Plicam potiſsimum ſibi contraxerant. Nam in reliquis Lithuaniæ locis Plica non aliter ac in Polonia prope Viſtulam, endemium etiam eſt malum, & aliquando adeo duriter afficit miſeros, ut intolerabiles artuum & ventris dolores, ad inſaniam usque furentes, cephalæas pertinaciſsimas, & alia graviora mala habeat comites, qualem in fœmina nobili vidit & obſervavit *Dn. D. Flœricke Principis de Radzivil, ſupremi Lithuaniæ Cancellarii Medicus ordinarius*, quinque ulnas fere longam, & ægrotam adeo male habentem, ut jam per aliquot annos lecto affixa hæreat, & præ acerbiſsimis doloribus, homines è longinquo accedentes ſentiat, eorumque appropinquationem tollerare fere nequeat, & quamvis in hoc ſubjecto, plures forte affectus ſimul concurrant & complicentur, communiter tamen Plicæ miasma adeo acre eſt, ut nervos vel membranas afficiens, ſævos excitet dolores, & communiter poſt reſectionem intempeſtivam, nervos opticos feriat, cæcitatemque inducat. Quæ verò miasmatis hujus vel humoris Plicam producentis natura ſit, nemo hactenus ſatis explicavit: inter conjecturas mihi potiſsimum arridet *Sennerti* noſtri ſententia & comparatio illa, quam inter Oſteocollam, callos in oſsibus fractis generantem, & aquas paludoſas impuras Poloniæ & Lithuaniæ frequentes, Plicam cauſantes & foventes, ſuppeditat in diſcurſu peculiari *L. V. Part. III. Sect. II. cap. 9. Praxeos ſuæ*, de Plica Polonica.

Adoriebatur mox poſt noſtrum in Lithuania adventum quosdam ex noſtris *Dyſentericus affectus*, quo correpti langue-

bant cum omnimoda appetitus proſtratione, nauſea, amarore oris, cephalalgia enormi, æſtu febrili per totum corpus diffuſo, quæ ſymptomata à principio ad finem morbi diarrhœâ comitabantur incompeſcibili, vires maxime deprædante & tandem colliquativa. In hac tali morbi conſtitutione, ordinaria in diarrhœa conſueta medendi methodus minus conducebat: neque enim Ipecacuanha hic, nec adſtringentia cum opiatis mixta, Mithridatium, Bolaria, per ſe data quicquam valebant; deveniendum erat ad venæſectionem, minus conſuetum in alvi fluxu remedium, utpote quam pulſus plenus & frequens cum pertinaciſſima cephalalgia, æſtu & inquietudine urgenter indicabant, præmiſsa hac, ſudorifera alexipharmaca cum acidis, temperata, propter inſignem humorum orgasmum, omne fere punctum ferebant, his autem calidioribus, Theriacâ puta. Mithridatio, Diaſcordio per ſe, vel etiam cum bolaribus mixtis, datis, malum exacerbabatur certo certius cum præſentiſſimo decumbentium periculo, quos inter nonum vel undecimum diem mors abripiebat, niſi in tempore convenientibus tractabantur remediis: ita memini cuidam ex talibus ter venam fuiſſe inciſam, in brachio ſemel & bis ſub lingua, inſigni cum euphoria, & inſequente, intra quatuordecim dies, perfecta convaleſcentia; ex quibus colligere potes, non penitus nullam quidem in hoc malo fuiſſe malignitatem, maxime autem in ſanguinis maſſæ orgasmo conſtitiſſe, quo poſito, & formatis hinc ad ventriculi & inteſtinorum glandulas, per cœliacam & meſentericam arteriam congeſtionibus, talis ſequebatur alvi fluxus, qui in colliquationem acutam tandem degenerabat. Cauſam procatarcticam pro parte in ſubitaneam aëris & alimentorum mutationem referendam eſſe ſuſpicabar: nam, ut de cereviſia nihil dicam, quæ longe pinguior & ſaturatior ordinaria Polonica, in plerisque Lithuaniæ hujus tractus locis eſt, uulſum grato & dulci ſapore alliciens bibaculos, accuſandum vel plurimum fuiſſe exiſtimo, cujus inebriandi, fermentandi & obſtructiones pariendi vires cui notæ ſunt, huic meæ

opinioni

opinioni non erit contrarius. Ingens autem mellis in Lithuania proventus facit, ut *Mulſum* æquali fere cum cereviſia pretio veniat: ſponte enim ſua per omnes ſylvas, ad 20. & plura milliaria extenſas alicubi invenies, fuſa apum examina arboribus inſident, & ſicubi cavi aliquid repererint, ſpargunt mella, quin rimis quoque terræ hiatibus ſe condunt, paſſimque vim ceræ mellisque fundunt; advenientia examina nam mos apibus ſe invicem pollere, acribusque præliis veluti juſtis aciebus inter ſe concurrere) ruricolæ prohibent, quo veteribus veluti hæreditariæ ſedes maneant; hic unus cultus illis habetur, plurimum mellis irrepertum neglectumque perit, itemque ab urſis aufertur & devoratur. Optimum autem mel ab apibus colligitur in illis locis, ubi copioſæ in ſylvis tiliæ, ex floribus hujus arboris, & mulſum inde paratum vernacula lingua *Lipiec* appellatur, omnibus aliis mulſi ſpeciebus præferendum, rarius illo tempore, quando tiliæ propter aëris inclementiam, non bene aut parcius florent. Hæc occaſione mulſi: De cætero, ut ad cauſas mali noſtri epidemici redeam, neſcio, an præcedens æſtatis hujus anni æſtus & ſiccitas inconſueta, hic non aliquid conferre potuerit, quibus humorum noſtrorum maſſa non ſaltem extraordinarie rarefiendo alteratur, & expanditur, ſed etiam ſulphure in eadem aucto, ad orgasmos incompeſcibiles diſponitur, quo ſuppoſito, cæteris paribus, & niſi peculiaris malignitas accedat, in plerisque autumnalibus morbis curandis, venæſectionem æque ac in vernalibus, neceſſariam eſſe, non dubito. Qua occaſione, dum de venæſectionis opportuna utilitate ſermo eſt, non poſſum quin mentionem injiciam *Abbatis cujusdam, ex præcipua quadam Nobilitatis Polonicæ familia oriundi*, qui tunc negotiis publicis invigilans, in comitiis præſens erat, hominis robuſti, molliter & voluptuoſe viventis, diætæ lautiori & vinoſæ aſſueti, temperamenti ſummè cholerici, quod vel per ſolam quam in morbo ſuo monſtravit impatientiam, quaque ſibi, Medico & adſtantibus maximam creabat moleſtiam, conſtare potuiſſet, licet de vivendi

ejus

ejus more aliquis nullam habuiſſet notitiam. Hic fluxui hæmorrhoidali aſſuetus, cum tubercula circa inteſtini recti exitum obſervaret, incidi ſibi ipſa ſcalpello mediante, per Chirurgum fecit: aſt pauco ſanguine vel nullo hinc evacuato, paulo poſt ſubitò horrore ac levi æſtu febrili, atque inſequenti die ſtatim ingenti cardialgia & alvi obſtructione corripitur, contra quæ ſymptomata, præcipuè autem cardialgiam ad ſuffocationem fere urgentem, primo topicis, partim pro fovendo ventriculo & demulcendo ejusdem ſpasmo, partim clyſteribus applicatis, pro emolliendis fecibus induratis, ac deliniendа inteſtini recti ſpasmodica contractione, vocatus in auxilium & conſilium pugnavi, data poſtmodum pro nocte ex Diaſcordi. Frac. & Mithridatio parata mixtura, quibus adminiſtratis, noctem ſatis quietam habuit: altera die, cum ex præconcepta opinione, omne malum in Plicam, quam ſibi ante ſemeſtre reſcindi curaverat, referret, & hoc nomine omnem internum medicamentorum uſum detrectaret, nihil actum fuit, usque ad veſperam, quo tempore, cum fortior paroxysmus febrilis ipſum, una cum moleſtiſſima cardialgia invaderent, clyſteres repetebantur, oblatis ſimul convenientibus medicamentis internis, aſt quæ pertinaciſsimè rejiciebat: interim omnia ſymptomata per noctem usque adeo increſcebant, ut ſequenti die cum vehementi cephalalgia, æſtu ac ſiti, delirare inciperet: in tali rerum ſtatu, conſilium ex arena capiendum erat, & quamvis Plica, quam actu denuo in capite hærentem habebat, & vomitus vel maxime contra-indicarent, tamen conſentiente atque inſtante *Illuſtri noſtro D. D. Heuchero, Conſiliario & Archiatro Regio*, ſimul in conſilium vocato, venæſectio in brachio inſtituebatur, qua quidem ſanguis extractus, poſt dimidiam horam, inſtar lienis elutriati, parenchymaticus, cum pauciſſima in fundo purpura eaque atra, apparebat. Poſt venæſectionem primò omnia ſtatim in pejus ruere videbantur: ſudor frigidus, anxietates, vomitus, pulſus vix digitum feriens, per horam unam vel alteram durantia, interitum minari apparebant,

rebant, quibus tamen ſuperatis, mox ſuavis ſequebatur ſomnus, quo per horas aliquot protracto omnia ſymptomata adeo ſimul & ſemel ſublata fuerunt, ut, cum per triduum & ultra, nihil fere cibi aſſumere potuerit, jam ſponte ſua alimenta exposcens, adeo veſceretur oblatis bene, quaſi nunquam ægrotaſſet. Ex qua morbi hiſtoria & curatione didici, quantum utilitatis venæſectio ſuo tempore inſtituta ferat, & quantam præcautionem Medicus habere debeat, ne obſervatis nimis religioſe minoris momenti contraindicantibus, ab heroicis remediis deterreatur. Ex poſtfacto ſcilicet potiſsimum eluceſcebat, delirium non tam à malignitate morbi, quàm orgasmo ſanguinis motum fuiſſe, & congeſtionem ſanguinis ad ventriculum cardialgiæ exquiſitiſſimæ & pertinaci vomitioni occaſionem maximè dediſſe, quâ congeſtione per venæſectionem ſublata, inflammatio jam incipiens reſoluta fuit in tempore; illam autem in fieri fuiſſe, vel ſolus ſanguis per venam miſſus teſtari poterat, utpote qui, ſi lenta pituita obtectus & purpura orbatus, de inflammatione in corpore præſente, certiſſimum ſemper præbet ſignum; talis enim & in pleuriticis, & in omnibus inflamatoriis morbis perpetuo fere obſervatur.

Sporadicæ etiam *Ophthalmiæ* inter noſtros illo tempore obſervatæ, quæ ſive ex fumoſis illis caſulis, quas in itinere frequentavimus, ſive ab acri boreali vento, qui ab initio Grodnæ conſtanter ſpirabat, contraxerint, aliter non curatæ fuerunt, quam vulgari methodo, adhibitis bis vel ter fortioribus purgantibus, interpoſitis diluentibus infuſis, & paucis diaphoreticorum cum ſale volatili quodam acuatorum doſibus, non omiſſis topicis ex tutia, Sief alb. camphor. compoſitis & cum aquis humectantibus temperatis.

Pertinaciores erant apud nonnullos *Arthritides*, qualis ad inſaniam fere exagitans exercebat etiam *Equitem quendam Lithuanum, qui diſſidentium negotia tractabat in Comitiis:* occupabat autem in hoc ſubjecto articulationem humeri cum ſcapula exquiſitiſſimo dolore per aliquot dies. & noctes conti-

nuo ſæviente, & omnem quietem auferente, qui tamen, uſurpatis bis vel ter diaphoreticis, ex cinnabar. antim. bezoartico miner. ſale volat. viperar. & Laudan. opiati tantillo mixtis, præſentiſſimam ferebant opem, ita ut nondum finito octiduo, exire iterum potuerit, cum antea, huic malo aſſuetus, aliquoties per duas vel tres ſeptimanas his detentus fuerit doloribus, ſingulis fere annis redeuntibus. Fruſtraneum in hoc ſubjecto notavi *veſicatoriorum uſum*, in tantum quidem, ut nec leviter ſaltem læſam ab applicatis ipſis cuticulam viderim, licet ter ad minimum recentia, & cantharidibus in dupla doſi acuata adhiberentur; erat autem arthriticus hic, corporis habitu non macilento vel arido, ſed ſatis toroſo & ſucci pleno, ex qua ratione eò magis miranda irrita cantharidum efficacia: fortaſſis autem in humoribus hujus ſubjecti, parcior minusque acris alcalini ſalis proventus, ac lenta nimisque viſcida craſis fuit; ſiquidem in pituitoſis & melancholicis veſicatoria communiter minus ſenſibilem effectum producere obſervantur.

Hæc de epidemiis & ſporadicis inter noſtros aliosque advenas morbis: reſtat, ut de rarioribus quibusdam affectibus, quos Grodnæ obſervare licuit, aliquid commemorem. Et inter rariora quidem omnino numerandum exiſtimo affectum, quo ex *Omenti induratione* laborabat *nobilis cujusdam, Domini Boguſouski Lithuani uxor*: Enata ipſi ante aliquot annos fuerat in capite Plica, qua reſecta, atroces capitis dolores, & his iterum ſilentibus, cataracta in oculo ſiniſtro generata, aſt nondum ſatis ſubacto & victo Plicæ per hanc ad oculum metaſtaſin veneno, glandulas infimi ventris occupaverat malum, cum preſſione ſanguinis hæmorrhoidali, & natis inde ad inteſtini recti finem tuberculis, quæ applicatis hirudinibus etiam aperire curaverat non ſemel, continuantibus nihilominus ventris inflationibus & contractionibus muſculorum ſpasmodicis, quibus per tempus aliquod perpeſſis, ſucceſſit ſenſim, ſenſimque in his locis induratio, quæ brevi in tantum accrevit, ut jam extraordinaria per totum infimum ven-

trem

trem æqualiter expanſa durities ad ſenſum & tactum talis, quaſi lapidem vel tympanum expanſum tangeres, appareret: conſtante interim ipſi appetitu, digeſtione, alvi officio, ſomno naturali, menſium fluxu ordinario, ita, ut nil niſi inconſueta iſta ventris durities & gravitas ipſi moleſta eſſet. Explicatio & conſilium ſupra hunc affectum, quod à me tunc expetebat, ſequens erat: Affectus magnificæ Dominæ ex Plica & hæ„morrhoidali paſſione mixtus eſt: ſiquidem quod primum „attinet, non ſolum actu Plicam explicatam in capite habet, „ſed etiam ex hac antea reſecta, cataractam oculi dextri con„traxit, quæ cum continuis, licet obtuſis capitis doloribus co„mitatur: alterum malum quod concernit, hæmorrhoidalem „paſſionem puta, patet illa non ſolum ex tuberculis circa ani „egreſſum quondam enatis, ſed etiam ex fluxu ſanguinis, quem „applicatis aliquoties hirudinibus concitari ſibi paſſa fuit. Et „quia ante artificialem hunc hæmorrhoidum fluxum, plura paſſa „fuit circa matricem mala, à preſſione ſanguinis hæmorrhoi„dali verſus inferiora, aſt fruſtranea, fieri aliter non potuit, quàm „ut ſtagnante hinc inde humore feculento, Plicæ miasmate „ſimul infecto, fibræ & glandulæ partium infimi ventris infar„ctæ, conſtipatæ & induratæ fuerint. Et hinc emerſit extra„ordinaria illa per totum infimum ventrem æqualiter expanſa „durities, quæ ægrotanti non ſolum valde moleſta, ſed etiam „non ſine ratione maximè ſuſpecta eſt. Si autem mentem „meam de hac ipſa duritie clarius explicare debeo, vide„tur mihi ſedem ſuam præcipuè in illo abdominis viſcere ha„bere, quod ab Anatomicis omentum appellatur. Licet enim „rarior ſit obſervatu hujus viſceris induratio, quia tamen æque „ac aliæ corporis partes, vaſculis, glandulis & fibris inſtructum „eſt, tali corruptioni & vitio etiam obnoxium eſſe, nil impli„cat. Siquidem de cætero nullum fere ſymptomata allegare „poteſt magnif. Domina, quod viſcera nobiliora, hepar nimi„rum, lienem, aut pancreas &c. affecta eſſe demonſtret: nec „uterum obſtructione ſcirrhoſa aut ſimili malo laborare, con-

„ſtans & ordinarius menſium apud ipſam fluxus patefacit. „Poſita igitur hac tali omenti induratione, quæritur, qua ra„tione & modo ipſi medendum ſit? tibi, reſponſionis loco, fa„tendum omnino ingenuè, prudentem & expertum Medi„cum, realem & perfectam hujus mali curationem nunquam „promittere poſſe. Nihil enim hic curæ reliquum erit, quàm „convenientibus medicamentis, galenicis potius, quàm che„micis, præcavere, ne induratio hæc ulterius ſerpat, & propter „vicinitatem, glandulas meſaraicas, tandemque ipſum hepatis „& lienis parenchyma corrumpat. Ratione Plicæ autem, ſi„mul eò ſcopum medicationis dirigere, ut alter oculus ſalvus „adhuc conſervetur, & miasma illud malignum ſpecificum, per „diaphoretica & alexipharmaca appropriata, ad conſueta loca „excretoria, quantum poſſibile derivetur. Longe adhuc rarior & vix ſibi ſimilem habens eſt ſequens *Illuſtriſſimæ cujusdam perſonæ 28. annorum, ſexus ſequioris affectus*, quem prout ille tunc ab illuſtri quodam Medico literis mandatus pro communicatione cum aliis Medicis fuit, hic referre operæ pretium erit: „Per novem integros annos matrona hæc „cum quodam ex primis Lithuaniæ Proceribus in matrimonio „vivit, & præter tres abortus, quinque infantum mater facta „fuit, qui autem omnes, excepto unico filio duorum tunc an„norum, debili & infirmo, deceſſerunt præmatura morte. „Ab illo tempore, quo virgini adhuc prima vice menſtrua eru„pere, nunquam regulariter poſtea illa fluxerunt. Interea uno „ante initum matrimonium anno ipſi accidit caſus ſingularis, „quod in templo in genua procumbens, & ex improviſo à Sa„cerdote pacis, uti vocare ſolent, præſentatione, perterrita, „poſtquam exoſculata ipſam fuiſſet, ſubito ſurgens, violentiam „ſibimet ipſi inter ſurgendum feciſſe putaverit *in crure ſiniſtro, „utpote in cujus medio, duarum palmarum diſtantia ab ingui„ne, tunc ipſi erupit nodulus piſi magnitudine*, qui ſubinde do„luit, inſtantibus præſertim menſibus, vel adhuc magis, iisdem „ſuppreſſis. Neglectum interim fuit hoc ipſum accidens, par-

tim,

„tim, quod non magno ipſi eſſet incommodo, partim, quod „plurimi putaverint, inito Matrimonio, ſua ſponte ceſſaturum „eſſe malum. Enimvero eventus docuit, matrimonium nihil „levaminis attuliſſe. Utut enim per illud tempus, quo cum Ill. „marito vivit, quamdiu gravida non fuit, menſesque iuterfluxe-„runt, parum vel nihil incommodi ſenſerit, ut & ſaltare ſine „dolore potuerit, & munia ſua rite obire, tamen mox atque „menſes ſubſtiterunt, aut gravida facta fuit, dolores ſtatim in „affecta parte furere iterum ceperunt, & magis magisque ex-„acerbari, donec exoptatus catameniorum fluxus iterum redie-„rit. Quod conditionem ipſius tuberculi attinet, ita compa-„ratum eſt, ut in obtuſum promineat, magnitudine minoris „nucis avellanæ, in baſi autem, ad monetæ iſtius, quam Scho-„ſtack Poloni appellare ſolent, latitudinem usque ſe expandat; „durum de cætero eſt, nec tactui cedens, radices agere vide-„tur profundas, & mox ac vel leviter tangitur, dolorificum; „cum dolores non urgent, color cutis, qui illud tegit, non mu-„tatus à naturali, aſt doloris tempore color ſuperficiei ex ru-„bicundo in lividum vergit. Quod dolorem ipſum attinet, „eſt ille, cum menſes bene ſuccedunt, adeo levis & tolerabilis, „ut de eo ferè plane non conqueratur, at mox atque menſium „adeſt ſuppreſſio, adeo ille ſævire incipit, ut ferendo illi vix „parem ſe credat: nam præterquam quod illam & pungen-„do & mordendo, & carbonis candentis adinſtar urendo acer-„biſſime excruciet, per totum mox etiam vagatur corpus, & „uterum imprimis præcordiaque aggreditur, imo ipſum petit „caput, totumque adeo inde afficitur nervoſum genus, ut & „per brachia ad mammas usque ſe extendat, unde anguſtiæ „præcordiorum, reſpiratio difficilis, capitis dolores, faciei tu-„mor, pluraque, quæ ipſam miſere excruciant ſymptomata. „Non durat autem tunc continuo iſte dolor, ſed remittit ite-„rum, & per intervalla affligit, ter quaterve & ſæpius per 24. „horarum ſpatium rediens, quo tempore nec cubare in lecto, „nec ſedere commode poteſt, ſed vel ſtare vel ambulare coa-

„cta, dolorum inde ſentiens aliqualem mitigationem. Octo „abhinc menſibus partum eſt enixa, poſt hunc per duos menſes ceſſarunt catamenia, fluxerunt autem iterum adhibitis quibusdam medicamentis per tres menſes, interea temporis & „melius ſe habuit; ſed poſtquam à bimeſtri jam denuo non fluxerunt, omnia in pejus mutata. Cæterum ſine febre eſt, excepto paroxysmi, ut ita dicam, tempore, quo pulſum habet „juſto celeriorem: appetitus eſt imminutus, bibit parum vel „nihil, & alvum habet plerumque per ſex vel octo dies obſtructam, quod tamen à pueritia jam ipſi fuit familiare; laboravit „etiam ſæpius hæmorrhoidibus cæcis: interim color faciei ipſi „floridus, maximeque ſana, præſertim cum dolores non urgent, „comparet.

Talis erat Illuſtr. hujus Matronæ ſtatus illo tempore, quo Grodnæ degimus: collatis igitur non ſolum Regiorum noſtratium, ſed etiam ab exteris atque è longinquo petitis, Batavorum, Pariſienſium, aliorumque ſententiis, quæ ſedulo atque inſtanter ab ægrotantis amicis conquirebantur, eò res recidebat, ut potiores ex his, affectum jam fuſius deſcriptum, *pro Verruca carcinomatoſa* haberent, prognoſin valde dubiam darent, ſummamque curationis in ſufficienti ſanguinis per ſalivationem mercurialem depuratione, inſequentique paulo poſt ſectione per experti chirurgi manum inſtituenda, ponerent. Id quod etiam non ita diu poſt noſtrum Warſaviæ reditum, factum fuiſſe percepimus, adminiſtrata primum, non obſtante brumali aëris inclementia, poſcente ſic ægrotantis impatientia, ipſo Januarii menſe, mercuriali ſalivatione, & poſt recuperatas aliquantum ægrotantis vires, ipſa verrucæ exſectione, à duobus chirurgis Gallis, *Mr. Jean & Mr. Sacriſtain*, qui Vilnæ ordinariè aliàs vivunt, perfecta, tam fauſto quidem ſucceſſu, ut jam ab omni malo libera, exoptata gaudeat valetudine, quæ antea per tam longum temporis ſpatium adeo dura perpeſſa fuit incommoda.

Dn. D.

Dn. D. FRANCISCI SCUFONII, PHILOSOPH. & MEDIC. DOCTORIS, MEDICI ROMANI,

OBSERVATIONES circa LOCUSTAS,

Communicata ab Ill. Dn. D. ANTONIO PACHIONO, MEDICO & ANATOMICO ROMANO excellentiſſimo

1. DN. Johannes Molara, Eques Romanus, & Præfectus primus Agriculturæ, A. 1717. tempore quo locuſtæ in agro Romano deprehendebantur, indefeſſo ſtudio publicæ utilitati invigilans, non tantum ſingularem attentionem & diligentiam pro earum deſtructione adhibuit, ſed ipſemet etiam loca ubi inveniebantur, acceſſit, nullisque parcens laboribus & ſumtibus, occaſione hac multas obſervationes circa easdem inſtituendo, ſimulque æri, prout diverſo tempore ab ipſo fuerunt obſervatæ, incidi curando. Cui tandem omnia hæc mihi communicare placuit, ut materiam iſtam explicandam adgrederer, aptum me ad id perficiendum, pro eo favore, quo ſemper me proſecutus fuerat, judicans. Quare tanto viro, quem maxime veneror, & cui plurimum obſtrictus ſum, mandatum debite exequi debui; id quod exponere volui, ut publice pateat, cui inventa hæc, quæ jam ſum expoſiturus, debeantur.

2. Nullum dubium eſt, fortunæ bona deſiderabiliora magis etiam neceſſaria eſſe debere; quæ inter prima & vera illa ſunt, quæ ſolum ab agrorum cultura dependent, poſtquam omnes alii diteſcendi modi inventi ſunt ad conſequendam plenariam eorum poſſeſſionem. Unde poſtea facile absque neceſſitatis incommodo, naturalem annorum curſum deducere licet. Verum prout hæc terræ emolumenta neceſſario germinant,

minant, creſcunt, & palam matureſcunt, ita continuo multiplicibus infortuniis, & ſingularibus ac peſſimis anni temporibus ſunt expoſita; quapropter ad eadem excolenda, curanda & in ſecuritatem ponenda, tantam attentionem & ſollicitudinem, quantam omnis alia magni pretii & ſummæ conſiderationis res, requirunt. Hinc *Virgilius Georg. lib. 1. ℣. 313.* cecinit:

Quæ vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver,
Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum
Frumentum in viridi ſtipula lactentia turgent?
Sæpe ego cum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam ſtringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ gravidam late ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent,
Et paulo inferius: *ruit arduus æther,*
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
Diruit.

Deploranda miſeria eſt, quod res, quæ communi noſtræ ſuſtentationi inſerviunt, à primo earum ortu ab externis caſibus male mulctentur, quarum improviſus adventus nobis tam gravia incommoda facit, quæ ultra modum nos adficiunt, dum majorem & meliorem partem ejus quod nobis convenit, auferunt. Nihilominus tamen talia infortunia quandoque multo graviora & difficiliora ex aliis atrocioribus ac deplorationibus, quam memoratis, cauſis fiunt. Et tales ſunt, quando numeroſus inſectorum exercitus ſe ad pulchram, bonamque excultorum agrorum ſegetem devorandam effundit. Hæc inter magis abominabilia & nociva ſunt locuſtæ, quæ catervatim irrumpentes ubi ſe demittunt, tantam ſegeti & herbis ruinam inferunt, ut poſtmodum omnia quaſi igne conſumta adpareant; & ita cum Propheta *Joële c. 1. v. 10.* dici poteſt: *Depopulata eſt regio, luxit humus, quoniam devaſtatum eſt triticum, confu-*

ſum

ſum eſt vinum, elanguit oleum. Ab Hebræis & Arabibus locuſtæ DEI exercitus vocantur, quas poſt plures illatas caſtigationes, quibus nunquam obedire voluit, ad Pharaonis pertinaciam deprimendam adhibuit, atque hunc in modum Moyſi tam grave flagellum demandavit: *Exod. c. 10. v. 12. Extende manum tuam ſuper terram Ægypti ad locuſtam ut aſcendat ſuper eam, & devoret omnem herbam, quæ reſidua fuerit grandini.* Idcirco *Damir* & *Mahomedes*, Scriptores Arabes, de locuſtis Ægypti loquentes, eas omnibus animalibus perniciosiores eſſe reputant, in quodam textu, quem *Samuel Bochartus de animal. ſcript. tom. 1. lib. 4. cap. 4. pag. 461. num. 60.* ita legit: *nullum eſt animal pernicioſius; mille animalium ſpecies creavit DEus, ſexcentas in mari, & quadringentas in terra, ſed horum prima peſtis eſt locuſta, qua deſtruente ſequitur reliquorum exitium, ut monile conſertum.* Verum ultra damna, quæ fructus terræ deſtruendo inferunt, peſtem etiam excitare valent, uti, referente *Oroſio lib. 5.* in Africa A. C. 628. accidit, cum Conſules eſſent M. Plautius Ipſæus & M. Fulvius Flaccus, ubi inauditum fuit obortum contagium; quoniam innumerabiles locuſtarum copiæ per totam Africam diffuſæ, poſtquam omnem meſſem, folia, arborum cortices & herbas conſumſerunt, ſed à vento ſublatæ ac per aërem procul avectæ in mari Africano fuerunt ſubmerſæ, & poſtea denuo in littus ibi rejectæ, abominabili ſuo & peſſimo odore horrendam peſtem avibus, ovibus, pecoribus, & hominibus etiam induxerunt.

3. Simile inſectorum genus hiſce retro annis in Italia comparuit, atque diverſis in locis Dominii Florentini rabiem ſuam & venenum exſeruit. Poſtea An. 1717. in non pauca agri Romani loca ſe diffudit, damnumque admodum ſenſibile intuliſſent, niſi ſollicitudo & vigilantia Illuſtr. Dn. agriculturæ Præfectorum ſine mora remedium attuliſſet. Non tamen prima id vice contigit, quod locuſtæ in agro Romano fuerint deprehenſæ; ſiquidem etiam A. 1577. & A. 1612. ſub Pontificatu Pauli V. & A. 1644. Sede ob mortem Urbani VIII. vacante, nec

non A. 1652. eundem infeſtarunt, quibus deſtruendis nulla fuit diligentia adhibita. A. 1654. magis quam unquam fuerunt multiplicatæ, nec quidquam propterea fuit tentatum. Inde An. 1655. ſecutum eſt, quod menſe Martio & Aprili in tanta copia ex ovis ſuis prodierint, ut de earum exſtirpatione fuerit cogitatum, nec tamen remedia ſuffecerint. Unde An. 1656. in tantum excreverunt numerum, ut herbas, frumenta & vitis folia perdiderint; tandem vero in hoc anno fuerunt deſtructæ, ceu in Actorum Archivi agricult. lib. 1. & 2. legi poteſt, ubi de Gryllorum An. 1655. & 1656. exſtirpatione legitur. Anno 1687. denuo in diverſis locis ſub Pontificatu Innocentii XI. comparuerunt, & usque ad An. 1688. omni etiam ad earum everſionem adhibita diligentia, perdurarunt, uti in libro tertio Archivi fuit notatum, ubi de exſtirpatione gryllorum agitur.

4. Nova hæc locuſtarum irruptio uti ſingularem diligentiam ad eas delendas excitavit, ita quoque occaſionem ſubminiſtravit ad plura circa eas adnotanda; & videtur hic eſſe locus pro diſtincta de iis danda notitia, Anno 1717. menſe Majo in regione S. Mariæ primum fuerunt detectæ, ubi magnus earum numerus frumenta & herbas deſtruebat. P. Rector Collegii Germanici, ad quod pagus illa pertinet, Dominis Præfectis agriculturæ hujus rei notitiam dedit, à quibus Commiſſarius ad ejus explorationem fuit amandatus; qui plures ſpicas frumentarias magna ex parte arroſas attulit; atque magis diſtincta claraque ut haberetur notitia, ipſe primus Præfectus ad locum, ubi inveniebantur, ſe contulit. Poſtea fuerunt obſervata in regione montis Mariæ, Marioli & Arci; quibus in locis terram eorum incultam omni herba ſpoliarunt; aliæ autem in valles frugiferas delatæ folia & ariſtas devorarunt, & ſuper ſpicas ſaliendo caules earum in tantum læſerunt, ut quaſi ambuſti viderentur. In Pontone, ubi ex regione S. Mariæ in alteram S. Nicolai itur, magnus tractus agri inculti iisdem, ſed multo minoribus, erat coopertus, ubi jam ante quinque dies primo

fuerant deprehenſæ. In vicinis collibus aliæ aderant, parvæ tamen & nigræ; nec non aliis in locis non multum ab his diſtantibus iterum aliæ occurrebant, quæ verſus finem Maji nondum plenum incrementum obtinebant, cum vixdum alarum involucrum, in quo hæ complicatæ & incluſæ usque ad depoſitionem exuviarum hærent, quo de nunc ſermo fiet, monſtrarent. Hoc modo formatæ hæ locuſtæ paulo plus à terra, quam altitudine duorum palmorum, ſaliebant. Miniſter hujus loci retulit, quod anno etiam antecedente quædam parvulæ in principio veris ibi fuerint viſæ, quæ poſtea creſcentes avolarunt; aſt quia paucæ fuerunt, nec damnum notabile intulerunt, in aliquam conſiderarionem non venerunt.

5. Ut ordinatim hiſce de locuſtis agam, primo earum naturam & indolem, inde obſervationes de earum partu, augmento, exuviis, generatione ac propagatione deſcribam. Circa quam materiam cum apud Authores variæ ſint opiniones, multam intricatam illam eſſe adparet. Sed quia tali in negotio, ideæ in noſtro cerebro ſaltem elaboratæ locum non habent, ſed quod ab oculis videntibus detegitur, mihi perſuadeo, nullam mihi difficultatem ab alterius phantaſia obeſſe, dum ſingulam obſervationem per ocularem inſpectionem expono. Explicatis ſic hiſce obſervationibus, poſtea meum diſcurſum, modum ad easdem deſtruendas adhibitum exponendo, finiam.

6. Primo aliquid de locuſtarum nomine dicendo, *Ger. Voſſius* in ſuo *Etymologico* putat, nomen eas ex *locus & uſtos* accepiſſe: *quod tactu multa urat, morſu vero omnia erodat*, cum verum ſit, quod ubicunq; ſe demittunt, devaſtent, deſtruant, & inſtar ignis amburant. Itali vero *Cavellette* adpellant, quia caput earum parvam equini faciem repræſentat. Illos idcirco, qui gryllos eos nominant, adparet non bene differentem partium ſymmetriam, quæ inter gryllos & locuſtas occurrit, multasque alias diverſas inter illas proprietates, conſideraſſe. Vivunt locuſtæ ex herbis & omni frugum genere,

 ſed

ſed frumenti inprimis admodum ſunt avidæ, quod non ſolum dum adhuc in herba eſt, ſed etiam quando ſpicas ſuas protruſit, culmos in geniculis arrodendo ut in terram ruant, devorant. Nulli fructui, nec floribus, nec arborum foliis, nec etiam viti parcent. Unde *Theocritus Idyll.* 5. Locuſtas rogat, ne vites ſuas attingant:

> *Vos locuſtæ, quæ maceriam noſtram tranſilire ſoletis,*
> *Ne meas lædatis vites: ſunt enim teneræ.*

Bochartus l.c. ſic earum naturam exponit: *Nimirum hæc animalcula quidquid in agris viret, ingurgitant, vorant, excorticant, rodunt, deglubrant, neque ſolum morſu, ſed & contactu adurunt.* Imo inſuper *Damir à Bochario* allegatus, earum ſalivam venenatam aſſerit: *Saliva earum virus eſt herbis, & arboribus tam noxium, ut in quodcunque incidat, id deperdat.* Inter multa damna, quæ ſæpius in Italia intulerunt, memorabile apud *Livium* legitur *num.* 38. *in fine*, & *num.* 39. ſic illud deſcribens: *Tanta in Italiæ regionibus advolavit locuſtarum copia, ut per ſex integras horas perdurarit volatus, & velut denſiſſimæ nubes ſolem obſcurarent, quo factum eſt, ut jactæ paulo ante ſementes abſumtæ fuerint, ut mala certe res ſeſe nobis cum anno ſequenti habuiſſet, niſi ſingula Italiæ loca eam, qua uſus Grejus Sicinius, adhibuiſſent diligentiam.*

7. Quantum ad colorem locuſtarum, non ſemper is unus idemque exiſtit, cum aliæ omnino virides, aliæ ex viridi in pluribus locis maculoſæ, aliquæ diluto-cinereæ, multæ rufæ occurrant; verum tantæ colorum diverſitates in eis ab Authoribus notantur, ut omnes illas deſcribere tædioſum nimis foret. Differentiæ tamen hæ non niſi accidentales ſunt, ſymmetria autem in corporibus earum in omnibus eſt eadem. Subſtantia earum tota rara & ſpongioſa exſiſtit, ob quam cauſam ab omni levi vento in aërem attolluntur, & juxta venti motum aſportantur. Cæterum difficile eſt comprehendere, quomodo

inſecta

inſecta hæc tantum vigorem habeant, ut vaſtiſſimum mare volatu transfretare queant; quandoquidem volatus, uti in avibus obſervatur, motus eſt compoſitus ex iteratis continuis ſaltibus per aërem ab alarum elevatione, quæ violenter à muſculis pectoris moventur. Unde vix credi poteſt, quod locuſtæ tantum robur habeant, ut alas ſuas tam continuo exerceant, quæ ſatis debiles, delicatæ, atque à frigore & humiditate ſtatim ad volatum inhabiles redduntur, corpuſculis earum rigidis inde evadentibus.

8. Intereà certum eſt, eas iter ſuum non niſi diebus calidis adgredi, quando venti ſicci ſpirant, à quibus attolluntur, & recta transfretantur. Unde locuſtæ illæ Ægyptiacæ à ventis orientalibus fuerunt adportatæ, qui non ſimpliciter calidi, ſed *urentes* à S. Scriptura *Exod c. 10. v. 15.* memorantur: *Dominus induxit ventum urentem tota die & nocte, & mane facto ventus urens levavit locuſtas.* Obſervatur, quod à terra quando ſe attollunt, aliquandiu ibi permaneant, usque dum cum alis juſtum æquilibrium in aëre fuerunt ſortitæ, in quo ſi flatus ille defuerit, qui ipſas abducat, in terram delabuntur, aut in aqua, ſupra quam feruntur, ſuffocantur; neque ad lubitum ſuum movere ſe poſſunt, aut in aëre ſublatæ diu ibidem manere, inordinatiſſimis motibus oberrantes. Unde facile credo, quod aliquandiu in longo ſuo volatu ſe adjuvent, præcipuum vero adjumentum à vi exteriore accipiunt, nam, uti *Lucretius lib. 1.* ſcribit:

> *Quamlibet in partem trudunt res ante, ruuntque*
> *Impetibus crebris.*

Fortaſſe concipere licet, quod aër à ventis calidis motus, reiterato ſuo ſub expanſis alis impulſu, non tantum eas ſuſtineat & exterius incitet, ſed etiam interne rara earum in corpuſcula ſe inſinuans illam ipſam potentiam, & validum oſcillationis motum communicet, à quo ille alarum dirigatur & continuo promoveatur.

9. Nonnulli tamen graves Authores volatum earum non volunt ex cauſis naturalibus explicare, ſed neſcio quid divini concipiunt; unde *Aldrovandus lib. 4. de Inſect. c. 7.* ſcribit: *Sed ejusmodi altus volatus naturalis locuſtis non eſt; etenim licet animalia ſint levia, mobilia, alacrisque volatus, hic tamen, ut authoris de rerum natura verbis utar, cito eſt deciduus. Quamobrem divini aliquid in alto eo volatu eſt.* Verum plus legitur in *Apocalypſi c. 9. v. 4.* quod mandatum habuerint limitatum: *Et præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, niſi tantum homines, qui non habent ſignum DEI in frontibus.* Ex quo colligitur, rationem ſubeſſe, quæ à nobis explicari nequeat; & quod DEUS nos caſtigare velit, dum ad ſegetem deſtruendam veniunt; & certe, quando tot parturierunt calamitates in agro Romano ſub Pontificatu Stephani VI. quæ jam ſub Hadriano III. prædeceſſore ejus illum infeſtare ceperant, non ulla humana diligentia profuit, quæ pro earum deſtructione fuit adhibita, usque dum ſanctus ille Pontifex ardentibus ſuis orationibus ad placandum cœlum ſe interpoſuit.

10. Locuſtæ, ſecundum omnes Authores, in Italiam ex Africa veniunt: Id *Plinius l. c.* his verbis exprimit: *Italiam ex Africa magna cohorte infeſtant, ſæpe populo ad Sybillina coacta remedia confugere inopiæ metu.*

11. Progrediendo ad propagationem earum, ridenda eſt opinio illorum, qui eas ex putrefactione naſci putarunt, in errorem hunc inducti, quod omnia inſecta hoc modo naſcantur; cum fortaſſe vermes primo in putridis locis vidiſſent, qui paulatim in muſcas mutati, inibi ſtridentes circumvolitabant. Cæterum credo, *Kiranidem* illum, à *Redo* in *libro experimentorum circa generationem inſectorum* memoratum, per jocum ſcripſiſſe de Thunni carnibus, easdem à mari in littus Lybiæ ejectas putreſcere & verminare: qui vermes primo in muſcas, inde in locuſtas, ac tandem in coturnices transmutentur. Sed omiſſis iſtis quorundam veterum Naturaliſtarum idealibus ge-

genera-

nerationibus, obſervatur, quod inſtar aliorum inſectorum locuſtæ etiam certum ſuum habeant ſeminarium, & ex ovo naſcantur. Omnis difficultas in eo conſiſtit, ut bene cognoſcatur & detegatur, quando ova, quomodo, & in quibus locis deponant, & quando inde naſcantur.

12. Primo ſciendum eſt, quod anno 1716. tempore æſtatis illis in locis agri Romani fuerint locuſtæ obſervatæ, ubi anno ſequente natæ fuerunt; ſed tum nullæ ibi viſæ notabantur aut deprehendebantur, unde veniſſent: quare credendum eſt, ipſas anno illo 1716. in agris illis ova ſua reliquiſſe, ex quibus anno ſequente novæ locuſtæ prodierint, dum naſci, nec jamdum natæ aut volantes ex diſſitis locis adveniſſe videbantur. Easdem in fine veris ova deponere, quidam ſcripſerunt, ſed *Plinius lib. II. c. 29.* in autumno id fieri adſerit; id quod vetum eſſe obſervatur, poſtquam in fine Auguſti femellæ ventrem tumidum ovisque plenum oſtendunt; & rationi etiam conforme eſt, cum in vere, quando ex ovulis prodeunt, macilentæ adparent, atque in Junio herbis & frumento veſcuntur, ex eo juſtum magnitudinis ac perfectionis terminum, illudque incentivum & deſiderium adquirentes, a quo ad inſtrumenta generationi dicata in actum adhibenda inſtigantur.

13. Jam ad partum earum accedendo, credi poteſt, quod ſicut natura ſibi ſemper ſimilis, atque in individuis unius ſpeciei æqualiter operatur, ſic etiam locuſtarum femellæ ſimili modo parturiant, nihilominus obſervationes alibi factæ aliquantum differre videntur ab illis, quæ in agro Romano fuerunt inſtitutæ. Omnes adſerunt, locuſtas dum ova emittunt, eadem in cylindrum terræ, quem aculeo ſuo ad digiti transverſi altitudinem eidem imprimunt, excernere, inde humorem aliquem in fundum emittere, cum quo terram oblinunt, & poſtea aculeo retracto, ſummitatem terræ vel cuniculum occludunt. Verum diligenti illa attentione, quæ depoſitioni iſtorum ovorum fuit adhibita, diverſa obſervatio ſucceſſit, quæ licet inſolita videatur, naturalis tamen huic inſectorum generi & pro-

& propria exſiſtit. Locuſta femella à pondere ovorum ſtimulata, ut ſe ab illo liberet, aptam terram tophaceam & rimoſam inveſtigat, ubi ſubſiſtens & corpus invertens, pedes ſuos majores rectâ ſupra terræ planitiem extendit, & reliquis quatuor ſuperioribus corpuſculum ſuum inverſum in recta ſtatione regit, ac tali modo in terram imprimit extremitatem ſui corporis, id eſt caudam duram inque formam aculei deſinentem, continuo ibi humorem aqueum emittendo, quo terram ſuppoſitam inſtar paſtæ ſubigit. Inde agitare ſe & contorquere incipit, ſicque terram perforat, usque dum ſeſe in ea abſcondat, & omnem illam corpuſculi partem ſepeliat, quæ ſub ejus ſex pedibus continetur. Sic viva ſepulta, immobilis hæret, & paulo poſt emoritur, pars autem, quæ ſupra terram eminet, exareſcit & ſicca evadit, poſtea diſperditur aut in pulverem convertitur, ita ut in duobus aut tribus diebus nec minima particula reperiatur. Interea temporis, quo femella ſe abſcondere ſub terram laborat, maſculi duo tresve immenſa libidine acti ipſam invadunt, mordent & lacerant, & dein, quando immobilis facta eſt, deſerunt, atque poſtea ex nimio concepto calore ac ſiccitate, ad aquas vicinas, quæ conſtans eſt cuſtodum Collegii Germanici obſervatio, ſe conferunt, ibique ſe ſubmergunt & intereunt. Quem maſculorum moriendi modum multi Authores adſerunt; idemque etiam femellis ſæpe contingere, *Plinius H. N. loc. cit* hiſce verbis innuit: *Eſt & alius earum obitus. Gregatim ſublatæ vento in maria, aut ſtagna decidunt.* Sed poſtea ſubjungit: *Forte hoc caſu evenit, non ut priſci exiſtimavere, madefactis nocturno humore alis.* Quidquid ſit, hoc certum eſt, quod quando femellæ moriuntur, maſculi etiam eodem tempore vivere deſinant, idem etiam eodem *Plinio* ſcribente: *eodem tempore mares obeunt.*

14. Quam vera ſit hæc de locuſtis femellis hucusque facta narratio, pluries Dn. Johanni de Molara innotuit, cui easdem dicto modo ſub terra ſe recondentes videre cum aliis contigit. Inter alia idem obſervavit unam earum, quæ operam

ram ſuam compleverat, & parte ſuperiore corporis foris reſtiterat; unde in parva diſtantia quatuor cannulas circa illum locum, pro eo diſtinguendo adcommodaverat, ad quem cum poſt triduum rediiſſent, ſucceſſum exploraturi, nihil de parte ſuperiori remanſiſſe inventum fuit. Interea ſenſim terram circumcirca excavare cum inceptum fuiſſet, ovulorum involucrum attingere accidit, cujus externa ſuperficies ubique terra fuit conſpurcata, quod non aliter fieri potuit, & eo magis, dum locuſta in ſepeliendo ſe, uti dictum fuit, ſuppoſitam terram humore ſuo vireſcente, quem ex aculeo ſuo excrevit, emollit & ungit. Erutus ſic ex terra folliculus ille, quem cylindrum aut canaliculum quidam adpellant, atque à terra adhærente mundatus, comparuit, quod non adeo ſubtilis membrana exiſtat, qualis alibi notata fuerat. In eo tot gyrorum aut annulorum ordines numerabantur, decem nempe, quot naturaliter in omnibus locuſtis vivis videntur; unde membrana hæc cum locuſtis vivis & per medium diſſectis comparata una eademque res quoad texturam & craſſitiem adparebat. Intus includebantur ova tenera admodum & delicatiſſima teſta ſive membranula, quæ ſub digitis diſſolvebatur, & inſtar rei alicujus viſcidæ & mucoſæ diffluebat, cum nondum incraſſari & coagulari potuerit, propter humorem, qui foris abundanter eum humectabat; & dum ova ſub terra latent, exſiccari incipit, atque pelliculæ aliqualem firmitatem induunt. Hæc ova plena erant aqua aliqua albicante & craſſiuſcula, omniaque tot vermiculi rigidi eſſe videbantur; id quod multi, & primus inter omnes *Ariſtoteles hiſt. anim. lib. 5. cap. 28.* crediderunt atque ſcripſerunt. Præter hanc adhibitam diligentiam, ovula iſta, adhuc membranæ ſuæ incluſa, Romam veritatis magis detegendæ cauſa fuerunt deportata, atque à me, præſente præfato Dn. Molara, diligenter obſervata. Quod conditorium aut vagina ovorum, talem utpote formam parte inferiore corporis locuſtarum habente, canaliculum repræſentat, inferne magis ſubtilem & acutum, cum extremitas hæc terram fodere & perfo-

rare debeat. Verum ut magis inveſtigari externe poſſet, primo terram ambientem, qua erat inquinatus, ope aquæ frigidæ removere procuratum fuit, ex quo adparuit, terram hanc non formare cylindrum, naturaliter à locuſta, ſed externe à membrana iſta incruſtata accidentaliter eſſe factum. Luſtratus itaque cylindrus nudo oculo, & poſtea mediante micriſcopio unius vitri, non aliter ac jam indicatus, diſpoſitus fuit inventus. Separata parte, quæ ſuperius ova tegit, ſi cum, ac ſine microſcopio obſervetur, ſpongioſa & rara, depreſſa, & quaſi in medio excavata adparet; quæ tamen non pro parte aliqua limi à locuſta adglutinati haberi poteſt, ſed pro ſubſtantia ejus propria, eousque infra terram recondita, ut ova bene defendat, & ſuperius occluſa per hyemem ſe conſervare queant usque in ver, tempus utpote ad fœtuum excluſionem opportunum. Harum membranarum multæ fuerunt per medium diſſectæ ad propriam earum conformationem inveſtigandam, quæ ſemper ejusdem proportionis & diſpoſitionis partium omnium, illis ſimilium, quibus pars inferior locuſtarum fuit inſtructa, comparuerunt. Id quod nos credere facit, quod involucrum ovorum non ſit particularis aliqua membrana, ſed illa ipſa quæ circumdat & inveſtit animalculi illius corpuſculum.

15. Intra hanc membranam ova includuntur, quorum duo, tria, aut quatuor adſunt, atque immediate, tam quoad latera, quam ſuperne & inferne ſe contingunt, & quia lateraliter communi membranæ adhærent, parvulos aliquos ſulcos & ſinus in ea efformant. Ova quæ in qualibet ejusmodi membrana numerantur, nunquam ultra viginti duo comparent, in aliis autem duodecim, quindecim, octodecim, plura pauciorave fuerunt. Figura eorum eſt ovata, ſed longitudo ſuperat craſſitiem, quæ craſſities granis aniſi æqualis æſtimari poteſt. Colore albicant, & putamen ex valde ſubtili, eleganti ac tranſparente membrana conſtat, quæ digitis compreſſa crepitum edit. Humor qui eis includitur, eſt albicans, viſcidulus & pellucidus, uti ſupra indigitatum fuit. Figura hujus communis

mem-

membranæ, ut & ovorum in naturali eorum magnitudine hic (*lit. a.a.*) exhibetur. Hæ itaque obſervationes indicant, quod locuſtæ femellæ cylindros vel canaliculos pro ovis ibi reponendis non elaborent, ſed propriam ſpeciem per corporis ſui in terram intruſionem propagent. Ob quam etiam rationem ſententia *Ariſtotelis* (*hiſt. anim. l. c.*) & *Plinii* (*d. l.*) non poteſt admitti, quod nempe matres poſt partum moriantur, vermiculo ſtatim circa fauces innaſcente, qui eas ſtrangulet.

16. Sic ova, uti relatum fuit, in ſuperficie terræ, verſus Auguſti finem, aut etiam Septembris initium occultata, per totum autumnum & hyemem usque ad veris principium perſiſtunt; quo tempore, dum aër incaleſcit, & terra, vigore ſuo recuperato, tota revireſcit & regerminat, propter ſolem noviter verſus nos adpropinquantem, radiosque ſuos directe ad verticem noſtrum mittentem, ova etiam locuſtarum ſpiritum aliquem turgeſcentem & fermentantem recipiunt, ex quo propriam ſuam ſpeciem in lucem emittunt. Naſcuntur hæ ex ovis in fine Aprilis, & excluſio hæc citius vel tardius ſuccedit, prout ovorum conditorium aut frigido aut calido aëri fuerit expoſitum; unde è regione cœli auſtralis ſi fuerit, ſat cito locuſtæ prodeunt, aut ſi verſus ſeptentrionem frigidum reſpiciat, nativitas differtur; & hanc ob cauſam, quod calor earum ortui faveat, illa ova citius inſecta ſua emittunt, quæ magis vicinæ ſunt ſuperficiei terræ, utpote prius, quam reliquæ, faventem tepidum veris calorem expertæ, & quæ ſub fiſſuris terræ profundius hærent, fœtus ſuos tardius in lucem emittunt. Inſuper frigus & glacies nativitatem locuſtarum multum retardant, quæ etiam, prout Scriptores referunt, ſæpe non ſuccedit, dum virtus ovorum prolifica à ſuperfluo aëris frigore extinguitur, ſicut etiam à copia aquarum in vere deperditur: *vernis aquis intereunt ova, ſicco vere major proventus*, ſcribit *Plinius l. c.* Econtra calidæ & ſiccæ aëris conſtitutiones favent magis hiſce animalculis, & quo diutius ſiccitas illa & calor durant, eo ma-

jori in copia generantur. Refert *Strabo lib. 17. p. 1186. edit. novæ*, magnam earum copiam in Lybia reperiri, ubi nunquam aut raro pluit, & lacus prorſus limoſi evadunt. Teſtatur *Aldrovandus l. 4. de inſect. p. 429.* quod quinquinnalem ſiccitatem An. 1553. numeroſus exercitus locuſtarum ſubſecutus fuerit. Paulo poſt idem ex *Paulo Diacono* obſervat: *Circa decimum annum Mauritii Imperatoris, maximam fuiſſe à Januario usque ad Septembrem ſiccitatem, hancque inauditam locuſtarum multitudinem eſſe ſubſecutam, quæ abſumtis biennio longe lateque ſegetibus graviſſimam Italiæ intulere famem.*

17. Locuſtæ itaque agri Romani in fine Aprilis naſci inceperunt. Quando folliculo ſuo exeunt & exierunt, ſatis parvæ, inſtar pulicis, & coloris albicantis obſervantur, quem poſt duos tresve dies in nigricantem, & poſtea rufum mutant. Primum alas nullo modo monſtrant, ſed poſtea paululum videndas exhibent, quæ tamen per viginti pluresve dies valde breves & deformes exiſtunt, atque vix alarum figuram habent, aut ultra dimidium corpuſculum extenduntur; unde cum hiſce imperfectis & non explicatis alis ad volandum ſe haud poſſunt attollere, ſed illud, ob rationes quas poſtea dicemus, differunt. Locuſtæ vix natæ ſubſultare incipiunt, & ſtatim ſex pedibus inſtructæ adparent, quorum quatuor anteriores ad ambulandum inſerviunt, & duo poſteriores, admodum longi, ad ſubſultandum, & quando volare intendunt. Additæ ſunt figuræ naturalis earum magnitudinis, quando ultra quinque & octo dierum ætatem non habent, in quibus alarum principium nondum viſibile exſiſtit (*lit. b. b.*) Eſt qui adſerit, quod locuſtæ in prima nativitate ſine pedibus videantur, quod eſt falſiſſimum, uti etiam quod pauciores quam ſex habeant. *Moſes* quatuor eis tribuit, & *Demir* ac *Ariſtoteles* ſex numerant. Sed *Bochartus l. c. p. 452.* hunc in modum eos conciliat: *E locuſtarum ſex pedibus duo poſtremi longiores non ad inceſſum, ſed ad ſaltum ſunt comparati, proinde Moſes crura vocat, non pedes: comedetis, inquit, ex omni reptili volucri ambulante ſuper quatuor*

3. XI.


ad pag. 497.
a
a
ad pag. 498.
b
b
ad pag. 499.
c
a
ad pag. 500.
d
ad pag. 502.
e
ad pag. 535.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

tuor

tuor pedes ſuos, id eſt, præter pedes ſuos, quibus ſaliat ſuper terram. Hæc igitur volatilia in lege quadrupedia vocari obſervat Auguſtinus cap. 25. retractionum libri ſecundi, quia lex non computat in pedibus duo poſteriora crura quibus locuſtæ ſaliunt.

18. Locuſtarum quæ ſunt plurium dierum quam recenſitæ, cum oculo nudo & cum microſcopio obſervatarum figuræ hic inſeruntur; minor eſt illa, qualis naturaliter oculis occurrit, dum creſcere, & duas alas breves, inque communi membrana, usque ad tempus quo eam exuunt, implicatas, oſtendere incipit. Major eadem eſt, ſed microſcopio in magnitudine aucta (*lit. c. c.*)

19. Hæ vulgares & ordinariæ ſunt, illæ ſcilicet quæ fertiles campos deſtruere ſolent, ac dentes ſuperius inhærentes habent, nonnihil nigros & duriſſimos, unde cum magna facilitate ariſtas abſumunt, & cum ſtridore depaſcunt; ad differentiam illarum rararum locuſtarum, quæ *Mantes* ab *Aldrovando* & *Jonſtono* vocantur, earumque figuræ exhibentur. Sunt hæ diverſa partium conſtitutione præditæ, denteſque debiles ac teneros poſſident, & propterea non niſi recenti ac tenero gramine herbarumque ſummitatibus veſcuntur. De his *Jonſtonus l. 1. de inſect. c. 63.* ſcribit: *Divina cenſetur beſtiola, ut puero interroganti de via altero pede extento rectam monſtret, atque raro vel nunquam fallat*, Verum inter noſtras vulgares raræ fuerunt illæ, quæ præditæ erant longo aculeo, quales à multis alibi deſcribuntur communiter in iis obſervati; aſt omnes fere ſolummodo poſtremam extremitatem acutam habebant, quæ terræ perforandæ dum inſervire debet, dura eſt, & inſtar alicujus rei calloſæ reſiſtere apta. Hujus conformationem in figura cernere licet. Cæterum omnes locuſtæ adſpectu ſatis deformes, torvæ, rugoſæ, & certo modo ſquamis os quaſi tegentibus inſtructæ deprehenduntur; retro caput cucullum portant, qui ubi alæ incipiunt deſinit, & in alia locuſtarum ſpecie ab Authoribus deſcripta non occurrit. Verum conſtitutio & natura harum etiam ab Authore quodam Arabe, referente *Bocharto*, ſic exponitur: *habent femur camelorum, crura ſtru-*

thionis, alas aquilæ, pectus leonis, cauda iis, ut viperarum terræ, & decorant eos equorum ſpecies in facie.

20. Cauſa, ob quam poſt memoratum dierum terminum ſaltem volare incipiunt, per obſervationes tandem fuit detecta, & eſt, quod locuſta in fine Aprilis nata, exuvias circa vigeſimum quartum, vel vigeſimum quintum diem, aut paulo ante, vel poſt deponit, idque modo ſequenti inſtituit: quando tempus hoc comparuit, primo edere deſiſtit, poſtea locum commodum quærit, & plerunque res acutas eligit aut ſpinoſas, atq; ſupra aliquam ſpinam carduumve ſe demittit, ubi adhærens, caput ac collum agitare & circumvolvere incipit, usque dum in parte ſuperiore colli rumpatur, & externa pellicula aperiatur, ex cujus apertura caput cum difficultate prodire incipit, hinc magis magisque ſe urgens, tota cum omnibus ſex pedibus exit, & ſpinæ vel carduo adfixas relinquit ſuas exuvias, alteram quaſi locuſtam repræſentantes, quorum ſpoliorum aliqua noſter Dn. Joh. de Molara adſervat. Sic excluſa non amplius obſcurum illum colorem, quem prius habebat, oſtendit, ſed albicantem, & quia multum in depoſitione illa ſe defatigavit, ac tenera adhuc corpuſculi peripheria aëris violentiam ſentit, in terram delabitur, ubi per horam quaſi exanimis & rigida jacet, atque in hoc brevi temporis ſpatio albicantem ſuum colorem ſenſim in ruſum vel viridantem aut album mutat, juxta diverſitatem locorum quæ inhabitat. Curioſa res eſt, videre, quod vix rejectis exuviis, alæ ſtatim explicentur, elongentur, & femorum longitudinem in duobus pedibus poſterioribus ſuperare incipiant, quia antea involutæ & implicatæ in ſupradicta membrana involutæ fuerunt, atque ideo tam breves & deformes locuſtæ adparuerunt. Harum exuviarum figura (*lit. d.*) ſiſtitur.

21. Proprietas hæc locuſtarum videri poteſt nova iis, qui in Authoribus legerunt, ſcribentibus, nunquam hactenus id deprehenſum fuiſſe; & certe curioſa ſatis res eſt ſimilis obſervatio, dum ſupponitur, non fuiſſe inter inſectorum ſcriptores,

qui

qui depoſitionem illam indicaverit ; quanquam multi obiter hoc fecerint, & inprimis *Jonſtonus lib. 1 de Inſ. p. 61.* ita ſcribens: *exuvium ſerpentum inſtar deponere, quo tempore operculum circum rumpitur, Ariſtoteles teſtis eſt.* Quæ res tamen à *Jonſtono* non fuit obſervata aut ſupponitur, ſed tantummodo recenſetur. Si *Ariſtoteles* de ea loquitur, poteſt eſſe, quod in tali ſenſu voluerit ſcribere, ubi, poſtquam nativitatem earum expoſuit, ſubjungit, ceu *Jul. Cæſ. Scaliger* legit: *poſtremo circumrupta cute grandiores evadunt*, atque ut *Theodor. Gaza* interpretatur: *deinde cute abrupta majores, ſtatim efficiuntur ;* qui modus loquendi admodum decurtatus videtur, & non ſufficienter clarus, ut talis eventus ex eo intelligi queat, cum non per modum obſervationis illud ſit cognitum. Nec ſolum illæ ſic ſpoliantur, ſed alia etiam inſecta, quæ inter ſunt araneæ, de quibus *Mart. Liſterus* in *tr. de aran. cap. 4. pag. 10. & 11.* legatur. Quando locuſtæ ſic exuvias depoſuerunt, & alas explicuerunt, recuperatis poſt horam viribus, ſtatim volare & campos pro more depopulare incipiunt. Non plures quam duas alas habent, licet à *Mouſeto* ſcribatur, quod anno 1542. in primo earum ortu ſine alis, paulo poſt cum duabus, & tandem cum quatuor viſæ fuerint.

22. Utrum ſtridor ex ore aut alio loco procedat, cum ob multas cauſas difficile ſit determinare, *Jonſtono* placet *l. d.* judicio *Plinii* ſe ſubmittere, *cit. l.* ſcribentis: *vox earum proficiſci ab occipitio videtur. Eo loco in commiſſura ſcapularum habere quaſi dentes exiſtimantur, eosque inter ſe terendo ſtridorem edere.* Hanc ſtridentem vocem *S. Johannes* in *Apocal. c. 9. v. 9.* ſic exprimit: *Sonus alarum iis, ut ſonitus curruum, equis multis ad bellum currentibus.*

23. Paulo poſt quam alarum libertatem obtinuerunt, ad generationem ſe copulant; id quomodo fiat, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Aldrovandus*, *Jonſtonus*, & alii deſcribunt: *coitus idem qui & inſectorum omnium, marem, qui minor, portante femina.* Sed quantum fuit obſervatum, verum eſt, quod in hoc exer-

citio

citio femella ſub mare conſiſtat, ſed eam non ſuſtinet, ſiquidem ambæ conjunctæ lateraliter ſtant ſuper terram, uti in addita figura videri poteſt. (*lit. e.*) interim dum mas lateraliter ſe ad hanc operam adaptat, dentibus poſticam colli partem femellæ adprehendit, & ita ſibi unitam cum quatuor anterioribus pedibus ſtricte tenet, duobus vero poſterioribus aliquantum conſtrictis: inde aculeum illum, qui in extremitate ventris locatur, utero femellæ immittit. Jonſtonus duorum aculeorum meminit, nos vero unicum ſaltem deprehendimus; tunc ſuccedit, uti *Jonſtonus* exponit: *femina ſubagitata intente alvum movet, & ſe ima parte mari applicans illum diutius continet, modo vulvæ hiatu, modo ejus contractione venerem ſibi jucundiorem reddens.* Vagina feminæ in dorſi extremitate ſita eſt; quamvis à Mouſeto duæ memorentur. Inſecta hæc conjuncta diu ſic ſubſiſtunt, ſed adeo firmiter unita, ut difficulter ab invicem manibus ſeparari queant; quod pluries fuit expertum & obſervatum, cum aculeus maris circumcirca in extremitate aliquam elevatam prominentiam habeat.

24. Hucusque de generatione, propagatione & qualitatibus locuſtarum diſſerui; multa alia inſuper proferri poſſent, quia vero huc non quadrare, aut fortaſſe ſuperflua fore videbantur, memorare ſuperſedeo. Non vero taceri debet, Authores aliquos adſeruiſſe, quod ubi locuſtæ in aliquem locum cum magno exercitu ſe diffuderunt, famem, bellum, aut peſtem præſagiant. Omnes hæ relationes obortæ fuerunt, quod aliquando unum aut alterum memoratorum infortuniorum illam invaſionem fuerit ſubſecutum. Quam male id fundatum ſit, unusquisque poteſt cognoſcere, conſiderando præſagia hæc ex illis eſſe, quæ Ethnici circa inſpectionem animalium, & avium volatum fecerunt. Cum tales obſervationes quaſi manu nos ducant, ad plurimas cauſas, cur locuſtæ ab uno ad alium locum progrediantur, cognoſcendas, & ſic fortaſſe ad rationalem aliquem diſcurſum de earum adventu inde inſtituendum. Et certe famem adducent, ſi absque perturbatione

eas quiete in campis ſubſiſtere permittatur; non minus peſtem quoque cauſare poterunt, ubi ſuper terram, aut in vicinis aquis mortuæ aërem fœtidisſimo ſuo odore contaminabunt: bellum aliquando earum adventum ſi ſubſequatur, non ſufficiens argumentum præbet ad præſagia hinc poſtea formanda de aliis eventibus; licet in aliquorum mente impresſionem poſſet facere id, quòd à *Jonſtono l.c.p.62.* hisce verbis refertur: *Cum anno 1543. ſtupendis agminibus in Italiam convolarent, Thuren Rhegium occupavit, Oſtiæ ſubſedit, Nicæam cepit, & multa Chriſtianorum millia cum ſexcentorum millium Ducatorum præda abduxit. Item tumultuantibus Coſaccis, & ruſticis nuper in Polonia factum, & quod mireris, eousque lymphaticam illam nebulonum colluviem perveniſſe, quousque locuſtæ, quæ præceſſerunt, delatæ.* Nihilominus quid poſſemus cum ratiocinio etiam adparenter ſano hinc deducere, quam incertitudines aut inſufficientias? dum nullum fundamentum habemus pro ſimili inſtinctu hisce inſectis tribuendo; neque ad tale quid in ordinem naturæ collocandum. Inſuper *Leo Africanus* in *lib. 9.* ſcribit: *Arabiæ deſertum & Lybiæ populi earum adventum pro felici habent omine, nam vel elixas, vel ad ſolem exſiccatas in farinam tundunt atque comedunt.* Unde talia judicia ceu ridicula & nullius momenti conſiderari debent. Et noſtra circa hæc mens eſt, quod *Baco Verulamius lib. 5. de augment. ſcient. cap. 4.* ſcribit, poſſe asſimilari ſpeculo plano, æquali & claro, quod radios ſincere excipiat & reflectat, ſed tamen inſtar ſpeculi alicujus incantati, pleni ſuperſtitionibus & ſpectris.

25. Quidam populi locuſtas olim comedebant, inter quos Afri, Syri, Perſæ, Hebræi, & in ſpecie Æthiopes, *Acridophagi* à comeſtione locuſtarum dicti, qui tamen, prout Authores ſubjungunt, vitam vix ad quadraginta annos producebant, quam ipſis deformes quidem alati pediculi, qui carnibus eorum innaſcebantur, tollebant, quo de *Gædartus de inſectis* legatur. Inter S. Scripturæ Interpretes aliquis diſſenſus verſa-

tur, an S. Johannes Baptiſta eas in deſerto ederit, varias res quibusdam ſub nomine locuſtæ interpretantibus. Verum *S. Hieronymus*, *Origenes*, *S. Auguſtinus*, & poſt omnes *Bochartus* volunt, quod in deſerto præter mel & locuſtas nihil cibi ſumſerit. Thalmudiſtæ eas in mundas & immundas diſtinguebant. Hodie quidem in India Orientali iis veſci ſolent. Sed ab Antiquis alia præterea inſectorum genera edebantur, & ſpeciatim Cicadæ, quæ etiam novellis ſponſis ad producendam cupiditatem dabantur. Et *Ariſtophanes* in *horis* laudat Athenas, quod ibi etiam in hyeme *vendat inſtitor turdos*, *pyra*, *favos*, *oleas*, *coloſtrum*, *choria* (*id eſt edulia ex lacte & melle*) *hirundines*, *cicadas*.

26. Explicata ſic hiſtoria locuſtarum, quæ A. 1717. in diverſa agri Romani loca venerant, cum obſervationibus circa eas factis, neceſſe eſt nunc artem exponere, quæ ad earum exſtirpationem fuit adhibita, quo alii qui ſuccedent, in promtu & facilem modum habeant, ab iis ſe vindicandi, & ſtimulum publicæ propriæque utilitati inſerviendi. Cum illuſtrisſimis agriculturæ Romanæ Præfectis, (quibus ſemper iſtiusmodi cura incubuit,) magna in copia locuſtas ad deprædandum agrum Romanum adveniſſe nuntiatum eſſet, mox Commiſſarios amandarunt ad inveſtiganda loca, quæ occupaſſent; à quibus poſtea informati, eadem cum celeritate easdem invadere & deſtruere curarunt, ut damnum illatum, reſpectu ejus, quem inferre potuiſſent, vix ſenſibile fuerit. Quoniam tali in caſu neceſſarium eſt, illico mederi, & non cunctari, prout A. 1635. contigit, quo tempore immenſum multiplicatæ gravisſima damna induxerunt.

27. Ad earum deſtructionem tria diverſa tempora ſunt opportuna, autumnus, hyems & ver. In autumno & hyeme opera datur ovis deſtruendis, & in vere ipſis locuſtis dum naſcuntur & creſcere incipiunt. In Cyrenaica regione omnia hæc tempora ad eas perſequendas adhibebant, ubi lex fuerat: *ter anno eas debellandi*, *primo ova obterendo*, *deinde fœtum*, *poſtre-*

poſtremo adultas. Deſertoris pœna in eum qui ceſſaverit, uti *Plinius l.c.* adſerit. Modus ova deſtruendi hoc tempore non fuit adhibitus, ſed Anno 1655. & 1656. ubi ager Romanus admodum inde læſus fuerat, & tunc porcos ad paſcendum in loca illa miſerunt, ubi ova ſub terra eſſe recondita ſciebatur, quæ ipſi rictu ſuo eruebant & deglutiebant; adhibuerunt etiam ligones; hoc tamen artificium ſeminario illi tollendo non ſufficit, ſed imminuere ſaltem poteſt malum, quod in vere ſucceſſurum ab ovulis eſſet. In hoc aliquantum ſublevabantur in Lemno ab alaudis, quæ in capite criſtam gerunt, latine *Galeritæ dictis,* dum naturali inſtinctu ova ex terra eruebant & devorabant.

28. Sed magis opportunum tempus pro illarum exterminio eligendum eſt vernum, quando naſcuntur & creſcere incipiunt; atque in hoc tempore earum perſecutio nuper hic fuit inſtituta. Ubi advertendum eſt, quod ubi alas explicuerunt, omnibus inſidiis ſe per volatum ſubducant, nec ulla ars poſtea aliquid efficiat; quare omni ſollicitudine ſunt debellandæ, antequam ad exuviarum depoſitionem perveniunt, alaſque emittere incipiunt, quas modo involutas & in communi membrana ceu in marſupio complicatas tenebant. Stratagemate hoc veteres Romani contra inſecta hæc uſi fuerunt, cum aliquando, anno 579. in Apulia ab iis infeſtati fuiſſent, ad eadem colligenda magnam hominum copiam mittentes, uti ſcribit *T. Livius Dec.* 5. *l.* 2. *Locuſtarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ ſunt, ut examinibus ſuis agros late operirent, ad quam peſtem frugum tollendam Gnejus Sicinius Prætor deſignatur, cum imperio in Apuliam miſſus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis aſſumpſit.* Sed quomodo id peractum fuerit, *Livius* non exprimit. In hoc ultimo agri Romani caſu ignem palearum adhibuerunt, & confici curarunt plagas albas, ex tela longa & viginti quinque palmos ex utraque parte latas, cum apertura aliqua, cui alligatus erat ſaccus infra cum funiculo li-

gatus, quo facile evacuari, humari & cremari locuſtæ, quæ ibi collectæ erant, poſſent. Quando vix natæ parum & inſenſibiliter ſubſiliebant, tunc ignis adhibebatur, ſpargendo per terram, ubi erant, paleas, ſupra quas celeriter ſalire videbantur, à quibus dein accenſis paulo poſt in cineres redigebantur. Inter comburendum fœdum aliquem odorem ſpirabant, à quo nonnulli credunt facile poſſe in corpora humana per aërem aliquam contagioſam adfectionem derivari; id quod fortaſſe accidere poſſet, ubi in maximo numero, longum regionis tractum eæ occupaſſent, & cum igne perſequi easdem inſtitutum fuiſſet. Verum ignis ille palearis non fuit in uſum ductus, niſi adverſus parvulas modo natas, quæ non poterant ſe tali pœnæ ſubducere; quoniam reliquæ creſcere incipientes ſubducendo ſe evadebant. Quapropter plagæ illæ memoratæ mane poſt ortum ſolis usque ad ejus occaſum fuerunt adhibitæ, cum ſequenti cautela: conſueverunt nempe Locuſtæ naturali inſtinctu in locum ſe collocare à ſole illuſtratum & calefactum, cui ſemper faciem abvertunt, & prout ille progreditur, ipſæ etiam ſe eo vertunt. Unde aëre tranquillo exiſtente, plagæ per terram ita explicabantur, ut inter ſolis adſpectum & Locuſtarum faciem locatæ eſſent; inde homines operi huic deſtinati cum ramis frondentibus in manu à tergo earum pedetentim illas propellebant eousque dum exiguis ſaltibus ſupra plagas exſiliebant, quæ hominibus ad id intentis per angulos elevabantur; unde Locuſtæ ſaccos intrabant, qui poſtea in parte ſuperiori claudebantur, & Locuſtæ pedibus conculcabantur, ſicque contritæ & mortuæ in foveas non procul inde paratas projiciebantur, & terra duorum palmarum altitudine contegebantur. Verum ſi aër per ventum aliquem agitatus fuerit, illæ etiam ſubſilientes ſecundum eum feruntur; artificiumque indicatum redditur infructuoſum, ſi ventus memoratæ Locuſtarum poſituræ & ſolis adſpectui ex adverſo feratur. Tunc neceſſarium erat, plagas inter ventum, Locuſtas & ſolem accommodare, ita ut favore venti illuc tenderent, juxta

modum

modum ſupradictum propulſæ. Si autem ventus ex parte ſolis fuerit, & diametraliter faciei Locuſtarum contrarius, tunc neceſſe eſt, plagas infra extendere, ut in ea ſoli venti favore ferantur. Hæ operæ indefeſſa ſolicitudine fuerunt continuatæ, quousque Locuſtæ alas explicuerunt, quoniam tunc labor inutilis fieret, dum in vicem quod ſuper plagas ſe conferant, celeriter ſe volatu attollentes, quo ventus eas ferebat, oculis ſeſe ſubducebant. Nihilominus paucæ à ſtrage ipſis illata remanſerunt, antequam alis ad volandum uti potuerunt, neque etiam tot, quæ damnum notabile inferre valuerunt. Impediri tamen haud potuit, quo minus ovorum aliquod ſeminarium ſub terra pro inſecuturo vere reliquerint. Et cum his ita relictis præſentes obſervationes inſtitutæ fuerunt.

29. Quantitas Locuſtarum enarrato modo extinctarum, non numeratis illis, quæ à paleis terræ inſperſis combuſtæ fuere, ad ducentos modios incirca diverſis in pagis adſcendit, uti ex libro de lue gryllorum A. 1717. in Archivo Agriculturæ adparet. Sed ultra ſtragem ab hominibus eis illatam, corvi aliique aves rapaces ſimilem ante & poſt emisſionem alarum ipſis fecerunt. Inſuper Dn. Princeps Juſtinianus in ſuo fundo Borghetto dicto per gallinas idem facere curavit, quæ avide easdem deglutierunt, & ubi poſtea alas explicuerunt, mane & veſperi, ubi alæ Locuſtarum quaſi rigidæ adparent, easdem fuerunt venatæ. Patres Jeſuitæ porcorum greges ad devorandas eas, antequam alas haberent emiſerunt. Contra hujusmodi inſecta, uti diverſi Authores narrant, Ægyptii ſingulari privilegio fruuntur per avium quoddam genus, Ibides dictarum, iſti climati propriarum & particularium, à quo aliorſum deportati ſubito moriuntur. Hi ipſis ſunt utilisſimi, cum eos à Locuſtis & bruchis, à quibus inſectis principaliter infeſtantur, liberent. *Franc. Willughbæjus in ſua Ornithologia* ſic de iis ſcribit : *Avertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex vaſtitate Lybiæ invectas interficiunt : ex quo fit, ut illæ nec morſu vivæ noceant, nec odore mortuæ.* Lemniæ incolæ, uti ſcribit *Plinius*, *Graculos*

los ob id alunt, adverſo volatu occurrentes earum exitio. Graculi ſunt aves ex Corvorum genere, quorum tres ſpecies à *Geſnero* & quatuor à *Willughbæjo* recenſentur, ſed illa, quæ locuſtas devorat, etiam Coracias, vulgo Ciagula, Veronenſibus Tacota, aliis Cutta. Inſuper ab Authoribus multa alia remedia proponuntur. Scribunt, quod alii arboribus veſpertiliones adpendant, alii comburant locuſtas, à quo odore ipſæ vertigine prehendantur; ne vites attingant, tria ſinapis ſemina ad radices illarum ſi ſerantur. *Ariſtoteles* cornu cervini fumum proponit; *Arnoldus* odorem ſtercoris bubuli & vaccini, & alii Authores alias res præſcribunt. Sed omnia hæc remedia nullius ſunt valoris, neque ea haud noſſe nocet, neque in uſum duxiſſe juvat. Aliquando Dominus de Molara experimentum ejus præſentibus aliis inſtituit: videns nempe ſcapum cardui ſpinoſi totum locuſtis obſitum, fumum ſulphuris ibi excitari curavit, à quo ne minimum offenſæ fuerunt, ſed ſimul omnes aufugerunt, nec ulla earum obriguit. Unde quotiescunque hæc inſectorum peſtis nos invadere tentat, unicum remedium ab ea ſe liberandi eſt quod hucusque expoſuimus; quod ſi evanidum fuerit, ſignum eſt, DEUM hac ratione nos caſtigare velle, & tunc ejus iram mediis opportunis orationum & pœnitentiæ placari debere.

Vid. Tab. XI.

EXER-

EXERCITATIO EPISTOLARIS

De mira dilatatione, & prolapſu Coli, ejuſdemque inflammatione, eroſione, ac necroſi, una cum prævia morborum, qui eam anteceſſerunt, quique eandem usque ad interitum proſequuti ſunt, abſolutiſſima Hiſtoria.

Ut inde vera cumularentur ſigna, quibus Dilatatio ipſa in poſterum dignoſceretur, ac recta cum methodo curaretur.

Communicata ab Ill. D. JOH. MAR. LANCISIO.

✽ ✽ ✽

JOH. MARIÆ LANCISIO,

Archiatro Pontificio, Viro Illuſtriſſimo, optimoq;
JANUARIUS JANNELLIUS, Archiater Romanus,
Salutem plurimam.

TAndem, Vir Illuſtr. illa quidem erant, (hoc mane inter noſtra Comitia, à me Tibi data) quæ renunciare conſtitui, & hactenus valui, de diuturnis, & acutis affectionibus, quibus divexata fuerat, & occubuit *Matrona præclariſſima BARBARA COLUMNA Conjux Illuſtriſs. Marchionis de Melchiorris*, eoque præcipue, quod mihi innueras, Te Scholia deprompturum jam eſſe ad ea plene, & accurrate, (uti ſoles) explicanda, quæ in exenteratione defunctæ ſunt obſervata; atque illa eadem ſunt, quæ examinanda, notanda, & corrigenda exhibui, & ultro plane præbeo; his propterea cum diſſectionem addiderim cadaveris, & quasdam ad principaliorem morbum ulterius perſpiciendum, fortaſſe non incon-

incongruas animadverſiones, ut magis, atque magis hiſtoria morbi diluceſceret, & firmaretur, Tu intelliges, me Tibi ſemel enarrantem, nunquam fere à dicendo fuiſſe deſtiturum, ea ratione potiſſimum, qua apud Te cum etiam animo diutius adfuerim, apud magnum virum diu manſiſſe viderer, à quo id temporis quamplurima edoctus, lætior demum diſcederem; & hæc ſane fuerant in cauſa, ut tam in longum protraherem inſtitutum ſermonem. Interim (quicumque is fuerit) corrigas, expungas, & ſi quid aliud Tibi videtur emendandum, caſtiges, ſed hac nos inter inita conditione, ut meæ hiſtoriæ Tua Scholia adnectas, quibus proinde ad meos hos qualescumque labores tantus honor pro Tuo merito accedas. Vale.

HISTORIA.

NObiliſſima mulier procera, & gracilis, tertio jam vidua, & quarto hinc Matrimonio Conjux, atque eapropter triplici ex viro, uno alium legitime ſubſequente, mater trium fœmellarum, & binorum marium, cum in rerum tanta viciſſitudine varias paſſa fuiſſet ægritudines, ſemper aut ſana evaſit, aut in melius abiit.

I. Et primo à *ſanguinis* ex utero *copioſa eruptione*, diligenter curata, confirmatur.

II. Inde *ex glandula* quadam in *mamma ſiniſtra* dureſcente, & tumefacta, ac ſuſpicionem *cancri* præ doloris ſævitia præ ſe ferente, etiam recta inſtituta curatione, ſanitati reſtituitur.

III. Dolore *Stomachi* ex ſenſibili, & enormi *aciditate* inibi turbas faciente per plures annos divexata, quibusdam adhibitis remediis, liberatur.

IV. Et hoc penitus ceſſante dolore, ac *quieſcentibus* jam *menſibus* (erat enim nata quinquaginta circiter annos) plurima indies levi *vertigine* corripitur, *Tuberculis* interim per frontis, & temporum ſpatia, adinſtar fere *gummatum gallicorum*, obortis, rite vero medicis præſidiis uſa, convaleſcit.

V. In-

V. Incidit demum (anno ſcilicet elapſo 1717.) in *dolores acerbiſſimos* abdominis, irruentes plerumq; ſub *Zonæ* forma juxta inteſtini *Coli* ſitum, & ductum, ac ſæpe ſæpius ſedem figentes paulo ſupra *pubem* ſiniſtrorſum, & propriè ad *Ilium* ſurſum, qui Tragœdiam hanc quaquaverſum exercendo, non alias cataſtrophen ſolvebant, quam *vomitu* primum, ac inde potisſimum *flatuum* per anum *exploſione*, & fæcum *egeſtu* utplurimum naturalium, at progreſſu temporis, uberis *muci* tum puri, tum cruenti, imo, & *ſanguinis* ejusdem grumefacti, & muceſcentis *excretione*.

Qui poſthac dolores diu obfirmati, & ſi quandoque per longa intervalla ſiſterent, attamen inde per vices recrudeſcebant ſub ſpecie *teneſmi*, vel fluxus *dyſenterici*, in cauſa hinc potisſima fuere, ut vir ejus, & filius, equites præclarisſimi, atq; Medicus ſoliciti fierent de ejus ſalute acrius obſervanda, & maturius reſtituenda.

Quapropter indicto, & coacto Medicorum Collegio, poſt exactam morbi hiſtoriam, hæc quæ ſequuntur ulterius relata fuerunt, videlicet:

I. Ægram longe melius ſe habere *lecto jacentem*, quam vel domi *ſtantem*, vel *ſedentem*, vel *gradientem*, imo commodius *pronam*, quam *ſupinam*, & mitius ſupra latus *dextrum*, quam ſupra *ſiniſtrum*: Secus enim dolores potius exſuſcitari, vel exacerbari.

II. Utplurimum (quamvis etiam convaleſcentem) ad egerendum & *proritari*, & *inhiberi*, ita ut non ſemel levi indigeat Clyſmate, quo guttri inferiori plene ſatisfiat.

III. Aliquando *turbine* flatuum ſub ſiniſtro lumbo antrorſum facto prehenſam, tum ſibi videri per pubem, & inguen *vortice quidquam rotari*.

IV. Univerſo vero hujus morbi tempore, nec de *capite*, nec de *ſtomacho*, uti olim ſolebat, conqueri.

V. Et quod notatu dignum eſt in mediis doloribus nunquam *febrire*.

VI. At ſæpe urinarum laceſſiri ardore, quæ cæterum ratione quantitatis, & qualitatis appoſite excernuntur.

VII. Et non raro in ipſo *Veneris* uſu ad uterum *moleſtiam fieri.*

VIII. Ante hunc morbum tamen aliquando tentatam fuiſſe *hæmorrhoidum* fluxu.

Decretum idcirco fuit, & maxime id exornante, & ſanciente ſuavi eloquentia, & ſubactisſimo judicio *Illuſtrisſimi Lanciſii.*

I. Morbum ſiſtere in *glandulis* inteſtinalibus *tumidis, infarctis*, & acrimonia corrivati laticis excernendi fere *abraſis*.

II. Ac in *hæmorrhoidalibus* quoque vaſis variè diſtentis.

III. Fortaſſe vero in quodam *Tuberaculo* pravæ indolis inter inteſtinum *rectum*, & *uteri* vaginam.

IV. Atque ortum, hanc duxiſſe affectionem ex iisdem cauſis, ex quibus jam olim, & dolores immanes in *mamma*, & in *ſtomacho* : & *vertigines* : & *extuberationes* quædam circa frontem, & tempora inductæ fuerunt.

V. Curandam igitur quamprimum eſſe diluentibus, & benignè purgantibus.

VI. Servata penitus victus ratione.

VII. Nihil auſcultando pasſionibus *animi*.

VIII. Et nullas adhibendo injectiones è medicamentis, ut dicunt, *balſamicis* paratas.

IX. Curationem vero maxime niti in uſu *juſculorum* ex lactibus vituli ſubrumi, & *myrobalanorum citrin.* in ſero caprillo infuſi; hæc aſſumendo lege artis diebus medicis, & recta cum methodo.

X. Et demum *Balnea* uſurpanda.

His ad unguem peractis, dici ſane nequit, quam levata fuit ægra Illuſtrisſima, ſed poſt binos menſes, cum muci iidem, & ſanguis, prævio jam levi dolore, iterum more teneſmi deturbarentur, eadem, quæ ſupra notavimus, præſcripta quidem

fuerunt

fuerunt Medicamenta, ſed neſcio, quo improbo caſu, non abſoluta.

Quamobrem dolores præfati recurrebant, etſi rarius, qui tantum oleo amygdalorum dulcium propinato, omnino miteſcebant; Quoad incidens nobilisſima ægrotans in alium *Medicum*, pertæſa morbi diuturnitatem, & ejus repetendi morem, ſe hujus conſilio ita commiſit, ut cum aquam *Avenæ* ſumme is commendaſſet, & diutine bibendam juſſiſſet, hanc ipſa ebibit alacriter, & ſpatio triginta & ultra dierum, nec doluit unquam, nec craſſamenta, ſive glutina cruenta unquam excrevit.

Eo temporis intercidente, cum, felicitate remedii ſibi geſtiret, & forſan de jam triumphato morbo gauderet, erumpunt ſine cauſa manifeſta ipſisſimi, qui ſupra, dolores per loca, & ſitus deſignatos pesſime divagantes cum alvi ſtypticitate; atque hinc principium ſibi arripuit morbus extremus, quo ægra decesſit; Injecto eapropter, ipſoque primo die, *clyſtere*, licet nihil evocaretur, iidem tamen dolores ſedari videbantur.

2. Die egeſtio nulla, & forte fortuna odore Ambræ ſuſcepto, *turbæ multæ*, *ructus*, *nauſea*, *colicæque* moleſtiæ exaſperantur.

3. Idcirco levis *febris* accedit: Tenſio quædam ad hypogaſtrium ſiniſtrum: Urinarum color rutilans: Flatuum tum ore, tum ano tenus excluſio; Bibitur oleum amygd. dulc. ad ℥iiij. & immittitur clyſter, quæ nullam penitus cient ſedem; Rurſus veſperi propinatur oleum, ſed fruſtra; Dolores enim magis, atque magis ingraveſcunt, comitantibus aut una ſimul, aut vicisſim amaritie in ore ſumma, *ructu* plurimo, crebroque ad *vomitum* impulſu.

4. Mire ad *vinum* inhiat ægra, febrit iisdem doloribus detenta: ſitit: minime dormit, vel parum: Quatriduo jam nihil egerit: Ex ſede mittitur ſanguis.

5. Supervenit vomitus paucæ materiæ tenacisſimæ, & propemodum amaricantis: Diminuuntur lotia: Et *quamvis*

fæces contumaciſſimè retinentur, crepitus tamen ventris emittitur. Devorantur interea pilulæ ex aloe, & laud. op. ac Balneum adhibetur. Omnia incaſſum, imo in medio Balneo leviſſimus ſubrepit animi defectus.

6. Mercurius crudus exhibetur ad ℥viiij. qui cum nihilum fæcum detruderet, denuo ad ℥vj. aſſumitur circa veſperas, morbo tamen manente eodem, quamvis, & fotus quoque, & unguina quamplurima applicarentur, ſicut & inteſtina calentia vervecis jam jam enecti, & plura neruina, antihyſterica, ceteraque ſimilia uſu haberentur.

7. Frigida ebibenda commendatur, & niſi contentiosè, uti antiqui ſolebant, ſaltem ubertim; ſed Cyathus tantum unus experimentum ſubit, quia novæ febris ingreſſu, & timore adſtantium interdicitur; Mordacisſimum nihilominus, declinante die, intruditur ſuppoſitorium, quo fæculæ quædam perpaucæ inſtar cretæ albidæ, & compactæ diſtrahuntur, atque tum aër ſub crepitus forma exantlatur. Hac arrepta occaſione Chirurgus in inteſtinum rectum, immiſſo digito, aliquid *gibbi, tortuoſi, & duriuſculi* illac intro obſervari, ajebat, & eadem perquiſitione in vagina uteri adhibita, nihil eidem uſu venit morboſi.

8. Omnia in pejus: *Tympanitis* ex nimia intumeſcentia corporis, tenſione, & reſonitu ad pulſationem: Linguæ ſiccitas: Sitis moleſta: Dolores acerbisſimi: Urinarum crasſities, atro-rubor, & mirabilis parcitas: Crebra ſpiratio: Vomituritio, aut inanis, aut ferme cujusdam levis ſalivalis lymphæ.

9. Miteſcunt dolores, & prope evaneſcunt; refrigerantur extrema; pulſus parvi.

10. Mors.

Jam Matronæ ſelectisſimæ qui adſtiterant Medici una mecum Illuſtrisſimus Lanciſius, Virique Clarisſimi Paſculus, & Arnò mei exoptatisſimi Collegæ, & D. Severinus in tam diro morbo explicando, & curando, eò maximè vertebant, ut *binis Quæſtionibus* huc apprime facientibus obviam præ aliis irent:

Et

Et primæ, videlicet: An *morbus hic*, ſi qui eſſet, *primordia, & fundamenta deſumeret proxima ſane ex teneſmo, vel fluxu dyſenterico antehac diu habito, & poſtmodum per menſem abolito*, & uno verbo: An ſit *morbus morbi*. Et alteræ: *An ſtypticitas, & obſtructio tam contumax alvi ſit affectio primaria, an vero effectum quoddam ex morbo alio tam dire divexante, exurgens.*

Quibus cum prompte ſatisfeciſſent, maximeque ex his quæ multa ad rem congesſit, & eloquutus fuit celeberrimus Lanciſius, ita primæ reſponſum fuit:

Affectionem iſtam nempe, vere ſobolem eſſe Teneſmi, vel fluxus dyſenterici, & neptem (ut ita dicam) Cardiogmi ex ſatientisſima aciditate producti, quinimo Tuberculorum circa frontem in vertiginoſis anomaliis, & glandulæ potisſimum illius in Mamma ſub cancri forma vitiatæ; Ita ut quod olim vel obtentu *Tuberculorum*, vel ſi mavis, *gummatum*, vel ſpecie *cancri* coactum fuit, illud idem in caſu noſtro tanquam quodam modo *carcinoma* hac, illacque inteſtinorum diſcurrens, hic fodicaret, illic arroderet, & ſub cruoris, mucique larva criticè excluderetur; Remorato igitur hoc effluxu utili, & critico, quod primum ſecernebatur, inde *concretum*, hunc, quem obſervamus, morbum produxit; Non ſecus fortaſſe, ac *hæmorrhoides* fluere ſolitæ, ſi intercipiantur, in periculoſisſimas degenerant affectiones, ac *cauteria* quoque imprudenter ſanata, & *efflorescentiæ* cutis diuturnæ deterſæ, & ablatæ in maximum vitæ diſcrimen ægros ducunt.

Alteræ vero inſtantiæ ſic dicebatur: Stypticitatem profecto alui, effectum eſſe morbi cujusdam in inteſtinis ferocientis, ſiquidem his ipſis propè doloribus, quibus jam cruciatur ægra, olim ſane conflictata fuit, nec unquam venter tam alte fuit ſtipatus, ita ut nec fæces, nec muci, & ſanguis, aliàs excerni ſoliti, erumperent, dempto vero *flatu*, qui etiam invita tam arcta, & contumaci alvi clauſura, aliquando *emittitur*. Idcirco fæces easdem non invincibili tenacitate, & denſitate

retineri, ſed coarctatis, vel diſtractis membranis, aliisque fibris muſcularibus, id eveniſſe, fatendum eſt, & fortaſſe ex glandulis eorundem infarctis, eroſis, & inflammatis, utpote, quæ de facili ex antecedente fluxu dyſenterico nuper remanente, & cohibito, id vitii contraxiſſe poterant, uti utplurimum ſolent.

His, & hujus generis aliis per quoddam dicendorum præludium ita perpenſis, & explicatis, ſpecialisſimè poſtea judicatum fuit:

I. Morbum Generoſiſſimæ Matronæ eſſe *Inflammationem*.

II. Et proprie Inteſtini *Coli*: propriiſſime vero *Glandularum ejus*.

III. Exuſcitatam ex *liquamine* illo eodem retento, quo antehac vires & formam nanciſcebantur fluxus *Dyſentericus*, & *Teneſmus*.

IV. Cui fortè acceſſerit *tuberculum* quoddam *pravum* inter vaginam uteri, & inteſtinum rectum *phlogoſi* quoque tentatum.

V. Atque hinc *alvum* pertinaciſſime *obſtrui*,

VI. *Volvulumque* ante fores eſſe,

VII. Et *Gangræna* demum *deperituram* Ægram.

Licet & *mecum* ipſe, & *coram* mirari non deſtiteram, morbum jam *volvulo* propiorem, nondum *vomitu* quodam enormi notari, nec adhuc *flatuum* ventris *eruptionem interclusiſſe*.

Sectio Cadaveris.

Hinc luſtrare interiora cadaveris requiſitus, & paratus experientiſſimus Chirurgus, & amicus meus æterno colendus *Petrus Cyconi* vix in abdomen *ingentis* more *tympanitis* protenſum cultrum adegit, cum flatus, & fæces temere erumpunt, & diſſiliunt.

Atque eo poſtmodum latius aperto *in conſpectum* venit inteſtinum *Colon* per omnem ejus ductum *dilatatiſſimum*, & graveolenti *ſtercore* diſſoluto effertum.

Itaut

Ita ut, cum occupaſſe videretur *totam* fere imi ventris *capacitatem*, ſesquialter hinc ventriculus, latitudinis ratione, appareret, & cogeret ſub *jecinoris* lobis *omentum*, & *ventriculum* ipſum.

Nigricans inde quaquaverſum, & facile, ſi leviter attractaretur, diffluens.

Maxime vero diſtentum, & prolapſum, ubi duplici flexura repandum, *recto* annectitur.

Et hic quaſi in *utrem* faceſſentem, tum totum *mercurium crudum* aſſumptum continebat, tum *excrementa* ad lib. X. *fœtidiſſima*, & *fluidiora* iis, quæ in ſuperiori *colo* claudebantur.

Quo factum fuit, ut in *imum* abdominis *altius conſidendo*, ita *Rectum* verſus, urgeret *Uterum*, ut illud, & *nimis anguſtum*, & *ſumme reflexum* inveniretur.

Reliqua tamen inteſtina, & *cæcum* præcipue nusquam alterata, præterquam, quod gracilia fuſci coloris videbantur eſſe, & eorum ordinatisſimæ circumvolutiones paulo perturbatæ.

Unde ventriculus mole forſan parvus, venas in ejus cavo promebat, duplo, quam ſoleat, crasſiores.

Lien vero, hepar, & renes optimè conſtituti.

Uterus nulla labe infectus, ſed circa fundum duriuſculus, & in ejus cavitate exiguus polypus.

Pulmones dextrorſum adhærentes.

Cætera ſana.

Animadverſiones.

QUa anatome accuratisſime peracta, duplex ſtatim innotuit morbi ludificatio, quod ad nos attinebat:

Prima quidem *ex nullo etiam invento veſtigio tuberculi*, quod inter *vaginam uteri*, & *rectum* ſtabulari, licet hæſitanter aſſerebamus.

Altera

Altera ex *tam præcipua*, *&* *ampla inteſtini Coli dilatatione*, de qua ne verbulum quidem unum à nobis jam prolatum;

Sed monſtra in Medicinæ praxi etiam, atque etiam fieri quis negabit? Et quis inficias ibit in his perſpicatisſimos quoque viros illudi?

Quamquam ut Medicorum ſedulitati, imo veritati aliquid potius referam, quam concedam, tria revera in diſſecto cadavere adinuenta ſunt, quæ palam aſſeverando pronunciarunt mei doctisſimi Collegæ, & præcipue ſapientisſimus Lanciſius: *Inflammatio* ſcilicet *Coli*: *Ejus gangræna*: *Et devaſtatio*, *eroſioque glandularum ejusdem.*

Quæ ſola duntaxat apud quemcunque etiam ſeveriorem Judicem abunde ſufficient, ut jus ſcientiæ Medicæ à quavis illiberali ſuſpicione vendicaretur.

Siquidem per *eroſionem glandularum inteſtinalium* ſat ſuperque evincitur, & explicatur *morbus habitualis* Defunctæ: Per *inflammationem inteſtini coli*, novisſima *affectio*: Per *gangrænam* mors; quæ omnia uti recte à Medicis perſpecta, & prolata fuere, ita in anatome *cadaveris* ſunt obſervata.

An ver è re ſit DILATATIONIS hujusmodi SIGNA hic, illicq; ſparſim notata, iterum percurrere, & in *ſeriem* quandam cogere, qua proinde veluti *norma* præberetur DILATATIONEM ipſam inteſtinalem proprius dignoſcendi, ſerio *ſapientiores* dijudicent, atque hinc neceſſario decernant, an hac ſedula deductione futurum ſit, ut tanti morbi *prognoſis* etiam, aut *judicium*, aut forſan CURATIO non amplius lateat, cum apud authores, quos jamdum mihi legere licuit, prope altum ſit de eo ſilentium.

Nihilominus ſi his prudentioribus perinde placeat, & neceſſarium exiſtimetur, ut id ob oculos ducatur, advertant quæſo, ne hic agi putent de qualibet cujusvis *Inteſtini* DILATATIONE, ſed de ea ſolum, quæ ad COLON ſpectat, & præcipue ubi ad *Rectum* incurvatur: & de ea itidem *abſoluta*, & non *incipiente*; imo de ea uti *ſejuncta* ab *inflammatione*, aut alio

alio *morbo* ſuperaddito, quandoquidem de his, aut ſimilibus *complicatis*, & *inchoantibus morbis*, alia eſſent commemoranda *ſymptomata*, quæ ad rem, cui incumbimus, fortaſſe nihil faciunt, vel penè redundant.

Ulterius proſpiciant etiam, ne *indicia* narratæ DILATATIONIS *ſeorſim* accipiantur, ſed omnia (ſi quæ ſint) *collecta* habeantur in *unum*, eo ſane modo, quo ex quinque ſignis ita aggregatis *pathognomonice* denotari voluit Pleuritidem eloquentisſimus Galenus.

Signa igitur talis, & non alius, *ſolius* nempe, non *complicatæ* DILATATIONIS, hæc ſunto, prout verè extiterant in ægra jam defuncta.

I. Proritatio continens ad egerendum.

II. Et eodem tempore ſtypticitas alui.

III. In ipſa contumaciori fæcum retentione, *crepitus* ventris emisſio.

IV. Dolor alte inſidens in fine *hypogaſtrii* ſiniſtrorſum, & ſurſum vergens.

V. Flatuum iſthac præcipua *irruptio*, & *vortex* ægræ ſenſibilis, ac potius *incepta*, & non abſoluta, quàm *retardata* exploſio.

VI. Mitigatio doloris magis in *lecto* quam aliàs, & magis cum *prone* decumberetur, quam cum *ſupine*, ſicut & magis cum *ſupine* quam cum ad *latera*, & magis cum ad latus *dextrum*, quam cum ad *ſiniſtrum*.

VII: Moleſtia in *Veneris uſu*.

VIII. Creber conatus ad vomendum vigente dolore.

IX. Eructatio fere indeſinens etiam in minus adverſa valetudine.

Hac notarum ſerie ſimul ſumpta utrum *ſpecifice* deſignetur morbus, de quo agitur, videant doctiores, qui cæterum cum ex Philoſophia medica meminerint uſum inteſtini *Coli* optime conſtituti, atque ejus *ſitum*, *ductum*, & *connexiones*, facile mecum perinde facient, ut hiſce ſignis ſic *collectis* pro-

babilisſime ſaltem, niſi præcipuè, affectio hæc arguatur, & demonſtretur ; Et nos ſane rationes ex ipſa anatome depromptas in medium perquam libenter duceremus , quibus ſymptomata hæc omnia ad DILATATIONEM ulterius ſignandam, explicarentur, niſi jam hoc penſum ſibi aſſumpſiſſet doctisſimus Lanciſius, Medicorum vere Coryphæus, cui merito mentem, ſuſpenſo calamo, remittimus.

Attamen animadvertendum penitus eſſe putamus *Teneſmum* illum vel propriè fluxum *dyſentericum* antehac diu habitum, veluti *principium*,& *complementum* affectionis hujus,utpote, qui omnem anſam aperuit *erodendo*, & *lacerando* DILATATIONI hujusmodi producendæ, quandoquidem nos non fugiunt *aneuryſmata*, quæ prorſus, & plane in tali dilatatione conſiſtunt non aliàs utplurimum fieri, quam ex *carie* quadam, ut ita loquar, *membranas* depaſcente, vel depaſta *arteriarum*.

Nec te moretur ſcrupulus quod fortaſſe *Dilatatio* ipſa potuit quidem produci etiam derepente & ultimo, diroq; morbo jam relato, exemplis iis plane ductus, quæ Blancardus, Platerus, & alii commemorant inteſtini *coli* late *tumidi*, & maxime *explicati* ſine hac peculiari idea antecedentis DILATATIONIS , quia etſi promptisſime fateamur , id minimis momentis evenire poſſe, & quandoque revera eveniſſe , tamen cum ſigna hanc *coli* divulſionem denotantia in noſtro caſu longo ante temporis intervallo diu præceſſerint, imò proximis extiterint ſuperioribus menſibus, fidentisſime idcirco aperimus aliter quidem DILATATIONIS hujus negocium proceſſiſſe, quam quod ex novisſima ægritudine primordia arriperet.

Etenim *turbo* ille *flatuum* & *vortex*, in locis, & per loca deſcripta, notatus, quid aliud demum ſubindicare valuiſſet, quam *capacitatem* iſtam *enormem* inteſtini *coli* ? Et fibrarum, ejus motui inſervientium, *imbecillitatem* ? Utpote quibus aër per tubos anguſtiores, nempe per inteſtina ſaniora detruſus,

cum

cum in ampliſſimum intervallum ſpatiari debuiſſet, difflaretur more *turbinis*, & ratione poſtmodum earundem fibrarum, *tono* carentium, tanquam ſtagnare, urgere, & præpediri coactus in *verticem* abiret?

Ecquid magis ſignari potuiſſet à commodiori decubitu illo ægrotantis (cum dolore detineretur) in *lecto*, quam ſecus, & hic in abdomen incumbens, quam ſupra dorſum, imo ſupra latus dextrum, quam ſiniſtrum?

Quid etiam penitius oſtendiſſet DILATATIONEM coli, quam *fæcum* pertinax *retentio*, & eodem tempore *flatuum excluſio*?

Hæc quidem, & alia, quæ ſagaciſſimus Lanciſius recolet in expoſitione hiſtoriæ, & eventus hujuſmodi morbi, jam erant, & extabant binis, & ternis antea menſibus, quam ægra peſſime decumberet, & hinc vita concederet.

Quinimo ipſa moleſtia in *utero* qua ægra in admiſſione ſui viri (ut ne id etiam prætercam, quod maxime per ſeſquiannum, quo valetudinaria vixit, notabile fuit) talem proculdubio deſignare poterat coli morbum, quoniam vaginam *uteri* nulla labe temeratam invenimus, nullo & tabo prehenſum inteſtinum *rectum*, ſed tantummodo in ipſo aperto cadavere ingentem COLI DIDUCTIONEM, & PROLAPSUM, quo rectum idem flecti, & ſumme incurvari compelleretur; Atque hinc patet, renunciationem *cordatiſſimi Chirurgi* CESCONII de *recto* inteſtino explorato, dum adhuc in vivis eſſet ægra, quod ſcilicet aliquid haberet *gibbi*, *flexuoſi*, & *ſubduri*, fuiſſe accuratiſſimam, & quantum res expoſcit, aptiſſimam.

Sed quid demum dicendum de eo, quod per *menſem integrum* bene ſe habuit ægra ante noviſſimam, & lethalem affectionem, rite ut ſolet, proſpiciat ſapientiſſimus Lanciſius, qui ſane per Hippocratica *poſtulata*, & anatomicas *veritates* tutus incedendo, hoc, quod videtur difficillimum *phænomenon*, in aperto ducet. Nobis interea ſatis ſit, ſicut vere ſatis eſt, hiſtoriam morbi hactenus duxiſſe abſolutam (ſi modo

tanti habenda fuerit) & quæ notabiliora, & veriora extiterant, facile, & forſan non longa ſerie commonſtraſſe.

Ex meo Muſeolo apud Amplisſimos Falconerios
XV. Kal. Januar. M DCC XVIII.

Argumentum.

Excuſat reſponſi tarditatem: Scribit Scholium ſuper rariſſima hiſtoria DILATATIONIS ac PROLAPSUS Coli cum pertinaciſſima alvi adſtrictione: Agit de modo quo inteſtinum dilatatur, & prolabitur: Cur propinato avenæ decocto ſymptomata remiſerint: Cur malum in Iliacam affectionem non deſiverit: Quæ tandem remedia cum fructu adhiberi potuerint.

Viro Doctiſſimo, & noſtro Archiatrorum Almæ Urbis Collegio digne, meritoque nuper adſcripto

D. JANUARIO JANNELLIO.

JOH. MARIA LANCISIUS, S.P.D.

OCcupationem mearum inter natalitia *Salvatoris noſtri* Feſta tempora, partim in accipiendis, partim in reddendis, qua coram, qua per literas, moleſtisſimis officiis, hoc ſignum erit, quod ad hodiernum usque diem Tibi, *Clariſſime Jannelli*, reſponſum dare diſtulerim: Si quid enim expedire ſatagebam, illud certe fuit, ut ſumma tua eruditione provocatus, mandatis pariter tuis libenter obtemperarem; At quia ut latine loquentes, præteritis verbis uti convenit, ita vivere moribus præſentibus; idcirco ſpero, à Te veniam hujus dilationis facile impetraturum.

Sed,

Sed, ne in prooemio plus temporis, quod interdum accidit, quam in ipſa diſſertatione teram, fateri ſub initium cogor, Te, dum materiam lucubrandi præbes, una ſimul argumentorum partem ad concinnandum rarisſimæ hiſtoriæ Scholium mihi præripere: Adeo enim diligenter morbi narrationem inſtituiſti, ac tam ingenioſe, periteque cuncta rimatus es, præſertim vero quæ ad *pathologiam*, & *ſemioticam* ſpectant, ut omnem pene excogitandi, dicendique fontem exhauſeris; Nihilominus meam qualemcumque operam in *ſpicilegio* ſaltem collocabo, illudque in quatuor veluti *manipulos* dividam.

In primo quidem cauſam *immanis* adeo *Coli* DILATATIONIS per Te jam ſatis adumbratam ſcrutabor, ac pro virili parte explanabo.

In 2°. perſequar, quod præ cæteris flagitas, ſcilicet, quamobrem integrum menſem ante novisſimam lethalem affectionem ægra utcunque bene ſe habuerit.

In 3°. inveſtigabo: Cur malum hoc in *Iliacam* affectionem cum fæcum *vomitu* non deſiverit.

Denique expendam, qua ratione quæ adhibita fuerunt remedia præcipue autem hydrargyrus nihil profecerint; Contra vero quænam utilitatem forſitan aliquam ſaltem ad producendam vitam afferre potuiſſent.

Tecum ſentio, ut à primo exordiar, Amicisſime *Jannelli*, majorem incredibilis animadverſæ DILATATIONIS *Coli* partem acceptam fuiſſe referendam ſuccis acribus, atque erodentibus, qui, ut olim fluxiliores, mobilioresque (vigentibus bonis ætatibus) huc, atque illuc divagantes in utero *hæmorrhagias*, in mammilla *dolentem tumorem*, in ſtomacho moleſtum *acorem*, in cerebro leves *vertigines*, atque in fronte, temporibusque deſcripta *tubercula* intulerunt, ſic, ante annum, molles magis, atque viſcoſi ſub *ſenium* facti, ad craſſa inteſtina, *colon* nimirum, ac *rectum* decubuerunt, eorumque non *glandulas* modo, internamque *villoſam tunicam* paulatim excedendo, *dyſenteriam*, ac *teneſmum* excitarunt, verum etiam

 ipſas

ipſas *muſculares* eorundem inteſtinorum *fibras* pungendo, leniterque diloricando, eousque labefactarunt, ut diſſoluta, enervataque contextus illius firmitate, ac robore, *coli* tubus *flatibus* primum ad extra urgentibus, deinde collectis quoq; plus juſto fæcibus, diſtractioni non ſatis reniti potuerit, ac propterea cedere ſenſim, ac dilatari debuerit.

Ne quis autem putet, aërem à fermenteſcentibus inteſtinorum ſuccis extricatum, atque in *colo* interceptum, eam vim exerere non poſſe, ut illud circumquaque extrudendo in peramplam capacitatem valeat diſtendere, operæ hic pretium viſum mihi eſt, gravisſimum Fernelii teſtimonium adjungere, qui ſcribit: *Se non paucos diſſectione animadvertiſſe, quibus COHIBENDI FLATUS CONSUETUDINE Colon ad BRACHII AMPLITUDINEM dilatatum fuerat.* Tu vero, qui apud Nob. Matronam diu Medicinam ſumma cum laude feciſti, me quidem explanatius habes, illam *flatibus* vehementer obnoxiam fuiſſe, debuiſſeque, ut decori, officioque ſuo conſuleret, illos plerumque in Illuſtrium Mulierum cœtibus, aliisque publicis locis *continere*. Neminem autem latet, mi *Jannelli*, *flatus* quoties magna copia ab heterogeneis fæcibus, cruentoq; muco dısſiliunt, *coli* parietes non *elaſtica* dantaxat *virtute* quaquaverſum impellere, atque extrudere, ſed SULFUREIS quoque SPICULIS pungendo, fodicandoque dilacerare; Crepitus enim ſi, cum redduntur, forte fortuna admoto podici igne excipiantur (ut apud pueros, quibus condylomata uruntur, interdum accidiſſe ſubridendo vidimus) in fœtidisſimam flammam abire ſolent.

Legimus pariter apud M. Aurelium Severinum in diſſecto homine, qui ex diuturno *coli* dolore deceſſerat: *Sic ample turgens, & inflammatum inventum fuiſſe inteſtinum, ut OCREAS itinerarias magnitudine ſuperaſſet. Venter autem antequam diſſecaretur hydropis in modum elatus erat qui ſubito flatus* (ut in noſtro caſu) *ad cadaveris inciſionem exultu ſuo fragorem edidit, adminiſtro pungenti terrificum.*

Hiſto-

Hiſtoriam non abſimilem narrat *Schenckius* ſibi à Franc. Tidiceo communicatam, cujusdam videlicet *gravidæ*, quæ *mira alvi adſtrictione* correpta in ſævisſimos *colicos dolores* incidit, & cum, à Partu non detumeſcente ventre, obiiſſet, ſecto cadavere obſervatum fuit *Colon inteſtinum* ſua ſede pulſum, gangrænoſum, & ad CANTHARI AMPLITUDINEM fæcibus infarctum. Vides itaque, *Præſtantiſſime Vir*, quam affabre noſtro extiſpicio aliorum etiam experimenta reſpondeant.

Ratio autem quærenda nunc ſupereſt majoris DILATATIONIS cum aliquo PROLAPSU illius *coli ſectionis*, quæ cum *recto* continuatur; In hac enim, veluti in peramplo marſupio *Mercurium* una cum *multis* liquidarum fæcum *libris* congregatum, retentumque fuiſſe ſpectavimus.

Certum porro eſt *teneſmum*, qui noſtram diu Matronam vexavit, idcirco fæcibus, ſuccisque in extrema *coli* parte contentis tranſitum, utplurimum omnino præcludere, atque intercipere, vel ſaltem multum morari, ac retardare, quia *rectum* inteſtinum, in quo ſedem ſuam figit, ſuperne ſemper coarctatum, conſtrictumque retinet per convulſionem quarundam fibrarum, quas ut noſti Vir Clarisſime, validiores ſub *utero* apud Mulieres, & ſub *veſica* apud Viros, natura eidem *recto* largita fuit; Ob adhibitum itaque asſiduum *conatum* tam Diaphragmatis, quam *Muſculorum* omnium *abdominis*, & *Lumborum* ad frequentem, adverſantem, repugnantemque in diuturno *teneſmo* egeſtionem, neceſſario inteſtinum *Colon* ab *Epigaſtrica* verſus *Hypogaſtricam* regionem violenter urgetur; Et quoties accidit (quod in hac Matrona accidiſſe probabilisſimum ducimus) ut læva *coli* pars, quæ jam ſuis de ligamentis verſus ſiniſtri *Ilii* regionem laxe dependet, aliquanto laxius iisdem adhæreat, tunc per *impetum*, *niſum*que ſupernum facile ad caſum, ac deſcenſum prona fit? Neque novum ſane eſt apud *Obſervatores* multorum *viſcerum* inductum aliquando fuiſſe PROLAPSUM: *Præcordia* certè, inteſtinum *rectum*, *omentum*, *uterus*, *veſica* ipſa *urinaria* non raro laxatis *ligamentis* in-

fernus

ſerius proruerunt. Quinimo aliquot abhinc annis vidi in Nob. Anglo gracillimæ texturæ (qui ex diutina, diraque *Dyſenteria* cum *teneſmo* ex perperam propinatis *Mercurialibus* orta, deceſſit) omnia *inteſtina* cum tenuia, tum craſſa ad anguſtam *hypogaſtrii, pubis*que ſedem depulſa.

Illud autem in noſtra Matrona fidem veritatis, niſi ejusdem *viſcera* oculis luſtraſſemus, exuperaret, quod ejusmodi *coli* PROLAPSUS, ac DILATATIO omnem excludendarum fæcum facultatem ademerit; Attamen quæcumque ceſſabit admiratio, ſi duo attente conſideremus, *acutiſſimum* nempe primo loco *angulum*, quem COLON cum RECTO efficiebat, necnon *mutuam preſſionem*, quam ſibi invicem inferebant *contenta* in depreſſo *colo* cum *uteri* fundo, atque utraque hæc corpora cum inteſtino *recto*, cujus proinde membranæ partim plicatæ, partim compreſſæ, quodcumque iter fæcibus præcludebant: Fæces enim quò magis congerebantur in *coli* fine, eo magis recti principium comprimebant, coarctabantq́; Hoc ſane à peritiſſimo *Chirurgo* per immiſſum digitum intra ægrotæ podicem, ignorata licet cauſa, ſatis tamen perceptum fuerat. Deinde ſi mentem flectamus ad enervatam *periſtalticam* virtutem ipſius *coli*, eroſa enim, diloricataque fibroſa ejus textura gracillimum evaſerat, rationem proculdubio inveniemus, cur vim ſeſe conſtringendi amiſerit, *renixumque anguli* & compreſſionis inteſtini *recti* pro extrudendis fæcibus ſuperare non potuerit.

Ad ſecundum quod ſpectat quæſitum, quî ſcilicet factum ſit, ut Nob. Matrona integrum menſem ab excretione *cruenti muci*, forte etiam à *ventris doloribus*, inſido ex AVENÆ AQUA accepto beneficio, immunis degerit. Profecto ad hujus ſolutionem meminiſſe oportet, *Vir Doctiſſime*, ſciſcitantibus nobis ab ægra, dum adhuc viveret: an *ex hauſto illo potu*, *LOTIUM eidem uberius redditum fuiſſet*, eam ſubito reſpondiſſe: *Utique urinam ſibi maxime adauctam.* Jam vero, *dulciſſime Jamelli*, video, Te difficultatis enodationem antevertere,

vertere, nimirum probe intelligere laticem illum cum partim ſales diluere, partim etiam urinas ciere, ac dolores compeſcere ſoleat (quamobrem ſacculi ex ejus farina parati, atque umbilico admoti laudantur in colica) laticem, inquam, illum idoneum fuiſſe ad quoquomodo ſenſim cicurandam inteſtinalis *muci* acritudinem, ad ſubtiliorem ejus portionem per URINAS derivandam, relicta, coactaque ſecundum inteſtinorum parietes crasſiori parte, quæ tum demulcere, ac temperare ſales acres, tum obſtruere, & ſubaſtringere *fiſtulares ſinus* in eorum *glandulis* apertos valuit. Neque ſane novum eſt AVENAM tum lotium movendi, tum alvum adſtringendi vi pollere: nam legimus apud Simon. Paullum 30. annis à ſe inter arcana ſervatum fuiſſe Balneum paratum ex AVENÆ decocto, pellendis ſcilicet calculis, ciendisque urinis valentisſimum, & apud Bauhinum eandem AVENAM aliquid adſtrictionis habere, ut etiam alvi fluxionibus proſit.

Quid? quod *vulnerarias* aliquot herbas veroſimile eſt vel incoctas, vel infuſas cum AVENA fuiſſe: Nam non video quomodo annua *dyſenteria* tam citò, quamquam fallaci, fucoſæque medelæ cedere potuerit. Non enim *flatus*, *borborygmi*, & recurrentes abdominis *tenſiones* tunc temporis moleſtare illam deſiverunt, ut Nob. Matrona mihi narravit. Pasſim vero comperimus in *ſinuoſis ulceribus*, ut admoto *alcalico* pulvere, vel *epulotico* Medicamento, exterius quidem falſa *cicatrix* obducatur, indeque inopinato æger ſe convaluiſſe putet, cum tamen doloſo cineri ſubjectus ignis, majori tandem cum detrimento erumpat; Itaque non dubito, quin Nob. Matrona AVENÆ decocto ſub emolumenti ſpecie inſignem perniciem acceperit.

Atque hinc, mi *Jannelli*, utilisſimum, & ad hominum vitam tuendam, MONITUM colligamus, *antiquas*, ſcilicet, *affectiones*, *quæ pejora prohibent mala*, *poſt* 50. *præſertim annum*, *non eſſe coercendas*, *ſupprimendasque*: Non enim *Hippocratis* documentum de inſtituenda *occultorum cancrorum* curatione,

quia curati citius interimunt, reſpicit *mammarum* duntaxat, vel *uteri carcinomata*, ſed omne genus malorum complectitur, quod ad *fiſtulas*, & *decubitus* utcumque ſalutares referri poteſt; Etenim alibi ſcriptum reliquit divinus *Cous*: *Fiſtulas, hæmorrhoides, varices, atque inveterata ulcera aliorum morborum eſſe medelas;* Præclare itaque Ballonius docet: *Eos de ægris male mereri Medicos, qui indicatione à morbo ſumpta aliquatenus de ſupprimendis effluviis cogitant: Non rati periculoſam eſſe ſuppreſſionem ejus fluoris, qui multos annos ægrum occupavit.* Quamobrem ſi, Deo propitio, longius mihi vitæ ſpatium producatur, ſcribere inſtitui (ſylvam enim paratam jam habeo) tractationem *de non curandis humani corporis ægrotationibus.* Certe illuſtre hujus argumenti exemplum erit clara hæc Matrona, quæ ſi non cogitaſſet de temere, imprudenterque ſiſtendo dyſenterico fluxu, ad extremum forte ſenium perveniſſet, potisſimum adjuta iis *Emeticis*, de quibus inferius; boni enim habitus, & coloris, tametſi eo malo vexata, ſpectabatur.

Hactenus prolixius forte, quam oportuit, videbor dixiſſe, *Jannelli* Clarisſime; nunc reliqua, quantum res ipſa patitur, brevibus expediam. Et quidem idcirco noſtram ægram fæces per os, compreſſo quamquam vehementer inteſtino *recto*, nunquam reddidiſſe arbitror, quia univerſum *colon* ob eroſam fibrarum texturam, tùm enormiter AMPLIATUM, continendis iisdem recrementis capax erat, tum ob infractum, enervatumque tonum nulla ratione antiperiſtalticum motum poterat exercere; Neque propter aliam cauſam, quam ob enervatam periſtaltici motus vim, extrema *coli* pars ſeſe contrahere, fæcesque verſus anum trudendo, objectam in *recto* anguſtiam ſuperare non valuit. Non miremur itaque, quod *colon* minorem facultatem ad illas inverſo, ac præternaturali ordine ſurſum adigendas habuerit, cum & *Bauhiniana valvula*, & pondus ipſarum fæcum, addito *graviſſimo* præſertim *Mercurio*, admodum obſtarent.

Atque

Atque hinc priorem quoque poſtremi Quæſiti partem nullo negotio ſolvi poſſe, niſi quid me fallit, putarem, cum enim Hydrargyrus propinatus fuerit divulſis jam, laceratisque fibris totius *coli*, atque inteſtino *recto* in *acutiſſimum angulum* inflexo, neceſſum fuit, ut extrema ejusdem *coli* pars, quæ veluti in ſacculo eundem excepit, ab incumbente illius pondere inferius, atque ulterius DILATARETUR; Quamobrem ſi poſt factum eſſet conſilium, certe ab hoc remedii genere abſtinendum fuiſſe cenſeremus; ſua enim *gravitate* plurimum nocuit, cum extremam *coli* ſectionem ad *uteri fundum* magis detruſerit, ac pertinacius retinuerit.

Supereſt modo enodanda altera pars difficultatis poſtremi quæſiti. Porro triplex *præſidiorum* genus, ſi rem infectam nunc haberemus, uſui futurum exiſtimarem. Primum *radicem Ipecacoanhæ* ſingulo ſaltem menſe, doſi ℈ij propinandam, ad cohibendum, ſcilicet, *dyſenteriæ*, & *teneſmi* progreſſum; Hæc enim ſpecificum hujusce morbi pharmacum noxios inteſtinales ſuccos ab *affectis locis* revulſiſſet, & quam longisſime per regiam oris viam eliminaſſet; Quod ſane remedium tutisſimum æque, & valentisſimum ſæpe ſæpius in his caſibus experti ſumus.

Secundum ad prohibendam enormem *coli* diſtentionem, flatusque per inferiora abigendos, *abdomen* arcta *faſcia* perpetuo conſtrictum detinendum judicarem. Hoc quidem in noſtris ægrotantibus ad antevertendos recrudeſcentes *coli* dolores magno levamini fuiſſe comperimus; Nam cum *caput*, & *pectus*, quorum capacitates, ac ſinus ab Anatomicis *ſuperiores ventres* dicuntur, *oſſibus* quaquaverſum muniantur, cuſtodianturque, ſolum vero *abdomen* majori ex parte, anteriori præcipue, ac lateralibus ad neceſſarias corporis inflexiones *oſſeo* munimine ſit deſtitutum, propterea in morboſis, ac vehementibus contentorum viſcerum *diſtractionibus*, atque *extruſionibus*, externo, ac mechanico adjumento indigere videtur; Quapropter ad repellenda, continendaque inteſtina, & *omentum* intra

ſeptum *peritonæi* alicubi debilitatum, ſubligaculis, & peri romatibus feliciſſime utimur. Neque alia fortaſſis ratione vulgo decantatum ex *lupino colo* cingulum ad *colicos cruciatus* conferre ſuſpicor: Valida enim compreſſio quaſcumque *tenſivas affectiones*, renitendo, repellendoque, lenit, ac moderatur.

Tertium denique *auxilium* ad Nob. Matronam ab interitu vindicandam adhiberi potuiſſe arbitror, nimirum lenem intruſionem in *rectum* inteſtinum *flexilis virgæ* paratæ vel ex *filo ferreo* cum elaſtica vi, vel ex *balena coſta*, cum capitulo ex *ſpongia*, aut levi rotundo ligno foraminibus pervio: Hæc enim *virgula* amygdalino oleo, aut butyro peruncta, blandeque intra *podicem* adacta ſeſe ad *canalis* obliquitatem flectere potuiſſet, & obſtantem ACUTUM ANGULUM ad *curvi-lineam* figuram redigere, adeoque liquidis jam fæcibus viam utcumque facere valuiſſet. Simile quid in obſtructo, compreſſoque *œſophago* apud alios *uſu* veniſſe legimus, & à nobis aliquando utiliter tantatum, recordamur. Sed nemo eſt, mi *Jannelli*, quamvis *Æſculapius* eſſet, vel *Hippocrates* (qui toties ſe deceptum fuiſſe candide fatetur) quem mortuo jam ægro alicujus vel factæ, vel omiſſæ rei non pœniteat; Quia nimirum nonnullæ *abditorum* morborum *cauſæ* nos latent: Humana ſiquidem *corpora* non ſunt *cryſtallina*, ut, quæ intus habent, intuentibus oſtendant; *Signa* vero, quemadmodum *ægrotationum*, ſeu affectorum *locorum* nonnulla ſunt certa, &, ut ajunt, *pathognomonica*, ſic *indicia* CAUSARUM incerta plerumque, atque *æquivoca* plane ſunt; Quo factum fuit, ut nemo noſtrum ad COLI PROLAPSUM, ac DILATATIONEM, indeque natum ACUTISSIMUM cum *recto* ANGULUM, tanquam ad veram *mali*, *mortis*que hujus CAUSAM animum admoverit.

Sed vereor, ne, ſi ad hujuſmodi *Scholium* plura nunc addam, Tibi, quem nihil vel apud probos *Authores* lectum, vel tuo meditatum ingenio fugit, moleſtiam afferam, niſi hoc ipſum grave, moleſtumque ſit, quod ab amico excuſationem

quæ-

quæram. Illud tamen abs te peto, ut valetudini Tuæ quam diligentisſime conſulas: Ægrotante enim corpore languet animus, cujus vires ad ultimum usque *ſenium* infractas ſerves, & auguror, & cupio. Vale.

Ex Muſeolo in Quirinali V. Idus Januarii M DCC XIX.

DN. D. GODOFREDI HELD ab HAGELSHEIM,

Conſiliarii & Archiatri Byruthini, Academici Naturæ Curioſi

Analogia Macrocoſmi cum Microcoſmo,

Occaſione æſtus diuturni, in utroq́, Anno M DCC XIX. obſervata.

ANimus mihi non eſt, Analogiam Macro - & Microcoſmi, latisſimè patentem, per omnia examinare, cum in hoc Themate jam multi Autores occupati fuerint, ex quibus præ cæteris nominandi: Antonius Mizaldus, Baſilius Valentinus, Nicolaus Nancelius Trachyenus, Franciſcus Tidicæus, Stephanus Rodericus Caſtrenſis, Fortunius Licetus, Ludovicus Keplerus, Ph. I. Sachs à Lewenheimb, Johannes Freytagius, Franciſcus Mercurius Baro de Helmont, Adamus Weinſenerus, Muraltus & alii.

Nec mihi propoſui cum Platonicis & Stoicis *Mundum* pro magno Animali venditare, licet non exigua inter utrumq́ convenientia obſervetur: Cœlum enim, Græcis οὐρανὸς, caput: Firmamentum, Græcis στερέωμα dictum, pectus: Terra abdomen in genere præfigurare poſſunt. In ſpecie ſtellæ fixæ oculos: figura helicis, aures: ſpatium inter ſtellas fixas &

 plane-

planetas, os: Odorum ſpiracula, nares: Sol cor: Luna cerebrum cum ſpinali medulla: Venus renes & partes genitales: Mercurius linguam & pulmones: Jupiter hepar: Mars veſiculam felleam: Saturnus lienem; terra ventrem & ventriculum: ſubterranei ductus inteſtina, Mare veſicam: circulus ejus cum fluminibus circulationem ſanguinis: Fluxus & refluxus maris, arterias pulſantes: Aquæductus ſive hydrophylacea ſubterranea, venas: Montes, brachia & pedes: Rupes, oſſa: Lapides duri, dentes: Anima mundi ſive archeus naturæ, Ariſtoteli ἐντελέχεια dicta, animam noſtram ut principium motus præſentant. Utriusque verò ſexus ut exprimatur, ſolem viro, lunam fæminæ æquiparant; quam harmoniam, præter alios, ſupra laudatus Helmontius in diſcurſibus paradoxis demonſtrare nititur. Ne vero anthropocoſmus noſter calvus judicetur, capillos in capite & barbam, cometæ criniti & barbati in megacoſmo concinnè exprimunt; Crines verò in reliquo corpore, arbores, herbæ & gramina geocoſmi æmulantur. Sic quatuor mundi Elementa, e. g. ignis in hominis corde, aer in pulmonibus, aqua in humoribus, & terra in inteſtinis locantur. Prolixior eſſe poſſem in horum comparatione, cùm duodecim aſteriſmi ſive ſigna in zodiaco, & metalla in terra partes & viſcera hominis ſimilitudine exprimant; Nec non puncta illa cœli, cardines ſeu plagæ mundi, dicta, certis hominis partibus adjudicentur; Quoniam verò alii de his jam ſufficienter ſcripſerunt, me non latius in hæc diffundam. Taceo etiam ſignaturas plantarum, humana membra effigurantium, quas peculiaribus ſcriptis Apulejus Platonicus, Oswaldus Crollius, Wolffgangus Ambroſius Fabricius, aliiq; in Ephemer. noſtr. A. N. C. ab Excell. D. Sachs a Lewenheimb Decur. 1. Ann. 1. obs. 48. pag. 144. adducti jam ſatis ſuperq; delinearunt.

Hoc unicum verò pro Analogia Macro- & Microcoſmi demonſtranda explicandum mihi ſumſi, quod ſol præterito Anno 1719. nimium æſtuans, homines ad febres tertianas continuasননbilioſas, ſummè ardentes diſpoſuerit; Quales epidemias

mias febres apud nos Baruthi non ſolòm obſervavi, ſed & magno numero, DEO benedicente, feliciter curavi. Confidenter igitur. Macro- & Microcoſmum præcedente Anno febricitaſſe, aſſero.

In Macrocoſmo, ut hujus tempeſtates & mira primò deſcribam, præcedente hieme variâ, inconſtante & nubilâ, modò nivis floccis niveis. modò pluviâ, imò imbribus cum grandinibus & procellis mixtâ, modò gelu & regelatione ſe invicem excipientibus, ſequebatur ſub primo vere, grata & perjucunda cœli temperies cum äere ſudo, quem menſe Majo inſolitus aliàs illo tempore calor excipiebat, tolerabilis tamen adhuc & acceptus, cœlo amœnâ ſerenitate homines exhilarante, prata perbellè vireſcebant, ſilvæ foliis veſtiebantur, viridaria ſpectabili florum varietate ludere & ſuperbire incipiebant, ſegetes optimam de ſe ſpem præbebant; Prunus domeſtica & ſilveſtris, ceraſi,pomi,piri aliæq; arbores lætè florebant, & fructus copioſos nobis pollicebantur. Uno verbo:

Omnia ridebant, erat & lætiſſimus Annus.

Conſtantem hunc ſine pluvia calorem, erucæ copioſiſſimæ, imò ferè innumeræ ſequebantur,brevi in papiliones minores alis albis transformatæ, quæ quidem in äere ludentes ſpem noſtram ex arboribus conceptam eludere videbantur, ſed eâ non penitus fruſtratâ, fructus nihilominus copioſi, ſucculenti & boni ſaporis poſthac inſecuti. Erucæ hæ papilionaceæ in arboribus congreſſu ſe adeò fatigabant, ut folia apud nos in hortis hinc inde circa finem Maji quaſi ſanguine picta conſpicerentur, imò ab aliquibus arboribus ſtillicidium quaſi ſanguineum obſervabatur.

Menſe Junio ſudum conſtans cum ſiccitate & æſtu continuabat, graminaq; ſuccreſcere prohibebat, ut illo menſe conſuetum aliàs fœniſecium peragi non poſſet, differendum in futurum menſem, ubi nihiloſecius raræ fæni metæ & parum faſtigiatæ colligebantur; Fœnum etiam cordum ſive autumnale, aliis cordum & ſecundum dictum, ſerius ſolitò ſectum, & quidem

dem pertenue, nec magnæ molis, ſicuti fœnum: Unde ruſtici noſtri loco fœni pecoribus pro pabulo frondes arborum autumnali tempore objiciebant.

Menſe Julio æſtus urgebat ferè continuus, frumenta tamen in agris egregiè flaveſcentia & ad maturitatem vergentia, meſſem nobis promiſiſſet ſpe potiorem, niſi decimus hujus menſis dies Byruthino noſtro Marchionatui & quidem ſuperiori, quà Nariſciam, vel ut vulgò appellatur, Variſciam ſpectat, fatalis fuiſſet: Hoc ipſo enim die grandines copioſiſſimæ & inſolitæ magnitudinis in multis locis fruges horrendùm conquaſſatas in agris defigebant, vel culmis fractis ariſtas ſive ſpicas ad terram reclinabant, vel eas aliis in locis imber inundans, adjuvante procellâ cœno involvebat, & aliorſum præcipites exturbabat. Altero ſtatim die, & per totum hunc menſem, nec non ſequentem Auguſtum æſtus continuus clima noſtrum torruit & torſit, nec ullæ æſtatis fervorem temperabant eteſiæ vel pluviæ; inprimis verò die ſeptimo Auguſti æſtus maximus extitit, ita ut tunc calorem Anni MDCCXVIII. aliquot gradibus ſuperaverit; & hinc uvæ jam maturæ eodem menſe Auguſto ex vineis decerptæ, quod aliàs in his terris rariſſimum. Unde ſenes quidam Coloniæ Annum MDCCXIX. prorſus cum Anno MDCLXVI. conveniſſe aſſeverarunt. Tunc etiam inter mirandos fervidæ æſtatis effectus in Novellis legere dabatur, in vicinia Francoforti ad Mœnum, terram pinguem argillaceam ab ardoribus exſiccatam incanduiſſe, & flammas ſparſiſſe; Imò in tractus Moguntini præfectura Steinheim, non procul à pago Nieder-Roda dicto, campi ignem conceperunt, ſub terrâ adeò ſævientem ut non modò gramen, ſed ipſas etiam arborum radices in proxima ſilva exuſſerit, & flammas ſerpentes foſſis profundis objectis cohibere incolæ opus habuerint. Ejusmodi tamen foſſæ in nemore prope Hanoviam igni non poſuerunt remoram, cùm terra pinguis argilloſa trans foſſas ab æſtu vehementi exſiccata, ignem ulterius diffuderit. Ita & in Therio-

tro-

trophio Comitis Solmenſis Braunfelſenſis, ignis primò ſub terra repens, dein apertè in flammas erupit; poſtea in aliquibus horum locorum ſpatiis ſuper terram exuſtam ambulantes, in cineres ſubtus latentes ad genua uſque inciderunt.

In Ducatu Luxemburgico tunc temporis a perpetuo & prodigioſo æſtu & ſiccitate ſaltus nonnulli incenſi, penitus conflagrarunt. Fluvii etiam ab aridâ hac & æſtuoſa æſtate, licet ſatis grandes & citato curſu aliàs celebres, ut Danubius, Rhenus, Moſella, Mœnus &c. imminuti & vadoſi facti, in quibus alioquin vado nuſquam vel raró tranſitus fuit. Fontes quoque & amnes ab æſtivi temporis flagrantiâ in nonnullis Galliæ Provinciis exareſcebant, ut opus fuerit, aquam pro hominibus & pecoribus per octo milliaria apportare, quod poſt hominum memoriam ibi non accidit.

Calor hic & Menſe Septembri ultra æquinoctium autumnale conſtanter duravit, unde tunc præter inſecta varia, e. g. muſcas, culices &c. per totam æſtatem ſuſurrantia, & homines pungentia, in ſcenam iterum prodierunt Erucæ papilionaceæ, ſed alterius planè cum ſuperioribus formæ, & multò majores: Proximè enim Turnaviam & vicina montana tales innumeræ acceſſerunt, corpore hirſuto & lanato, digiti indicis longitudine & craſſitie, incurvo inprimis circa caudam graciliorem & uncam, ſeptem inciſuris ſeu annulis nigris inſtructo, quorum interſtitia roſei & flaveſcentis coloris: In dorſo quaſi clypeus badii coloris, durus & lævigatus, ad margines rutilantis, & quatuor punctis nigris oblongis præditus. Ad dorſi latera utrinq; alæ duæ, major & minor, gryſei coloris, maculis ſpadiceis ornatæ: Collum flaveſcebat, in capite oculi duo minutuli, rotundi, nigricantes, & deſuper macula badii coloris, uti clypeus, glabra & dura; & hinc in capitis extremo ſequebatur proboſcis, ſub qua os; ex proboſcide antenna tenuis, ſpiralis nigra propendebat, quæ extenſa unius & dimidii digiti longa, mox iterum convolvebatur, quam & ipſum inſectum ſponte extendere poterat, ubi longæ acus inſtar appa-

rebat; ad latera proboſcidis duo cornicula fuſci coloris elevabantur; pedibus circa pectus & ventrem utrinque tribus, fuſci etiam coloris, infra furculoſis inſtructum, quibus, corpore obliquè flexo repebat inſectum. Hæ erucæ papilionaceæ oleribus tàm hortenſibus quàm ruralibus valdè erant infeſtæ, brevi tamen forte fortuna diſparuerunt. Vid. Icon. TAB. XI.

Thermæ & acidulæ hoc Anno ſatis efficaces fuerunt. Vindemiæ circa Rhenum, in Alſatia, ut & circa Cocherum fluvium, medio Septembris, botris abundè maturis, celebratæ; In Franconia verò & ad Neckeram medio Octobris inſtitutæ, vino quidem non tam generoſo facto quàm Anno MDCCXVIII. ſatis tamen laudabili. Nec mala & pira ullum damnum pertulerunt, ſed ſucculenta & boni ſaporis fuerunt, quod & de citronibus & aurantiis Italicis relatum. Sic Menſe Novembri cùm Leucopetræ in arce Auguſtea eſſem cum ſereniſſima noſtra Marggravia, & domum vegetabilibus exoticis deſtinatam intrarem, ibi mala citria & aurantia magno numero & eximiæ magnitudinis, ut & poma ſic dicta chinenſia, magna & admodum dulcia, hinc aurantia dulcia dicenda, tanquam fœtus æſtivi äeris æſtus, videre & guſtare licuit. Mala quoque ibi granata ſive punica egregia, acinis acidulis copioſis ſub malicorio referta, quorum arbor flores tantùm ſimplices, qui cytini vocantur, roſei coloris, gerebat; Aderant & aliæ granati, quæ nullos fructus, flores verò plenos majores, egregio coccineo colore conſpicuos, officinis flores balauſtiorum dictos, offerebant. Taceo alia curioſa ibidem viſenda. Denique inter mirabiles perfervidæ æſtatis effectus, & illud referri meretur, quod Menſe Novembri arbores quædam fructiferæ, ex. gr. ceraſi & pomi, nova folia, flores & fructus ſecundâ vice exhibuerint, uti in Anglia, in Ducatus Gloceſtrenſis Metropoli Gloceſtria, in horto prælectoris eccleſiaſtici ſummâ cum admiratione viſum, qui fructus præcedentibus guſtu, magnitudine, aliiſque qualitatibus in totum ſimiles deprehenſi.

A

A Macrocoſmo pergo ad Microcoſmum. Quemadmodum in Macrocoſmo hiems erat inconſtans & nubila, per dicta, ita in Microcoſmo ſive homine varii Menſe Januario oboriebantur rheumatiſmi, ſive vulgò ſic dictæ deſtillationes vel defluxiones catarrhales & catarrhi, à circulatione ſeri vel lymphæ impedita provenientes: Ex quibus tunc obſervabam & curabam, Cephalalgiam, Ophthalmiam, dolores colli, nuchæ, aurium, tuſſes tàm in adultis quàm infantibus, raucedinem & arthritidem vagam & fixam, item catarrhum ſuffocativum, ut & calculum renum cum iſchuria.

Menſe Februario febres catarrhales erant frequentes, offerebatur etiam tunc dolor cubiti ad arthritidem referendus, ut & pleuritis exquiſita cum febre continuâ, & notha, item angina.

Menſe Martio aderant tuſſis, aſthma, febris tertiana tanquam febris intermittens vernalis, ante meridiem paroxyſmis moleſta, eryſipelas, inprimis verò podagra, chiragra & gonagra, quæ tunc utplurimùm cum coryza & raucedine prævia incipiebant: His enim remittentibus, podagra præſtò aderat.

Menſe Aprili continuabat febris tertiana, ut & febres catarrhales, item pleuritis, tuſſis, otalgia, dolor dentium cum tumore gingivæ & genæ, dolor colli etiam obſervabatur, & podagra continuabat, malo etiam iſchiadico præſente.

Menſe Majo, febris tertiana, tuſſis cum raucedine, & dolores rheumatici, in ſpecie dolor nuchæ & axillarum; præcipuè autem variolæ infantes ſporadicè aggrediebantur. Aſthma quoque & podagra affligebant.

Menſe Junio febris itidem tertiana, dolor dentium cum dolore genæ ſiniſtræ, item tuſſis cum raucedine aderant. Peſtis jam multos hoc menſe tenuit & abſumpſit in exteris regionibus, ut Conſtantinopoli, Smyrnæ, in Tranſylvania &c. quæ hinc inde per totam æſtatem valde ſæviit.

Menſe Julio ophthalmia & febris tertiana obſervabatur.

Maximè vero tunc homines ab igneo æſtatis æſtu multa pertulerunt, quod non mirum, cùm teſte Archibaldo Pitcarnio, Scoto-Britanno (in Elementorum Medicinæ Phyſico-Mathematicorum Libr. 2. c. 1. ubi de praxi ſebrium agit) vi obſervationum thermoſcopicarum deprehendatur, quod calor cutis noſtræ naturalis ſit duplo major, quàm calor aëris æſtivo tempore. Et primò quidem æſtus aëris homines ad ſudores compellendo valde fatigabat, unde in plurimis ſudamina, Græcis ὑδρῶα dicta, exorta, quæ erant tubercula rubra granis milii ſimilia, cum ſenſu doloris prurientis, quaſi ſal eſſet inſperſum, quæ in nonnullis ingruente Autumno in ſcabiem ſiccam, feram, difficulter curabilem, degenerarunt; Sunt enim ſudamina & ſcabies affectus cognati, in glandulis ſubcutaneis radicati, à ſero acri, ſub ſpecie ſudoris, è poris cutis emanante.

Menſe Auguſto Febres epidemiæ continuæ, quarum inprimis ratione obſervationem hanc conſcribere aggreſſus, multos infeſtabant, cum vomitibus bilioſis incipientes, æſtu ferè continuo, cum Cephalalgia, Agrypnia, Hæmorrhagia narium, Siti enormi, imò deliriis & convulſionibus, purpura etiam rubra accedente & tuſſi; pulſus erat vehemens & celer, urina ferè nunquam rutilans, ſed potius flaveſcens turbida, in quibusdam ſedimentum albo-flavum, in aliis lateritium, ad fundum urinalis demittens. In nonnullis æſtus quidem alternis diebus quodam modo remittebat, nunquam tamen planè intermittebat, & hinc ægri ſemper de debilitate querebantur, nec ὀρθωςάδιοι eſſe poterant, dicentes, uno die febrilem æſtum urere, & adeſſe paroxyſmum majorem, altero die minorem paroxyſmum appellabant, quia calor non tantopere ut præcedente die urgebat, & hoc modo febris, inſtar tertianæ continuæ affligebat; durante flamma febrili, nullus aderat ſudor, eâ verò quadantenus remittente, ægri largiſſimè ſudabant. Die ſeptimo vel nono accedebat utplurimùm ictericius color in facie & albo oculorum, imò non raro in toto corpore, per omnem abhinc morbi decurſum viſendus, nec mor-

morbo ſuperato prorſus remittens, ſed in plurimis faciei & oculorum flavedo longo poſt tempore duravit, etiamſi in publicum prodirent. Ictero tali laborantes utplurimum de anxietate præcordiali & alvo conſtipatâ vel ſegni querebantur, in nonnullis tamen, inprimis ſub morbi declinationem diarrhœa ſequebatur: Loco ſputi non raró meram bilem exſcreabant, & quidem tàm intensè flavam, ut labia & muccinium tingeret; Sudor ipſe, qui per decurſum febris largiſſimus, ut clinici tales per unicam noctem vel decies induſia mutare neceſſe haberent, flavus in ſudariis & induſiis deprehenſus. Unde & has febres non immeritò febres tettianas continuas bilioſas epidemias nuncupavi, ſynochis annumerandas, cùm, ut ſupra demonſtravi, calor quidem parumper remiſerit, nunquam verò in totum intermiſerit, ſignaq; bilis præſentis ſe ſatis ſuperq; manifeſtarint.

Præter febres has tertianas continuas bilioſas epidemias, Auguſto Menſe tertianæ etiam intermittentes ſe intermiſcebant, ut & dyſenteriæ non tamen adeò pertinaces, Podagra quoque & chiragra iterum obſervabatur.

Menſe Septembri & Octobri quartanæ intermittentes ſæpè ſæpius curandas ſe præbebant, quæ pomeridie & circa veſperam homines aggrediebantur, non tamen, uti aliàs ordinariè rebelles erant, ſed medicamentis facile obſecundabant. Ante paroxyſmos intermittentium hoc anno vel nullum frigus, vel horror duntaxat levis obſervabatur, ſed calor mox inſtabat, æſtusq; dein valdè urgebat, non raro per octo, decem vel duodecim horas durans.

Menſe Novembri iterum ſparſim obſervabantur variolæ, ſed non adeò periculoſæ: Nullus enim infantum inde mortuus; perdurabant adhuc etiam febres quartanæ.

Menſe Decembri rheumatiſmi iterum, Cephalagia, Gravedines, tuſſis & aſthma obſervabantur. Die ſexto hujus menſis ex Sicilia ſcribebatur, loco frigoris ibi tantùm pluvioſam adfuiſſe hiemem, intermixto ſudo, campos cum foliis

arborum lætè virentes, hasq; inſimul ſecundâ vice floruiſſe fructibus inſecutis, & quidem adeò, ut ibi varias herbas, olera & flores amœniſſimos in abundantia habuerint, & hinc, cùm Sicilia tunc belli eſſet theatrum, exercitus, tàm Cæſareum quàm Hiſpanum, caſtris locum tenuiſſe ſub pulcherrimis citris & cedromelis. Unde quoq; hoc Menſe Peſtis Malontæ in Statu Raguſano, ut & in Albania Turcicâ, imò Conſtantinopoli adhuc graſſabatur, quæ aliàs ingruente hiemali frigore conticeſcere ſolet.

Ex his allatis Analogia & ſymboliſmus Macro-& Microcoſmi clarè eluceſcit. Unde verò in utroq; tantus æſtus fuerit excitatus, nunc inquiri meretur; Non aliunde ſanè quàm â calore ſolis reliquorumque ſiderum influxu in hæc ſublunaria & hominum corpora. Sol enim in ſtatu naturali & ſibi relictus, ut fons luminis & caloris tàm Planetarum quàm Terræ, omnes blando ſuo & temperato calore fovet, Plantarum vegetationem promovet, corpora animalium recreat & ſuſtinet, ejusq; præſtantia inprimis in conſervanda hominis ſanitate & morbis ipſius fugandis inſigniter elucet. E contrario, quando Sol extraordinario calore nimium æſtuat, imò candeſcit, non poteſt non in inferiores Planetas, imprimis Lunam, Aërem, & conſequenter in globum noſtrum terraqueum & homines inſignis alteratio redundare, & hi ad ſtatum morboſum diſponi.

Augetur verò Solis calor ex influxu partim ſtellarum fixarum, tanquam totidem juxta Mathematicos Solium propriâ luce fulgentium & ſcintillantium, inprimis ſirii ſive caniculæ (quæ ab Aſtronomis ori canis majoris apponitur, & reliquas ſtellas fixas ſplendoris elegantiâ & magnitudine ſuperat,) poſt ſolſtitium æſtivum, paulò poſt quàm Sol ingreſſus eſt ſignum cancri, quo radiis ſolaribus aër maximè ferveſcit, orientis: partim Planetarum ſuperiorum Soli proximarum, naturâ igneâ & calorificâ præditorum, nimirum Jovis, Martis & Mercurii, ex quorum cum Sole conjunctione celeberrimus Berolinen-

ſium

ſium Aſtronomus, Dominus Chriſtfridus Kirchius jam Anno 1718. rectè & veriſſimè Anni, de quo agimus, 1719. nimium æſtum prædixit.

Nec huic noſtro aſſerto, ratione caniculæ contrariatur, quod antipodes in regionibus auſtralibus trans æquatorem, dum cœlum noſtrum Europæum ardet, rigore premantur & urantur, ut inde Rohaultus Tractat. Phyſic. p. m. 476. ſtellam eam potius frigidam quàm calidam pronnnciet, cui & Anton. le Grand in Hiſt. Nat. p. m. 147. ſq. adſtipulatur; multo minus Celeb. Kirchii Vaticinium rejiciendum, quod in laudata oppoſitione planetarum cum Sole, recedente Anno 1719. d. 6. 7. & 8. Auguſti obſervatâ, æſtus non fuerit ubiq; terrarum æqualis, ſed uno in climate maximè flagrans, alibi verò pluviæ cum aliquali frigote delapſæ fuerint. Planetarum enim dictorum conſtellationes cum Sole conjunctim, non ſeparatim conſiderandæ: Sunt enim planetæ Solis in regendo hoc inferiori mundo adjutores; Unde niſi Sol à conſtellationibus reliquorum ſiderum alteraretur & variaretur, ille ſemper in uno eodemq; valore ac caloris gradu permaneret, & quatuor anni tempora non diſtinguerentur, ſed ſinguli anni eundem ſemper tenorem æquali calore ſervarent; Hinc etiam planetarum in oppoſitione cum Sole exiſtentium influxus diverſus, prout illorum adſpectus variant, & pro facie Solis diverſa.

Solis enim calor vel intenſior vel remiſſior, prout radii ejus vel recti vel obliqui. Ubi nimirum radii perpendiculariter & rectà magis atmoſphæram noſtram feriunt, nec per interpoſitionem nubium intercipiuntur, ſed in ſe ipſos reſiliunt & duplicantur, calor major: quando verò radii Solis obliquè in ſuperficiem aëris ſuperiorem duntaxat incidunt, & pleriq; reflectuntur antequam penetrent eam, calor minor & mitior deprehenditur.

Maximè verò diverſus Solis calor in conjunctione ejus cum Lunâ obſervatur, quorum influxus in hæc inferiora magis

gis efficax & ſenſibilis quàm reliquorum ſiderum, quem omnes phyſici admittunt & adſtruunt: Ex quibus mihi præ cæteris nominandus & laudandus celeberrimus Londinenſium Medicus, DD. Richardus Mead, Societatis Regiæ ſocius, & in noſocomio divi Thomæ Londin. Medicus, in diſſertatione de imperio ſolis ac lunæ in corpora humana & morbis inde oriundis. Sol enim eſt centrum hujus univerſi, ad quem à ſtellis fixis, non immenſum ut vulgò ab Aſtronomis ſtatuitur, ſed idem ſpatium, quale a Sole ad terram, ponendum; Speciatim Sol etiam planetarum centrum habetur. Dein magnitudo Solis non tanta, ut communiter hactenus creditum, ſed potius ex calculatione Excell. DD. Auguſti Quirini Rivini, Prof. Med: Lipſ. Ordin. celeberrimi, ſuæ facultatis hoc tempore Decani ſpectatiſſimi, in Aſtronomia correcta, (cui viginti aliquot Annos impendit, & quæ brevi lucem adſpeciet, prelo ſubjicienda,) Sol æqualem cum terra magnitudinem poſſidet, quibus non immeritò Luna jungenda, ejusdem cum illis magnitudinis, uti Excell. DD. Jo. Regius, Prof. Med. Franequeranus, in Elementis ſcientiæ naturalis ſtatuit & ex Eclipſi Solis totali concludit, in qua corpus Lunæ opacum, totum corpus Solis lucidum conſpectui noſtro eripere valet. Maximè verò Sol & Luna blandè conſpirant, dum hæc illius impetum frangit, & calorem temperat, ſicq; amœna aëris temperies exſurgit. Et quidem a Sole & ejus influxu tempeſtates, quæ ſtatæ vocantur, dependent; Tempeſtates verò, quæ vagæ appellantur, uti ſunt viciſſitudines ſerenitatis, pluviarum, ventorum aliaq; naturæ phænomena ab influxu Lunæ primario, deinde etiam quodammodo à reliquorum planetarum influxu dependere, credibile eſt. Et hæ tempeſtates ſunt maxime naturales, ubi Solis calorem humida Luna temperat; è contrario, ubi Solis fervor nimius, intemperies etiam Lunæ inducitur, & aquæ in ea contentæ detinentur, ne in ſublunaria defluere, & pluvias producere poſſint, ſicq; aëris etiam temperies turbatur, & nimius æſtus excitatur ab igneo Solis globo per ſupra

dicta.

dicta. Sol enim ſenſibiliter in terreſtria influit luce & calore, per motum ad nos translatis; Luna verò non ſolo lumine Solis mutuatitio, ſed totâ ſuâ ſubſtantiâ, uti globus terraqueo noſtro homogeneus & per omnia ſimilis: Luna enim vel nudo aſpectu nobis varias aſperitates, ut montes, valles, aquas &c. offert, quæ inæqualitates, terræ propriæ, magis adhuc armato per tubum oculo deteguntur. Et hinc ex hoc planeta, terræ proximo, omnia naturæ phænomena, quæ ſupra terram accidunt, e. g. pluviam, ventum, fulmen, tonitru, nivem, nebulas, rorem, pruinam, reliquaq; meteora omnia, deſuper, & quidem ob primigeniam rerum creatarum gravitatem & deſcenſum, deduco. In ſpecie verò pluvias ex aquis ſupracœleſtibus, Lunæ a ſapientiſſimo Creatore concreditis, provenire autumo. Quod verò aquas ſupracœleſtes in lunam locaverim, hoc ideò feci, quia DEUS aquas infernas â ſuperioribus, quæ ejusdem cum illis ſubſtantiæ, per expanſum aëreum Græcis ςερέωμα, vulgò firmamentum, germanis **die Veſte** nuncupatum, ſeparavit; Nullibi tamen ſacra Scriptura expreſsè definit, quorſum aquæ ſuperiores fuerint collocatæ. DEUS verò lunam mox ſequenti die, producendo duo luminaria magna, procreavit, & ſupra expanſum aëreum, ubi præcedente die aquarum dimidiam vel majorem partem ſupernè ſeparando conſtituerat, terræ vicinam ſuſpendit: Unde concludi omnino poteſt, aquas in ſublimi poſitas, lunæ proximæ, tanquam ſubjecto ad recipiendum apto, non excluſis reliquis planetis, fuiſſe concreditas & hinc lunam tanquam complementum globi noſtri, in hujus gratiam & ſubſidium factam, conſiderandam eſſe puto. Non igitur admittenda eſt & probanda Phyſicorum vulgò recepta opinio, pluviam & omnia aëris meteora à vaporibus & exhalationibus ex globo noſtro terraqueo in aërem attractis, deducentium, cùm tales naturaliter non dentur, & ſi darentur, tanqnam graves in äerem aſcendere non poſſent, ſed potius ab hujus craſſitie repellerentur. Taceo ejusmodi halitus & vapores non ſufficientes eſſe pro pſecadibus

bus ſeu pluviis tenuibus, multò minus pro nimbis, nec pro unici fluminis conſtitutione, omnium verò minimè ſufficientes fuiſſe pro cataclyſimo totum orbem inundante & ſuffocante. Meâ verò opinione cataclyſmus ille univerſalis per hypotheſin aquarum ſupracœleſtium, cum aquis & maribus terræ concurrentium, benè explicari poteſt: Tunc enim omnes ſe fontes diffiderunt abysſi magnæ, & cataractæ cœli ſe aperuerunt, ut hinc aquæ pro tegendis ipſis montibus ſuffecerint, & Celeb. Gerardus Outhofius in ſuo de omnibus inundationibus libro, linguâ belgicâ conſcripto, & Embdæ Anno 1718. edito, atq; Dn. Renau in ſua pinacotheca naturæ & artis, non amplius de tantâ aquarum copiâ dubitare, multò minus Dn. Thomas Burnetus, Anglus, idcirco montium ante diluvium exiſtentiam negare, neceſſe habeant.

Unde etiam, ſtante meâ hypotheſi, non opus habeo cum aliis Phyſicis ſtatuere, aquas pluviales per Solis radios ex noſtris aquis ſurſum in nubes attrahi, cùm ignei Solis radii potius aquam à ſe propellant, quàm attrahant, & virgæ ille ſeu ferulæ Solis tantùm conſpiciantur, quando hujus radii per nubes aquâ jam ex Lunâ repletas penetrare opus habent, & ſic quaſi iridem notham præſentant; imò iris ipſa in plenilunio nonnunquam noctu videtur gemina, quæ copioſiſſimum imbrem portendit. Sic & nebulæ aſcendentes dictæ, aëre jam deſuper craſſiore & aquoſo reddito, ſucceſſivè apparent, licet ros nocte antecedente non deciderit & terra omninò ſicca manſerit, quæ ſignum venturæ pluviæ, quod etiam de ferulis Solis aſſerimus, non verò ipſam pluviam cauſantur. Deniq; ex mea hac hypotheſi pluviæ quoq; prodigioſæ ſolidorum corporum, verè ex ſublimi delapſorum, & ipſe lapis ceraunius ſeu fulminaris, ut & maris æſtus ſive fluxus & refluxus maris, melius explicari poſſunt. Taceo alios lunares effectus & morbos, ut menſium ſexus ſequioris fluxum, gravedines, catarrhos, epilepſiam periodicam, ipſo puncto novilunii & plenilunii accidentem, nec non ſomnambulationem, quæ eti-

am

am ut epilepſia Lunæ phaſibus ſubinde aſcultat, unde in plenilunio nati facilius fiunt noctambuli, qui & illo tempore utplurimum hoc affectu corripiuntur; Ut vulnera capitis non memorem, quæ in plenilunio ſeu oppoſitione Lunæ cum Sole, periculoſiora ſunt, quàm in conjunctione ſeu novilunio. Plura de morbis & effectibus Lunæ legi poſſunt apud Excell. DD. Mead jam laudatum. l. c. cap. 2.

Ut verò aſtra effluxum & operationem ſuam exerere queant, ea quidem Conditor univerſi omnipotens in æquilibrio poſuit, ut in ſuo ordine & ſtatu naturali ſemper perſiſterent, iis tamen, quemadmodum omni materiæ, qualitatem deorſum agendi indidit, ut vi gravitatis primævæ ſidera ſuperiora in inferiora agere. & bona ſua invicem communicare poſſint, ſuffragante exterius interſtellari ſimul æthere, cum ſtellis affinitatem habente, uti ſcribit Illuſtriſſimus Franciſcus Baco, Baro de Verulamio in ſylva ſylvarum pag. m. 829. Oper. edit. Lipſ.

A qualitate hac ſive vi primævæ gravitatis oritur modernorum Phyſicorum & Mathematicorum vocabulum gravitatio, quæ eſt ipſe niſus corporis à gravitate ortus, quo corpus aliud in aliud tendit, & unum alteri vim ſuam communicat. Unde laudandi veniunt celeberrimi viri in Anglia, quod eſſentialem & primigeniam corporum gravitatem & gravitationem adſtruant: quam hypotheſin inter primos amplexus eſt illuſtris Iſaacus Newtonus, Eques Auratus, Phyſicus & Mathematicus Angliæ incomparabilis, & Societatis Regiæ Anglicanæ Præſes graviſſimus, tàm in Principiis Philoſophiæ naturalis mathematicis, quàm in Optica ſive de reflexionibus, refractionibus, inflexionibus & coloribus lucis. Celeberrimum Newtonum ſequutus, ejus interpolator feliciſſimus, Illuſtr. Guilielmus Whiſtonus, Mathematum in Academia Cantabrigienſi Profeſſor celebris, in Prælect. Phyſico-mathematicis; item Excell. Guil. Jacobus s'Graveſande, A. L. M. Juris utriusq; & Phil. Doctor, Regiæ Societatis Londinenſis Socius,

Aſtronomiæ & Matheſeos in Academia Lugduno-Batava Profeſſor ordinarius, in Phyſices Elementis mathematicis ſive introductione ad Philoſophiam Newtonianam, cujus primus tomus hoc ipſo 1720. Anno Lugd. Bat. in 4. prodiit, tribus adhuc aliis inſecuturis, ad quos perficiendos DEUS ipſi largiatur ſanitatem firmam & ſtabilem. His adhuc jungendus Celeb. Samuel Clarke, qui libros Newtonianos, & inprimis præterito Anno opticam Newtonianam latinè edidit Londini in 4. & illuſtravit, quiq; cum ante laudatis celeberrimis viris eſſentialem corporum gravitatem defendit. Non immerito iisdem jungo Excell. Academiæ Halenſis duumviros, DD. Fridericum Hoffmannum, Conſiliarium Aulicum & Archiatrum Regis Pruſſiæ, Medic. & Phil. Natural. Prof. Public. Ordinar. celeberrimum, h. t. Decanum Facult. Med. perpetuum, Patronum & Fautorem meum æſtumatiſſimum; nec non Chriſtianum Wolffium, Conſil. Aulicum Regium & in Acad. Regia Fridericiana Mathematum Profeſſorem ſpectatiſſimum, viros in re medica, hiſtoria naturali, & matheſi longè meritiſſimos, quorum edecumata ſcripta veneror, inprimis cùm primigeniam corporum gravitatem convenientiſſimè defendant, è contrario attractionem gravitati oppoſitam conſultò rejiciant; aliter facientes quàm Angli, qui omnes gravitatem corporum, inprimis ſiderum, mutuam & reciprocam ſtatuunt, ſicq; gravitati deorſum tendenti attractionem & repulſum in contrarium jungunt, gravitatem in corpora univerſa ſtatuentes, & planetas omnes in ſe multò graves eſſe. Quocirca duplicem ipſis motum aſſignant, primò rectilineum ſeu projectilem, ſecundò gravitationem in terram noſtram: ſic aſſerunt, Lunam ratione motus illius projectilis niti recedere a terra, deſcendere verò in hanc per gravitationem ſuam: Si manente ejus motu projectili, addunt, tolleretur niſus ad terram, Luna aufugeret, ac magis magisq; à terra abriperetur: Si ſublato motu projectili, maneret gravitatio in terram, Luna prolaberetur in terram: Sed cùm hi duo motus jungantur & conſpirent, Lu-

na in ſua orbita retinetur. Quæ omnia benè procederent, niſi Angli viciſſim terræ & aquis in ea exiſtentibns gravitationem in Lunam, contra gravium qualitatem & regulam, per attractionem & repulſum adjunxiſſent, & ſic gravitationem reciprocam ſive mutuam ſtatuiſſent. Unde præter laudatos Anglos, inprimis attractionis defenſores extiterunt Excell. Georgius Cheyneus, Med. D. & Reg. Londin. Societ. ſocius in Philoſophicis Principiis religionis naturalis, Londini 1705. in 8. edit. celeb. D. Joh. Freind in Prælect. Chym. 1. pag. 4. ſq. & Excell. DD. Joh. Keill, qui leges attractionis in Tranſact. Anglic. Anno 1708. Mens. Maj. & Jun. n. 15. p. 97. & ſqq. multis experimentis probare allaboravit, & vocem attractionis ita accipi voluit, ut in univerſum, vim aliquam ſignificare intelligatur, quâ corpora ad ſe mutuò tendant, cuicunq; demum cauſæ attribuenda ſit. Idcirco Angli adverſarios nacti Archibaldum Pitcarnium, jam laudatum, qui in Elem. Medicinæ phyſico-mathematicis, inde occultas qualitates in Phyſicam poſtliminiò retroduci credit. Excell. Wyerum Gulielm. Muys Med. D. in illuſtri Friſiorum Academia Mathes. Prof. in Elementis Phyſices methodo mathematica demonſtratis: Celebrr. Nicol. Hartſoeker, Mathematicum ac Phyſicum Electoralem Palatinum, & nuperrimè illuſtrem Gallum, Dn. de Montmor. Et reverà motus per corporum attractionem ſeu repulſionem & gravitationem reciprocam ſeu mutuam in Univerſo naturâ non datur; & ſi daretur, violentum tamen quid innueret, in naturâ non inveniendum; Sed omnis tantùm gravitatio ſeu gravitatis corporum niſus pulſione fit, dum unum corpus gravius in altiori loco poſitum, in alterum inferius deorſum agit.

Ideo autem Angli aliiq; Phyſici duplicem, & quidem contrarium, corporibus motum aſſignant, quia non tam Uranoſcopiæ, parti licet phyſices primariæ intenti, globo potius terraqueo affixi hærentes, omnia naturæ phænomena ex vaporum & exhalationum imaginaria per aërem attractione dedu-

cere ſatagunt, ſtatuentes hinc Lunæ in globum terraqueum, & hujus in illam gravitationem. Credo tamen, Exc. DD. Joh. Keillium, nunc Profeſſorem Aſtronomiæ Salvinianum apud Oxonienſes celeberrimum, Aſtronomiâ verâ adoptatâ, ſententiam ſuam mutaturum.

Juxta meam igitur hypotheſin, ſuperiora ſidera gravitant in inferiora, ut ſtellæ fixæ in planetas ſuperiores, hi in Solem, Sol in inferiores planetas inprimis verò Lunam, & hæc in Aerem & globum noſtrum terraqueum, non vice verſa, ut ubiq; obſerventur gravium regulæ & deſcenſus, omnium verò ſiderum influxus ſimul in hominem.

Hanc verò meam hypotheſin non pro infallibili vendito, ſed eam ſaltem eruditis Europæ Phyſicis & Mathematicis ad ulterius examen proponere volui.

Cæteroquin præterito Anno MDCCXIX. quem mihi examinandum ſumſi, Solis intemperies à ſuperioribus calorificis Planetis acquiſita, gravitatione ſuâ Lunæ quoq; talem intemperiem induxit, ut pluviæ omnes ex Luna fuerint impeditæ, ſicq; ſtata tempeſtas & æſtus nimius in atmoſphæra noſtra exortus, radiis Solis inprimis æſtate ad verticem noſtrum accedentis directionibus, moramq; longiorem ſupra horizontem noſtrum facientibus.

Hunc æſtum ignes nocturni eodem Anno obſervati portenderunt & præmonſtrarunt; quales die 22. Feb. ſub forma draconis ſeu lampadis volantis, aliàs facis ardentis dictæ, in Italia, Helvetia, (ubi eam Excell. DD. Joh. Jac. Scheuchzerus, curioſiſſimus & indefeſſus rerum naturalium indagator obſervavit & deſcripſit) Franconia, Suevia, Saxonia & Sileſiâ noſtrâ obſervati, & ab Excell. DD. Joh. Kanold, Vratislav. Acad. Natur. Curioſ. noſtro Collega, asſiduo & laborioſo hiſtoriæ naturalis perſcrutatore & collectore, in Annal. Vratisl. Medico-Phyſicis Anni 1719. tentam. 1. aliàs ſeptimo, Claſſ. IV. Artic. III. pag. 165. ſqq. diligenter deſcripti; ut & die 30. Maji, hora 8. veſpertinâ Londini, Hagæ Comitum & in

Du-

Ducatu Clivienſi viſi: Quâ occaſione obſervationem de Londinenſi hoc Phænomeno ad Tranſact. Philoſ.n. 360. communicavit ſupra laudatus Whiſtonus, ex quo meteoro celeb. Edmundus Hallejus, Prof. Geometriæ Oxonienſ. longitudinem locorum determinare voluit, ſed incaſſum; die 23. Dec. etiam meteorum ignitum in Tranſylvania obſervatum. Tales quoq; ignes nocturni hoc ipſo, quo vivimus, Anno 1720. die 10. Januar. in diverſis Hungariæ locis obſervati, inprimis Zolnocxi poſt mediam noctem ſub forma Solis intenſe rubri, qualem aliquando & Anton. le Grand obſervavit, & l. c. pag. m. 305. deſcripſit. Meteoron etiam ignitum die 11. Febr. in diverſis Italiæ locis, inprimis Romæ viſum. Cùm igitur ejusmodi ignes nocturni, quorſum etiam Lumen ſeu crepuſculum boreale pertinet, nil aliud ſint quàm meteora ignita, & magnam cum fulgure, ſicut omnia meteora ignita, affinitatem habere videantur, talia verò non ſolùm Anno 1719. ſed & hoc ipſo Anno 1720. fuerint obſervata, metuendum, hos ignes etiam hoc Anno Solis & æſtivi temporis flagrantiam iterum portendere, cùm illi de luce & calore Solis fortiori teſtentur.

Eoſdem quos Macrocoſmus, & Microcoſmus ſive homo paſſus eſt Manes, utpote qui per omnia illi ſimilis, ex iisdem quo mundus conſtans principiis, merito hinc univerſi hujus compendium & epitome dicendus.

Unde in medio dierum canicularium anni proximè prælapſi, inprimis Menſe Auguſto, multi apud nos, ut ſupra jam relatum, maximè ſereniſſimi noſtri Marggravii, Principis longè Clementisſimi, Aulici & Præfecti Militum ordinis tàm ſuperioris quàm inferioris, lautiori victu uſi in cibo & potu, vino præſertim copioſius ingeſto, temperamento cholerico-ſanguineo præditi, ad iram proni, febres tertianas bilioſas continuas, ſynochis annumerandas, incurrebant: Quarum nulla alia cauſa procatarctica allegari poterat, quàm Solis intemperies, quæ ardentiſſimum atmoſphæræ noſtræ æſtum inferens, humana corpora per inſpiratum äerem æſtuantem ſenſibiliter afficiebat, humo-

res

res eorum rarefaciebat & accendebat, ſicq́ſ ſummam motus inæqualitatem ſanguini inducebat. Homines verò ab æſtuoſa æſtate ad ſitim plus nimis concitati, parum comedebant, multum verò potus, inprimis vinum copiosè ingurgitabant; & ſic primâ ventriculi concoctione turbatâ, loco chyli blandi, cruditates multæ, præſertim humores acres biliosi, qui aliàs æſtate potisſimum vigent, cumulabantur, & ſanguini mixti ejus craſin turbabant, ſpiritibus animalibus hinc ſimul nimium agitatis, & ſic ex mixturæ ſanguinis turbatione homines ægri motbo gravi cum æſtu febriq́ jactabantur, & apud nos febres epidemiæ bilioſæ continuæ exortæ, accedente temperamento ægrorum ſanguineo-cholerico, ad febres has recipiendas valdè diſpoſito.

Nulli ægrorum meorum febris hæc lethalis fuit, ſed omnes, DEO benedicente, ſanitatem feliciter recuperabant, febre inprimis criticè & ſalutariter per icterum & largum ſudorem ſolutâ, ſymptomatibus hinc remiſſioribus factis.

Intentio mea medendi præ omnibus erat, ut humores bilioſos exſuperantes quantocyus evacuarem, & quidem inclinatione ad vomitum præſente, per vomitorium partim tartari emetici gr. ij. cum lap. *69.* duplo mixtis, partim rad. ipecacuanh. rec. pulveriſat. ℈j. cum ⊕ purif. ℈ß. ut ſic ſimul calori urgenti occurrerem; cui etiam mitigando plerumq́ ſequenti die venæſectionem adminiſtrari curabam, dein ad alvum apertam ſervandam communiter ordinabam pilulas ex ſale ammoniaco, arcano duplicato Mynſ. camphor. & Extract. fol. ſenn. rhabarb. mechoacann. alb. cum Extract. papav. rhœad paratas, quarum mane ſingulo novem exhibebam, unde alvus quotidie bis vel ter ſolvebatur; Ægris difficulter mobilibus propinari curabam aqu. laxativam Viennenſium à DD. Mannagetta, Archiatro quondam Cæſareo Auguſtiſſimi Leopoldi, nobis relictam, & recenter diſpenſatam; vel ejus loco pulv. rad. gialapp. & cortic. peruv. elect. añ. ℈ß. interpolabam, quo ægri benè moti, quinq́ & plures ſedes habebant cum εὐφορίᾳ:

Unde

Unde hunc pulverem optimo cum ſucceſſu in febribus intermittentibus ſemper in uſum vocans expertus ſum, radicem gialappæ cortici laudato junctam, multò majorem operationem produxiſſe quàm ſibi relictam; & in fœmina aliquoties à ſuperiori pulvere, novem ſedes excitatæ, non plures nec pauciores: Ut inde concludere liceat, Corticem Peruvianum non inter adſtringentia eſſe numerandum, cùm alia purgantia magis ſtimulet, & per ſe, inprimis in obeſis, ſolus alvum ſolvat. Circa noctem utplurimum pulverem Bezoard. Sennert. cum ☿ diaphor. lap. 69. ⊕ camphor. & Maſſ. pilular. de cynogloſſa præſcribebam, ut ſic ſimul calori & agrypniæ cum deliriis mederer; pro variatione quoq; pulv. cordial. Dorncreil. Epil. Marchion. rad. ſerpentar. Virginian. Cryſtall. montan. ppt. Specif. cephal. Mich. &c. admiſcebam, interdiu potiunculas confortantes & bezordicas cum aquis temperatis, orgaſmum ſanguinis & calorem urgentem mitigantibus, interpolabam reliquis medicamentis, pro potu ordinario ad ſitim levandam ordinabam pulverem refrigerantem ex ⊕ purif. C.C.uſt. & ſacchar. Canar. cum cortic. citri exter. rec. eſſentifieato, cujus tres cuſpides cultri, aquæ fontanæ ℔j. ſeu menſuræ dimidiæ indere & aquam cum pulvere benè agitatam, pro lubitu bibere jubebam, quæ ſitim benè reſtinguebat. Aliis ſacchar. Canar. ℥ij cum aquæ fontanæ menſuris duabus coquere, dein cremor. tartari ʒij. addere, & adhuc ſemel ebullire, ſub finem verò coctionis cortic. citr. exter rec. fruſtula aliquot injicere, & dein colatum potum gratiſſimum bibere jubebam. In quibus verò tuſſis obſervabatur, decoctum pro potu ordinario commendabam ex paſſul. Corinthiac. mundat. & conquaſſat. ℥j. & C. C. uſt. ℥ß cum aquæ fontan. menſur. ij. factum, injectis iterum ſub finem coctionis cort. citr. fruſtulis aliquot, cujus colaturam libenter hauriebant clinici.

Accedente ictero & remittente calore, pilulas ſupra laudatas continuabam, & cùm durante calore nullas eſſentias & tincturas, nec elixiria perferre potuerint ægri, malè inde ha-

bentes nunc exhibebam Elix. propriet. rhabarbariſat. cum Tinct. ⊖li ♂tis Ludov. & Wed. & Eſſ. centaur. minor. cardui bened. abſinth. compoſ. &c. Sub finem curæ adhuc aliquoties lene laxans ſumebant clinici, & ſic omnes, cum DEO, benè reconvaleſcebant. Et hinc igitur homini manat & manet perpetuum ſolatium,

à Cœlo Salus.

Barutbi die 27. Maji, Anno 1720.

DISSERTATIO PHYSICA,

DN. D. JOHANNIS BAPTISTÆ de WENCKH,

Archiatri Græcenſis, Acad. Nat. Cur. Adjuncti.

An ex virilis humani ſeminis cum brutali per nefarium coitum commixtione, aut econtra, an ex brutalis maris cum muliebri humano ſeminis commixtione poſſit verus homo generari?

AD hujus quæſtionis reſolutionem notandum eſt. Primò: omni ſemini tam vegetativo, quam animali proprium ineſſe ſpiritum, qui in maribus influus, in fœmellis autem inſitus nominatur, quorum prior ut totus activus principale agens eſt in ordine ad ſui ſimile producendum; Fœmineus autem minus activus, â maſculo actuandus eſt, quem ille expectat, ut animalis ideales formas corporeas, quas in tota ſeminis ſubſtantia confusè continet, in actum explicet.

Secundò: notandum eſt, quodlibet ſemen â DEO omnium Creatore proprio ſuæ ſpeciei inſignitum eſſe charactere, tanquam naturali ſuo ſigillo, quo ab aliis ſpecie diſtinctis differt,

fert, eſſe dotatum qui quamvis viſus aciem effugiat, cuilibet tamen ſemini tam vegetativo, quam ſenſitivo ineſt, atque tanquam archetypæ ideales individui ſuæ ſpeciei delineationes per fermentationem explicandas continet, ut, donec ad debitam maturitatem per nutritionem, & augmentationem pervenerit, ad ſuæ ſpeciei conſervationem per ſeminis productionem concurrat.

Quod fermentatio ſit neceſſaria ad generationem eamq; præcedere debeat, exinde patet, quia nulla generatio, neq; nutritio, aut tranſmutatio abſq; illa fieri poteſt, unde fermentatio poteſt definiri, quod ſit actus influentialis ſpirituum influentium in ſpiritus mixtos, vel materiis inſitos, idq; generationis, nutritionis, aut tranſmutationis gratiâ, ſecundum ac ſpiritus iſti influi formam vel recentem imprimunt, vel impreſſam conſervant, vel imprimendo aliam ſubigunt, corrumpunt, & alterant, unde nulla generatio contingere poteſt citra ſpirituum mutuam colliſionem, commixtionem, & fermentationem, quod liquidum evadit in ovario humano, aliorumq; animalium, ovula enim non imprægnantur, aut fœcunda fiunt niſi accedente ſpiritu ſeminali maris, qui influus ovulorum inſitum ſpiritum exſuſcitat, & in actum generationis deducit. Hoc pariter in generationibus, quæ æquivocæ vulgo vocantur, contingit, ubi ex variis ſordibus, corruptionibus, ac impuritatibus (an autem ſeminalis quid, in hiſce deliteſcat nec ne hic non diſputo) naſcuntur inſecta animalia, potiſſimum tamen opus, & actum vitalitatis complente ſpiritu aſtrali, ſeu influente æthereo univerſali, omnia vivificante.

Ultimo notandum eſt tam influo maſculini ſeminis, quam fœmineo inſito ſpiritui, ſpecificas corporales ideas organorum formatrices cauſas ineſſe, quibus tota corporis fabrica, uſq; ad ſuam perfectionem abſolvitur. Spiritus enim ſeminalis in animalium maſculis ſuas ſpecificas habet impreſſiones, quibus inſitum fœminarum ſpiritum in ovulo magis concretum, atq; magis corporeum, in quo pariter latentes determinatas ſuæ

ſpeciei corporis ideas, ſeu impreſſiones manifeſtiores, ac magis corporeas continet, movere & explicare, & in actum deducere ſolus potens eſt. Deinde cum generatio ſit perfectius totius naturæ opus, non ſolum uti cæteras illius actiones omnes ſecundum numerum, pondus & menſuram illam operatur, ſed etiam à tot aliis requiſitis conditionibus, ac diſpoſitionibus dependet ita, ut quamvis maris ac fœminæ nonnunquam perfectioni nihil deeſſe videatur, tamen aliquando ipſi illa ſimilitudinis utriusq; proportio deſit ad aliquid producendum.

Hiſce præpoſitis, dico primo, quod cum generatio tantopere ſit neceſſaria ad perpetuandas animalium, plantarumq; ſpecies, atq; tanta à naturâ propenſione expectatur, quinimo animal tam forti naturali impetu ad ſui ſimile producendum fertur, ut ſi mas fœcundo ſemine gravetur, eoque irritetut, ſi ſuæ ſpeciei fœmellam non adipiſcatur, obviæ alterius ſpeciei fœmellæ, dummodo naturale illius generationis vas ſit capax, ac aliqualiter ejus membro proportionatum, tempuſque generationi aptum exiſtat, cum illa coeat, atque animal producat, quod utriusq; ſpeciei ſit particeps, uti videre licet in mulo qui aſini maris cum commixtione propignitur, nec non in Leopardo, ex Pardo & Leæna genitus, atq; ex coitione canis & lupi, vulpis & canis, qui aliud ex utraq; ſpecie particeps animal propignunt. Quod paſſim in diverſis aliis animalibus utiq; videre licet, ſed præcipue in Affrica: Quia cum aquarum copia careat, proinde diverſarum ſpecierum animalia ad illarum ſcaturigines conveniunt, ut ſitis ariditatem extinguant, unde ex hac conventionis occaſione ſæpius confusè commiſcentur, & monſtra producunt: Ex quo proverbium venit, quod ſemper quid novi producat Affrica. Intet volatilia pariter Perdix mas Gallinam init; ſicut pariter rapaces volucres, quæ præda vivunt, quamvis inter ſe ſpecie differant, tamen indifferenter commiſcentur, & generant. Quidni, ut ajunt Naturaliſtæ, etiam inter piſcium ſpecies aliqui etiam ex diverſis ſpeciebus producuntur, uti ille qui Rinobates appellatur; quæ animalia

nimalia ex duplici ſpecifica natura producta, cum denuo inter ſe coëunt, varietatem illam animalium producunt, quæ univerſi decorem perſpicuum reddunt. Soli muli & mulæ ſunt infœcundi, & ſui ſimile producere ipſis à natura negatum eſt; quod inde non provenit, ne ſpecies in infinitum multiplicarentur, cum hæc ratio non obſtet ut leopardi aliaq; animalia quæ hybrides vocantur, id eſt duplici ſpecie progenita non generent: Sicuti pariter ſurculus alterius ſpeciei trunco inſertus fructus producat. Unde cauſa cur non generet mulus aliunde requirenda eſt, nimirum in diverſitate temperamenti aſini & equæ, de quo plura hic dicere ſuperſedeo. Unde ex his patet, quod ex commixtione ſeminis diverſorum brutorum ſpecie diſtinctorum, dummodo aliqualis ſit inſtrumentorum ad generationem requiſitorum proportio, poſſit generari animal. Quod autem horum animalium generatio naturalis ſit, ac poſſibilis, quæ hybrides appellantur, id eſt ex duplici ſpecifico ſemine producta, ex ſupradictis patet. Quia data partium utriusq; ſexus aliqua proportione ſemen influum maris poteſt attingere ſemen fœmineum, illudq; ad fœcundationem per commixtionem promovere, ac animare, cum influus maris ſpiritus vitalibus & animalibus ſpiritibus turgeat, inſitusq; fœminæ ſpiritus in ovo concentratus, nihil præter hoc exquirat, quam ut illo moveatur, ut quod in potentia continet, nimirum vivens aliquod producendi in actum deducere poſſit, quod fit, ſi debita adſit temperamenti utriusq; ſeminis tam influi quam inſiti proportio.

An autem maris diverſum ſpecificum ſemen fœmineo diverſæ ſpeciei ſemini commixtum, ſui ſimile tam in ſpecie quam proprietatibus, ſicut ex lineamentis omnibus producere poſſit, magna eſt difficultas id affirmare; Cum ex ſupradictis animalium hybridum generationibus contrarium conſtet, illaq; animalia participare ex utraq; diverſa ſpecie conſtet, uti de Leopardo, & Mulo dictum eſt, qui proprietates utriusq;, ſicut & lineamentorum utriusq; confuſionem participant: Nihilominus

nus legitur in diverſis Authoribus, quædam bruta alterius ſpeciei quoad figuram & proprietates partus edidiſſe, quæ tamen intra monſtra ac portenta recenſenda ſunt. Apud Valerium Maxim. legitur lib. 1. c. 6. n. 1. equam peperiſſe leporem. Rodius lib. 13. A. L. cap. 14. refert, bovem peperiſſe agnum. Anno 1631. Menſe Junii enixa eſt felis in Auſtria duos canes, & unum felem, qui Sac. Cæs. Maj. oblati ſunt. Hoc quoq; Græcii in ædibus Brunerianis in ſuburbio ante 26. annos contigit. Horum plura exempla videre licet ſimilia in Authoribus. De quorum tamen veritate multi dubitant. Nam ſi in ovis iſtorum animalium (ut ex Neotercoirum hypotheſi loquar) non niſi illius animalis ſpecifici corporsi latet delineatio, quomodo illa, licet caninum, aut alterius bruti maris ſuperveniet ſperma, extingui & alia corporis idea introduci poterit, cum ſaltem ad idearum evolutionem maſculum ſemen ſuum conferat ſymbolum, niſi potentiſſima fœminæ imaginativa facultas confuſionem inducat, aut aliam externam formam imprimat? Dixerim ego: Nihil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim.

An portenta iſta, ſeu monſtra, in quibus brutorum natura haud raro à deſtinato legitimi fœtus opere aberrat, à diverſo ſpecifico brutorum ſemine provenerit, nullus author, quem ſciam annotavit. Portenta quia aliquid eventurum portendunt, a nutu Omnipotentis dependent, qui quovis inſtrumento, ad producenda miranda ſua opera, pro ſuo beneplacito uti poteſt.

An externa lineamenta canum â fele in Auſtria & Græcii in Styria genitorum index certus fuerit latentis caninæ formæ eſſentialis, ſicut & proprietatum? dico hæc delineamenta non eſſe infallibilia, cum ſint mera accidentia, nam quot viſi ſunt homines ſimiæ faciem ad amusſim repræſentantes, aliorumq; brutorum ſimilitudinem aliquam in corporis externa figura præferentes, qui tamen idcirco non deſierunt veri eſſe homines.

An

An autem ex bruti cum humana fœmina coitu verus poſſit generari homo, id abſurdum eſſe ait Sperlingius lib. 5. hiſtor. natur. cap. 6. in ſua zoologia, quamvis non deſint Authores, qui id affirment. Scribit Bartholinus cap. 5 hiſt. 87. ſibi pro vero narratum eſſe in aula cujusdam Ducis Gallici ex cane natam eſſe filiam cujusdam fœminæ eleganti forma, & matri ſimiliorem quam patri, nam nihil caninum præſeferebat, niſi quod in lecto ſe volutaverit. Fuit in Belgio nefarius quidam, qui vaccæ ſe commiſcuit, quæ perfectum & pulchrum puerum poſtea peperit, qui baptizatus pietati ſe addixit, & ſeria pœnitentia patris ſui crimina expiavit: Delrio Diſq. mag. pag. m. 382. ſenſit tamen in animo propenſiones vaccinas, paſcendi prata, & herbas ruminandi, ſed à vacca natum abnuit, & vaccæ parturienti vento gravidæ à diabolo ſuppoſitum, ait Delrio lib. cit. quod voluntarium aſſertum nulla comprobatione munitum vocat, licet lib. 2. cap. 68. quod idem ego affirmo. Nam uti ſupra diximus, cum ſpiritus influus in animalium maſculis ſpecificas habeat impreſſiones, ut influendo in ovula fœminarum eademq; fœcundando ſuæ ſpeciei tantum in generatione univoca, ſeu ejusdem ſpeciei producat animalculum, proinde fieri nequit, ut fœmina à bruto mare imprægnata ejusdem quoq; ex parte aut ex toto illius non reportet lineamenta, ſiquidem maſculum ſemen atomis acido-ſalinis turgeſcens (uti aſſerit Carolus Drelincurtius in theatro anatomico de humano fœtu perioche 29.) & quidem activiſſimis, & ab univerſo corpore deciduis, nec non multiplici genitalium organorum apparatu ita ſubactis, ut plurimis partium ideis imprægnentur, quâ ratione ideæ illæ partium conſtitutione, ſeu formatricis fœtus in ovulo oblitterari poterunt, quin ſuum characterem illi imprimant, ac proinde membrorum ac externa lineamenta ſui genitoris fœtus non aliqualiter exprimat. Quamvis juxta neotericorum hypotheſim non negem, ipſi muliebri ovulo pariter ineſſe ſuæ ſpeciei jam â provida natura tenui penicillo exarata lineamenta, ſed illa minimè juxta delineationis ſpecificam ſym-

metriam explicari nequeunt, niſi accedente ejusdem ſpeciei influo ſemine, quo illa ſine confuſione organorum ac partium conformatione evolvantur. Id exemplo patet, nam ſi diverſæ figuræ ſigillum, ceræ jam alio ſignatæ imprimis, aut prius delebitur ex integro, aut utrumq; confundes. Sic & in bruti, & muliebri ſeminis commixtione fieri neceſſe eſt, ſicut & econtra ex virili & bruti commixtione.

Unde nullo rationis fundamento partus illi ſupra nominati probantur. Neq; id quod clariſſimus D.D. Chriſt. Fr. Paullini in ſua Cynographia curioſa, pag. 59. aſſerit, poſſibile videtur: Nimirum, heic promptius dabimus cauſam, cur â brutis maſculis fœminæ imprægnatæ forma humana in lucem edant fœtus? Scilicet humana in ovo latent lineamenta, quæ ſi absq; inordinata turbatione & impetu ä ſuperveniente ſpermate explicantur, verus quoad faciem (an verò quoad rationem, & cætera perfectum hominem ſpectantia requiſita, non edico, quia ſecundum ſanctum Auguſtinum lib. 16. de Civitate Dei cap. 8. ex Adamo qui ſunt, homines ſunt) fœtus humanus luci donabitur: Quod ſi autem impetuoſe fiat idearum evolutio, perturbantur, emergitq; monſtrum. Quia ex ſupradictis, id ſine lineamentorum ſeu idearum confuſione naturaliter fieri, vix eſt posſibile, idcirco nec talis partus dabitur.

An autem ex nefaria hac commixtione, ſi quis fœtus naſceretur homini quoad externam figuram omnino ſimilis, anima quoque rationali eſſet præditus? id cum S.Auguſtino nego; id pariter negat Doctiſſimus & Clarisſimus Drelincurius Perioche 23. ubi ait: liquet igitur ovum in matricem compulſum maſculi hominis duntaxat ſeminis ingreſſu prolificum fieri, idque ab Adamo creato ad noviſſimum usq; diem tam irrevocabili lege, ut mortalium nemo ſit aliter vel concipiendus unquam, nam in animali mortali iſtud eſt immortale. Idcirco eo mirabilius, mirabilia Dei ſuper Sacroſancto Virginis partu ſe ſe manifeſtant: Is quippe immortalis ϑεάνϑρωπος,

ne

ne ex carne peccatrice nobiscumque in peccato conciperetur, ſacroſancti Spiritus efficacia in virgineis iliis conceptus eſt. Quum enim DEO non ſit difficile quicquam, quid ipſi facilius fuit, quam in electæ ac illibatæ Virginis uterum electiſſimam & intaminatam deduxiſſe veſiculam, cui deinceps, is idem qui primitus incubuit aquis, incubaret & incubitu ſuo divino germen illud immortalitatis ἄκακόν τε καὶ ἀμίαντον ex illius ſelectæ veſiculæ ſinceriſſima cryſtallo intra beatæ Virginis ilia ſuſcitaret: Hæc doctiſſime ac piisſime præfatus clarisſimus Doctor.

Tanta ergo eſt humani generis excellentia, tam ſublimis dignitas, ut nequaquam in ſui propagatione per diverſam cum inferioribus animalibus commixtionem posſit illius naturalis ordo perverti, multo minus per eandem commixtionem animal rationis capax (data etiam & non conceſſa externa hominis in tali nefaria generatione apparentia) produci.

Vides ergo benevole lector claris oculis, quantæ benignitatis divina lex ſit, non parcè, ſed cumulatè ſua diſtribuere munera; Ornat enim Pater benigniſſimus gentem ſuam ultra ſatietatem. Non ſufficiebat enim prævia deliberatione, hominem ad imaginem ſuam creare, nec ſatis erat tantâ ſapientiâ condere corpus, ut revera nullo calamo explicabile, minus ullo animo perſcrutabile ſit, ad pleniorem etiam jucunditatis perceptionem etiam ſexûs conferendum erat diſcrimen. Altisſimo enim placuit alia formare membra, quæ eſſent maris, alia quæ inſervirent fœminæ. Res hæc tantæ admirationis eſt, quæ nec tacet Creatoris ſapientiam, nec noſtrum humanum intellectum, ſi cuncta rectè perſpexeris.

Maris enim munus & officium primarium eſt (ut ſuperius audiſti) emittere ſemen ſuum in fœminæ uterum, naturæ ſcilicet agrum ac hortum fertilisſimum, ut latens ibi & ſopita virtus in ordine ad generationem, quæ in genitalium ſtructura, tam in ſitu, quam numero, ac uſu conſiſtunt, ſuſcitentur,

foveantur, & in ipſas erumpat flammas, ſic uterq; ſexus ſpeciei ſuperaddit ſuam perfectionem in ordine ad generationem hominis; quis ergo dicet, quod ex putri & beſtialis ſeminis materia naſcentur homines, ut deliravit Avicenna, nec in furnulis coquantur & aſſentur, ut obganniebat Paracelſus, minus ex dæmonum prodeunt congreſſuu, ut putavit Valleſius, ſed ex maris & fœminæ hominis conſortio, uti loquitur Scriptura, & S. Auguſtinus in lib. de Civitate Dei, ipſaq; natura teſtatur; ergo homo cum ſuo ſexu Adamico generat hominem. Hinc Creatorem laudabimus.

DN. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI,

Præfecturæ Delitſchenſis & Bitterfeldenſis Phyſici, Acad. Nat. Cur.

Judicium de Sagis & Magis, harumque Apparitionibus, Exercitiis &c.

Ad Dn. D. SCHMIEDERUM, jam beatum, ſcriptum.

SAgarum per itinera caminaria in montem Bructerum conventus, inque hoc cum aliis converſationes, tripudia, ludos & concubitus cum diabolo infernali &c. puras putas viſiones & inſomnia, ſive ex talium imaginum ac phantaſmatum illuſionibus orta, deliria ecſtatica eſſe, nunc ex idioſyncraſia nativa, partim hypochondriaca, partim cholerico-melancholica, hinc pravis & malitioſis nimiumq; intentis rerum magicarum meditationibus, atque profundioribus ſuis phantaſiis ac fixis conceptibus, nunc magicis unguentis (qualia deſcribunt *PARACELSUS in Philoſoph. de Sagis & earum Operib.* *Tract.*

Tract. IX. cap. I. in Tomo Oper. II. p. m. 458. CARDANUS de ſubtilit. lib. IIX. & ex his *GODELMANNUS Tract. de Magis Venefic. & Lamiis lib. II. cap. 4. §. 11. & 22.*) aliisque diabolicis artibus & remediis contracta, exinde patet, quod ſæpe ſagæ ſimilesq; aniculæ conclavi benè incluſæ & ſomnum capeſſentes, ſæpiuſque maritis accumbentes, mane enarraverint, Jovemquè jurarint lapidem, ſe ex caminis per aërem in montem Bructerum volaſſe, aut portatas fuiſſe, & ibidem, aut in campo quodam, variisque locis aliis, imò & in beſtias tranſmutatas, cum ſociis ac ipſo diabolo infernali ſaltaſſe, & concubuiſſe, multaque alia peregiſſe, cùm tamen & conclave ſuum & cubiculum nunquam egreſſæ fuerint, quod allegat *DANNHAUERUS in Colleg. Phyſiol. pag. 125. GODELMANNUS l. a. Præfat. in lib. I.* item *lib. III cap. 7. FICHARDUS Conſil. 124. §. 2. GOCKELIUS Tract. Polyhiſt. Magico-Med. Curioſo pag. 26. ſeq. DOLÆUS in Encyclop. medica lib. I. cap. 13. §. 13. p. m. 199 ſeq.* & *LERCHEIMERUS* von der Zauberey *cap. 12. ſeq.* mihique ipſi, ex multifariis *Actis inquiſit.* perluſtratis edocto, firmiter perſuadeo. *LARRÆUS*, Regis BoruſſiæConſiliarius, *in Hiſtor. Septem. Sapient. Græciæ*, antiquiſſimam illam de ſagitta *Abaridis* fabulam morali ſenſu interpretans, cum ea confert plebis noſtræ fabellas de ſagis, factâ corporis unctione baculo ſeſe imponentibus, felicique volatu eum in montem, ubi ſuum celebrant ſabbathum, devehi ſolitis. Confer. *Acta Erudit. Lipſiens. Menſe Novembri 1717, pag. 500. ſeq.* In ſpecie depoſuit *Anna, Laurent. Stæderii*, Ruſtici Mochervicenſis uxor, coram Judicio Præfecturæ Delitienſis *Volum. Actor. III Artic. Inquiſit. 40. fol. 19. fac. b.* item ad Dnn. Scabinorum Lipſienſium inſtantiam *fol. 31. interrogat. 1.* fœdus & concubitum cum diabolo, ad mariti latus cubans, iniiſſe in ſomno & inſomnio, Deoque ſimul abdicaſſe. Conferantur Illuſtres in Ducatu Magdeburgenſi Conſiliarii Regii, *Heinric. BODINUS de Fallacib. Indic. Magiæ §. 13. THOMASIUS in Lection. Hybern. Anni 1702. pag. 14. ſeqv.*

FICHARDUS Conſil. III. § 2. *Johann. Joach. BECHERI Philoſoph. p.* 292. *Mart. BIERMANNI Diſputat. de Magic. Action.* §. 18. & *GODELMANNUS l. a. cap.* 4. *ſeqv*, nec non *Guido PATINUS*, Collegii Medici Pariſienſis quondam Profeſſor, qui in *Epiſtol. Select.* omnia, quæ de ſagis ſimilibusque magis narrantur, cum *Naudæo* pro fabulis habet, unde etiam judicia contra ſagas & veneficas improbat, eoque nomine increpat *Martin. del Rionem*, atque *Johann. Bodinum*, quem ideo impium, & in judaica ſuperſtitione mortuum eſſe, dicit. In ſpecie allegat ſæpe citatus *GODELMANNUS cap. IV.* §. 23. *pag.* 55. *ſeqv* egregiam & curioſam hiſtoriam de Nobilis cujusdam Megapolitani famula, â veneficis ſortilegii, & quod cum ipſis aliquoties in monte bructero fuerit, accuſata. Nobilis hic ex propria famulæ examinatæ confeſſione ſæpiùs inſtitutam, & ſequenti nocte cum reliquis inſtituendam, migrationem & tranſvolationem in montem bructerum percipiens, adjunctis ſibi animarum paſtore & domeſticis, mulierem noctu diligentiſſimè cuſtodivit, exploraturus, utrum transvolaret, nec ne. Sed miſera illa unguento quodam ſe illinens in ſomnum profundum ita incidit, ut nec illa nocte nec ſequente die excitari potuerit. Altero autem mane interrogata reſpondit, ſe in bructero monte conventum cum reliquis ſagis revera celebraſſe, nec aliud ſibi perſuadere paſſa fuit. Similia exempla deducunt etiam ſupra laudatus *BODINUS in Diſputat. alleg.* § 26. & *Auguſt. LERCHEIMERUS Tract. German.* **von der Zauberey** *cap. XIII. pag.* 117. *ſeqv.*

Applicanda huc deliramenta illa ſub paroxysmis maniaco-epilepticis, ſummo nimirum aut melancholiæ, aut vitæ ſceleratæ, cum audacia melancholico- & ſtolidè-delira, ſemper conjunctæ gradu, ebrioſi illius & luxurioſi, imò ferè athei, quocunque carnalium operum ſubmerſi & obſeſſi, adeoque κατ᾽ ἐνέργειαν verè diabolici, mediaſtini Pragenſis ac militis Magdeburgenſis, quibus perſonatum diabolum ſub ſpecie aut figura gliris, felis nigræ, canis, bovis, leonis linguam flammeo-

meo-rubicundum exſerentis, ac pedum ungulas ipſi porrigentis, nunc his ipſis faciem petendo illius genarum ſiniſtram vulnerantis, nunc *coram menſa ſtantis* & militem alloquentis, imò ſub ſtatura Nobilis Equeſtris, (eines Cavalliers;) *tunica ex panno holoſerico nigro*, nunc veſte coriacea, unà cum pileo nigro plumis albis ornato, amicti, nunc unguibus admodum longis ſtipati *præſentem fuiſſe, ſibi perſuaſit:* Qualia ſuperſtitioſa phantaſmata longâ ſerie enarrat *SCRIVERUS in Relat. Hiſtor.* **Eines verlohrnen und wider gefundenē Schäffleins.** §.*4--7.9, 11. 13. ſeqv. 21. 37. & 64.* ſimiliaque verè de binis ancillis ruſticis Paſtor Sayffertshaynenſis in Literis, die 12. Junii Anni 1705. ad Amicum Lipſienſem ſcriptis, mecumque communicatis, qui in alterius harum partibus carnoſis fiſſuras, quaſi acuum & echini cuſpidibus inflictas, teſtatur, & à teſtibus αὐτόπταις fideque dignis veſtigia echymomatum cutaneorum, quaſi pars cutanea digitorum apicibus fortiter fuiſſet compreſſa, nec non dentium fortiter impreſſorum morſibus, tam hominum quàm beſtiarum ſimilia, relata ſunt in Literis die 2. & 22. Maji dicti anni, mihique ſimul communicata. Talia enim ſtigmata aliæque læſiones, quæ in variis corporum dæmoniacorum ſic dictorum ac maniacorum partibus ſæpe apparent, à ſola imaginatione & impreſſione ortum ducunt, quatenus animæ ſenſitivæ, & hinc corporis partibus cutaneis & carnoſis fortiter imprimuntur, ſolâ internâ ac cerebrinâ diaboli cornuti & caudati, oculis igneis, rictu, roſtro, dentibus, pedibus equinis atque ungulis acutis &c. præditi, imaginatione & repræſentatione.

Adeoque ejusmodi ex impresſione idololatrica ortæ apparitiones, ridiculæque diaboli infernalis, nunc in monachum aut virum nigrum, nunc in leones, boves, canes, lupos, feles, glires, aliaque ſexcenta animalia, metamorphoſes, tam ſpirituum quàm corporum naturæ, ipſique ſcripturæ ſacræ, ac

ſanæ

ſanæ rationi, contrariæ, nil aliud ſunt, quàm ipſorum dæmoniacorum ſic dictorum phantaſmata, ex perverſa horum & planè corrupta phantaſia, à teneris annis ab infantum nutricibus & gerariis, atque parentibus, & utinam non ab ipſis Concionatoribus, Catechetis & Pædagogis, animo impreſſa. Uno verbo: deliria ſunt partim hypochondriaco- ac ſtolidè-melancholica aut maniaca, tanquam vitæ ſceleratæ, adeoque πνεύματος vitalis non ſolùm, ſed & αἵματος ἀκαθάρτου, proles, ſimiliaque præſtigioſa & phantaſtica, quæ partim cum aliis matrum ac nutricum proprietatibus per lac communicantur, partim magnâ vi illuſionis cujusdam, aut morbi, animis inhæſerunt: Quemadmodum id ipſum in *Actis Inquiſit. ſæpe allegat.* ex ſagarum ac veneficarum tot diverſis ſub examinis judicialis rigore, & tam torturæ actu, quàm extra illum, contradictionibus, revocationibus &c. facilè colligi poteſt. Confer. *THOMASIUS Lection. Hybern. Balthas. BEKKERI Mundus Faſcinat. lib. II. cap. 7.* inprimis §. 13. *cap. 32.* §. 4. *lib. III. cap. 2. ſeqv.* §. 12. *lib. IV. cap. 3. 6. 8--10. 16. ſeqv. Johann. Joachim. BECCHERUS l. a. GODELMANNUS l. a. lib. II. cap. 3. REICHIUS Diſputat. de Crimine Magiæ* §. 31 *ſeqv. &* 35. nec non *Obſervat Halens. Tom. X. Obſervat.* 12. §. 5. *& Hieron. à S. Fide* **Unterſuchung eines** *Anonymi* **unpartheyiſche Gedancken** *contra jam allegatam Reichii Diſputationem.* Prudenti ergo conſilio *Plato* ſuo jam tempore nutrices admonet, ne quaslibet fabulas pueris recitent, ac inde horum animæ primo ætatis flore ſtoliditate aliaque morum pravitate occupentur atque obſideantur, allegante *PLUTARCHO Tract. de Pueror. Inſtitutione.*

Φαρμακεία (veneficium, magia, **Zauberey** / uti communiter redditum legitur) *à. D. Apoſtolo in Epiſt. ad Galat. cap. V.* 20. carnis quidem, diabolico ſemine infectæ, minimè verò ipſius diaboli, operibus adnumeratur, ut adeo illius abuſus cum reliquis diabolicis artibus & peccatis condemnetur, ſicut ad eundem modum *Exodi cap. VII. V. VII. Malachiæ*

Malachiæ III. 5. & *Apocal. XXI. 8 XXII. 14.* per τοὺς φαρμακοὺς & φαρμακεῖς, *mecaſſchevim*, (maleficos, veneficos, præſtigiatores, incantatores Zauberer) *Exodi cap. XXII. V. 17.* per *mecaſſcheva* (maleficam, præſtigiatricem, Zauberin) & *cap. VII. V. 11. 22.* nec non *Apocal. cap. IX. v. 21. XIIX. 24.* per τὴν φαρμακείαν (veneficium, incantationem, Zauberey / Beſchwerung) neque diabolus infernalis hujuſque opera, neque Ethnicorum Græcorum ac Judæorum Dæmones & Dæmonia, nec puri puti venenarii & veneniferi, venena nempe actualia per ſe & ſuâ naturâ enecantia conficientes & propinantes, Gifft-Miſchere / Gifft-Gebere / intelliguntur; ſed omnes his vocabulis, pro actionum & modorum operandi diverſitate, indigitantur tam venefici & venenarii apud *PLATONEM de Legib. lib. X. JOSEPHUM in Antiquit. Judaic. lib. IIX. cap. 5. lib. XVII. cap. 5. ſeq.* & *de Bello Judaico lib. I. cap, 19.* & *ARISTOTELEM Hiſtor. Animal. lib. VI. cap. 18. & 25.* nec non *lib. IX. cap. 17.* quàm magi, malefici & incantatores, qui mediis pharmaceuticis ex triplici regno petitis mala intentione abutuntur, eademque, nunc accedentibus nunc omiſſis incantationibus & adjurationibus præſtigioſis, vel in hominum vel brutorum vel etiam terræ frugum pernitiem adhibent, juxta *BEKKERUM l. a. lib II. cap. 4. ſeqv. & 8.* & in ſpecie *cap. 10. §. 20. ſeqv. Rudolph. GOCLENIUM Synarth. Magnet*, ubi *de Botanomantia & Pharmacia in Daniel. Beckeri Theatro Sympathet. p. m. 258.* atque *SENNERTUM Medic. Pract. lib. VI. P. IX, cap. 2. p. m. 388. ſeqv.* nec non *Franciſc. MONCAJUM in Diſquiſit. de Magia Divinatr. & Operatr. Præfat.* Confirmant hoc etiam *Acta Inquiſit.* varia in Præfectura Delitienſi de Anno 1657. & 1658. in ſpecie *volum I. fol. 85.* ubi Venefica Mochervicenſis Gertrudis, Chriſtoph. Klepzigii uxor, vaccarum faſcinationem negans, rationem addit, quod deſtituta ſit plantis magicis (ob es der böſe Feind gethan / wiſſe ſie nicht; Sie habe kein Kräutchen nihilominus Præfecturæ lictor, una cum Sculteto Mochervicenſi. *fol. 27. a. 44. a. 53. b. 54. a.* in binis

Stæ-

Stæderii ſenioris & Klepzigii villis herbarum dictarum, in angulis & ſub tectis hinc inde latitantium, duas ſpartas (zwey Trage-Körbe voll) collegit, quæ etiam die 26. Novembris Anni 1657. unà cum veneficis & incantatricibus his, uti & gallo gallinaceo ἀλεκτρυομαντεία, dubio procul, aut uſui magico alio deſtinato, rogo combuſta ſunt. Ut itaque mirum omnino videatur, qui Nobilisſimo *Dn. D. Reichio in Diſputat. de Crimine Magiæ* ſub Illuſtris Thomaſii Præſidio habita, §. 20. contraria, eaque excluſiva, ſententia arriſerit.

Malitioſa intentione, firmaque imaginatione ac impreſſione, veneficæ claudicationem, ſterilitates, aliosque morbos, imò ipſam mortem, hominibus æquè ac brutis inferunt, pulverem quendam vel ſolis veſtibus adſpergendo, vel in publicas vias, agros atque prata, projiciendo, non quidem omnibus promiſcuè nocentem, ſed iis tantùm, quibus infeſtæ ſunt. Sic binæ Veneficæ Modervicenſes, Stæderia ſenior & Klepzigia, Anno 1657. coram Judicio Præfecturæ Delitienſis confeſſæ ſunt, quod pulverem quendam, ex hyoſcyamo novemque ſeminibus aliisque plantis magico uſui deſtinatis compoſitum, in agro, diaboli nomine (adjurationis loco) diſſeminarint, & mediante hoc vicinæ cujusdam Stæderiæ junioris, vaccam faſcinarint & occiderint, reliquis ex univerſo grege ſalvis omnibus, uti hoc teſtantur *Acta Inquiſit. Volum. I. fol. 122.* Pari modo & intentione *Remigii* venefica, diſſeminato in pratis pulvere, quinque tantum vicini ſui boves, faſcinando enecavit, reliquis omnibus aliorum vicinorum in toto grege ſalvis, de quo legendus *REMIGIUS Dæmonom. P. I. pag. 169.* Et cùm teſtimonio *PARACELSI lib. de Philoſoph. occulta*, ubi de inſigni magiæ abuſu, *in T. Opp. II. p. m. 493.* incantatores, veneficæ & ſagæ, incantationum veneficiorum &c. optimi ſint Medici, & incantatis aliiſque faſcinatis omnium felicisſimè iterum auxilium ferre posſint, uno eodemque pulvere ac medicamento easdem claudas vel alio morbo, faſcinatione præviâ, affectos ſanitati reſtituunt: uti

ti hoc exemplis variis & certiſſimis teſtatur jam allegatus *REMIGIUS l. a.* & *Actor. Inquiſit. ſupra cit. Volum. VI fol. 46. &. 91.* Nec abſimili modo ac intentione ſeriâ ipſas herbas quoque in ſemitis & agris projicere, aut ſub viis publicis defodere, & tranſeuntibus nocere ſolent: uti hoc præter *REMIGIUM* & *GOCLENIUM locis allegatis*, teſtantur *PEUCERUS de* ἐπῳδοῖς *f. m. 109. CARRICHTERUS Tract.* von Heilung zauberiſcher Schäden *p. m. 255.* ut & *Volum. III. Actor. Inquiſit. fol. 66. 80. & 91. de Valent. Barthii*, ruſtici Flembsdorffenſis, uxore, quæ herbis quibusdam magico uſui deſtinatis in agrum, uti & muſcis ſuper equum Paſtoris Zwochavienſis, *M. Martini Lehmanni*, projectis, hujus, nec non ſimili modo trium ruſticorum, equas & vaccas faſcinando occidit. Simili intentione & impreſſione venefica quædam in Epiſcopatu Conſtantienſi, dum per carnificem â terra ſuper rogum elevata, in faciem ejus inſufflavit, dicendo ſimul: *Pro iſto tuo labore habebis â me præmium;* & ſic ſtatim in lepram incidit, paucisque poſt diebus mortuus eſt, quod ex *Sprengero* allegat *GODELMANNUS l. c cap. 7. §. 26. p. m 91.* De puero quodam, ad oſtium domus ſedente, refert *Caſpar. â REYES Camp. Elyſ Quæſt. 24. §. 10.* eum ſeriâ matris præſentis admonitione & ſuaſu, cani rabido, ab aliis pueris inſecuto, audacter (ſeriâ ſimul procul dubio, tam matris intentione, quàm pueri confidentia & temerè ſuſcepta perſuaſione & imaginatione) obviam iviſſe & in eum exſpuiſſe, quo canis protinus ceciderit demortuus. Fœminam juvenculam novi, honeſtæ conditionis & feſtivi ac ludicri animi, quæ ſolâ cogitationum atque imaginationis directione muſcarum cædem, quam alii inſtrumento coriaceo conſueto (einer Fliegen-Klatzſche) omni operâ intendunt, impedire ſolet, atque ſic earum conquaſſationem per merum cachinnum & animoſitatis illuſionem nunc inhibet, nunc animando permittit. Conſul quidam Bitterfeldenſis, Chriſtoph. Poyda, mihi cognatus, ſolo cachinno omnes ſe invadentes & latrantes canes ſubitò ob-

muteſcere fecit, propter firmam & â teneris annis ſibi impreſſam perſuaſionem & imaginationem. Qua occaſione reticere non poſſum uxoris meæ nunc beatè defunctæ conditionem, quæ, quoties olim per pagos, villas ac prædia, perambulabat, ſolâ fiduciâ ſeriâq; impreſſione, omnium adorientium canum ſævisſimo latratui obicem ponebat, eosquè ad momentaneum ſilentium, ſummam tranquillitatem & familiaritatem cogebat, ſimul ac fimbriam perizomatis dentibus maſticare inciperet: mihi contrà timidulo ac incredulo (ſicut & Conſulis Bitterfeldenſis cachinnanti nepoti, M. *Gregor Reichii*, Paſtoris Roitzſchienſis filio, medicinæ tunc temporis ſtudioſo) irritus ſemper fuit effectus, ut ut loco perizomatis aut extremæ tunicæ, aut marginem pilei, illius ſuaſu, ori admoverim ac maſticaverim; Ad latus tamen illius, nihil tale quid agens, ſine ulla canum offenſione ſemper tutò procedere potui.

Hinc etiam fit, ut veneficæ ipſæ, aut capturæ aut incarcerationis metu conſternatæ, aut carceribus jam incluſæ, faſcinare & incantare ampliùs non poſſint, quia omnis fiducia, fides & impresſio, circa praxin ſuam magicam delentur. Nullam ſiquidem mentionem faciunt *acta ſupra allegata inquiſitionalia*, nec aliunde, nec ex relatione quadam hiſtorica, certior fieri potui, quod ſagæ & veneficæ incarceratæ aut cuſtodes ſuos aut reliquos alius criminis cauſa captivos, multo minus Præfecturæ ac Juſtitiæ Officiales, neque lictores aut hujus familiares, intoxicarint, aut quocunque modo læſerint; quin potius ſupra dicta *Klepzigia*, & *Anna*, *Bartholom. Stæderi ſenioris uxor*, *fol.* 133. 161. *a.* 162. *b.* 163. *a.* 171. *a.* 173. *b.* 174. *a.* & *b.* 175. in torturæ actis depoſuerunt, quod pridie ante capturam, Deo crimen hoc atrox deprecatæ, cacodæmoni in agro oleribus obſito abdicarint, nec ullam cum hoc in carcere communicationem habuerint. *Lambertus* quidem *DANÆUS de Sortiar. cap.* 4. inter duas impotentiæ intoxicandi cauſas, hanc profert, quod carceribus incluſæ venena ſua & herbas aliaque media magica commodè non

non poſſint habere. Vera autem ratio in hoc conſiſtit, quod proſtratâ inprimis fide & læſa imaginatione, adjurationis præſtigioſæ effectus ceſſet, neque in cuſtodum aliorumquè captivorum, multo minus Præfecturæ Officialium aut Judicis inquirentis præſentia fieri, adeoque nec actiones & intentiones ſuas malitioſas ad certa objecta dirigere queant: Unde etiam nec ulla læſio dictis herbarum magicarum collectoribus accidere potuit, cùm extra uſum magicum nulla etiam faſcinatio & incantatio ſperanda.

Solâ porro intentione firmaque fiduciâ & ſeriâ impreſſione milites & venatores pulveris pyrii accenſionem atque bombardarum exploſiones impedire poſſunt. Pari imaginatione ſeriaque intentione & impresſione malevoli neonymphos in actu benedictionis ſacerdotalis ligant, & ad congreſſum conjugalem inhabiles reddunt, nunc ligulam, utplurimum rubram, conſtringendo & nodando, nunc ſeram penſilem obſerando, nunc cultrum parieti aut januæ cubiculi, nunc clavos palo quercino infigendo modisq; innumerabilibus aliis, quos recenſent *Johann. BODINUS in Dæmonom. lib. III. cap. I. pag 109. ſeqv.* & *CARRICHTERUS* von Heilung zauberiſcher Schäden *p. m. 253. GODELMANNUS lib. I. cap. 6. §. 26. p. m. 67.* Pari etiam ratione ſuperſtitioſæ mulieres nunc per cribri hæreditarii, nunc libelli Evangeliorum Dominicalium hæreditarii, forcipe aut clave ſuſpenſorum, nec non ſecuris palo rotundo perpendiculariter infixo vel tremorem, vel mutationem, vel reſpectivè ſaltum & circumactionem ſpontaneam, certam ſimul adjurationis formulam ſuſpectorumquè nomina recitantes, furti, vulnerationis, aut alius criminis perpetrati, reos explorare audent. Exempla talis koskinomantiæ & axiomantiæ cum ſucceſſu optato inſtitutæ, præter obſervationes olim varias, easque αὐτόπτας, legi in *Actis hujusmodi inquiſitionalibus*, quæ partim in *Præfectura Delitienſi* de Anno 1687. & in *Bitterfeldenſi*, partim quoque in *Curia Brennavienſi* de Anno 1672. aſſervantur.

Hinc mirum non eſt, quod ſagæ & veneficæ profundis cogitationibus, firmiſſimisque rerum magicarum conceptibus & impreſſionibus, ideis malitiæ ſigillatis, propriam atmoſpheram ſpirituoſam in imaginem ſuam ita coërcere valeant, ut *obviam euntibus, imprimis veneficio* afflictis, aut *adhuc affligendis, aut ſiniſtrè judicantibus, & viſa ac audita propalantibus, in naturali forma, ſtatura & habitu*, imò *Walpurgis die matutinis horis, ante Solis exortum, ædium ac borreorum culminibus, unà cum vaſe butyraceo inſidentes aut ſtantes appareant.* Conf. *Hiſtor. Inquiſit. Volum I. & III.* Unde plebs edicere ſolet: Sie låſſet ſich bey lebendigen Leibe ſehen / ſie gehen noch bey lebendigen Leibe um; *Utut ipſæ ſagæ in horreis, ſtabulis, vel aliis locis corpore præſentes, atque domeſticis negotiis expediendis, vel malitiis adimplendis occupatæ ſint.* Conf. *Volum V. 54. ad Artic. 6.* Imò Walpurgis nocte ad maritorum latus cubantes, atque profundisſimo ſomno correptæ, de concubitu cum diabolo infernali, de bajulatione aut vectigatione ſuper baculum, ſcopas, furcam &c. per caminum in bructerum montem, de converſatione, commesſatione & tripudiis cum ſociis ac ipſis diabolis, ſomnient: De quibus & ſimilibus phænomenis *Acta Inquiſit. ſupra nominata* abunde teſtantur. Confer. *Henric MORUS Antid. contra Atheism. lib. III. cap. 16. GODELMANNUS l. a. lib. II. cap. 4. §. 44. pag. 67. MAJOLUS* Dier. Canicul. pag. 4446. *FICHARDUS Conſil. 124. DOLÆUS in Encyclop. Medica, GOCKELIUS l. a. cap. 3. pag. 17.*

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY



G. D. Heumañ del. et sc. Norib.

MEMORIA
VIRI ILLVSTRIS
MICHAELIS FRIDE-RICI LOCHNERI,

HAEREDITARII IN HVMELSTEIN,

ARCHIATRI CAESAREI ET PERSONAE IMPERIALIS MEDICI, S. R. I. NOBILIS, COMITIS PALATINI, EPHEMERIDVM ACADEMIAE LEOPOLDINO-CAROLINAE N. C. DIRECTORIS GRAVISSIMI, MEDICI NORIBERGENSIS SENIORIS MERITISSIMI,

VIRTVTIBVS ET HONORI DICATA,

SCRIPTORE

ERHARDO REVSCHIO.

TEſtatum eſt omnibus, quicunque rerum ante noſtra haec tempora geſtarum aliqua cura tanguntur, iis praeſertim, qui artis antiſtitum fata ſolicite conquirere annisi ſunt, in tanta hominum, in medica exercitatione ſtudioque verſantium, multitudine paucos admodum omni aevo fuiſse repertos, qui Medici boni et prefecti famam tuerentur. Porro res eſt non obſcura, in exiguo hoc numero fuiſse neminem, qui feliciſsime medicinam faciendo aliquam nominis celebritatem conſecutus sit, qui non idem ſimul elegantiorum literarum arcana diligentiſsime ſcrutatus, humanitatisque amator et vindex reliquos ex ſuo ordine ſtrenue praecurrere deprehenderetur. Haud infrequenter mirabar, quid tandem esſet, quod feliciſsimum hoc medicinae cum humanitate connubium conjungat? Vtriusque ſtudii praecepta animo luſtrans, ea ratione partim, partim hiſtoria confici, adeoque nonnisi ſolerti intellectus acumine, multaque memoria comprehendi, animadverto. Animadverto et illud, tantum abesſe, ut, qui facultatibus iſtis, praeclaris certe omnique laude digniſsimis, ſunt praediti, ideo ſtatim sint vel medici abſoluti, et in quibus nihil amplius requiras; vel antiquitatis myſtae perfectae cumulataeque virtutis habeantur, ut utrique potius a perfectionis apice utplurimum absint longiſsime. Proinde in omnes partes quaquaverſum diſpiciens, deprehendisſe mihi viſus ſum, qui in alterutro ſtudio, multoque magis qui in utroque, eminere cupiunt, neceſſe eſſe, ſenſuum quoque vigore ut polleant eximie, quo celeri cogitatione ac divina ingenii ſolertia in rebus ſingulis, quae ſalutaria,

excogitare, quae optima norunt, praecipue exercere, omnibusque operam ſuam commodare valeant. Quis vero eſt, cui non innotuerit immane diſcrimen, quod inter hominum ingenia hac quidem parte intercedit; et quam raro in unum coëant ſenſuum mentisque vires, quarum hae illos, niſi varietatis hujus impetus quodam modo temperetur, fere debilitat ac plane conficit? Rari ſunt, quibus ea naſcendi contigit felicitas, ut a natura omnibus iis dotibus inſtructi prodeant. Mirari itaque desinamus maximam reipublicae orbitatem talium virorum, quos non omnis aetas profert. Naturae enim miracula ſunt, quae non quotannis in lucem ſuſcipiuntur. Si qui vero DEI O. M. dono concedantur, ſive aetatem adhuc agant, ſive vita jam excesſerint, magnifaciamus oportet, et ex virtutibus recte aeſtimemus. Bene ſapienterque cenſuetunt Quirites, virtuti virorum meritis ac dignitate illuſtrium hoc eſſe pretium ſtatuendum, ut memoria illorum poſteris commendetur. Quod humanitatis officium tantum abeſt, ut noſtro ſaeculo viventes negligant, ut maximum potius ſtudium ponant in vitis eorum pernoſcendis, qui fama meritisque inſignes aut noſtra haec tempora, aut ſuperiora illuſtrarunt, certatim ſe invicem provocantes, quis feliciori conatu vitas nuper fato ſunctorum commentari, eorumque facta in literas referre ſuſtineat. Ita namque quotidianae mortes interitusque multorum facilius feruntur, et quam majorem ſentiremus doloris acerbitatem, mitigat et depellit bene meritorum laudabilis recordatio. Poſtquam itaque diem ſuum, nobis necdum opinantibus, obiit MICHAEL FRIDERICVS LOCHNERVS, vir in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi poteſt, philologus insignis, medicus de patria, de arte ſalutari, et de univerſa re literaria, si quisquam alius, optime meritus, in judicando providus, in agendo ſolers, in ſentiendo modeſtus, labore, vigilia, aerumnis invictus, alloquio comis, morum ſuavitate admirabilis, gratia denique, opibus, amicitia, virtute eximius, fas eſt omnino, ut omnis ejus vita, ſanctiſsime et honeſtiſ-

neſtiſsime acta, plenius recognoſcatur. Vt igitur iuſta fierent Collegae optimo, ſimulque multorum, qui aliquam eruditionis partem in eo collocant, ut cognita habeant virorum ſapientia et doctrina clarorum fata, merita et labores, deſideriis quadantenus ſatisfieret, Illuſtri Academiae imperiali Nat. Cur. hoc pietatis monumentum erigere, negotiumque hoc a beate defuncti genere nobiliſsimo, mihi committere placuit. Quae deſideria eo facilius apud me valuerunt; quod pluribus Beati et clariſsimae gentis Lochneriae beneficiis in omni varietate rerum mearum ornatus, cultum ac amorem in defunctum in pectore meo perennanentem hocipſo teſtari occaſio daretur. Quantum vero pietas ſtudii mihi affert, tantum facultatis ingenii mediocritas detrahit. Meritorum enim multiplicium magnitudine longe ſuperari vires meas qualescunque, probe ſentio, neque perſpicio, quibusnam verbis ejus laudes conſequi valeam. Defungar tamen flebili hoc officio, decoraque illius haud vulgaria poſteritati, ut posſum, commendabo, ne iisdem finibus pietas mea, quibus amiciſsimi fautoris vita, terminata videatur. Et quoniam verborum neque copiam, neque ornatum adferre valeo; breves rerum ab ipſo laudabiliter actarum commentarios conficiam, et pro virili parte efficiam, ut in quibus ornamentorum varietati multum, in iisdem ingenuae veritati nihil deesſe, multoque minus funebribus laudibus vitiatam memoriam jure quis poſsit exiſtimare.

Trajectum ad confluentes Pegnesi et Regnesi, *Furthum* vocant vulgari ſermone, MICHAELI FRIDERICO patria contigit. Eſt ille locus in opulento Nariſcorum, vel Norici potius, agro, cui mira fertilitas *Norgoviae* nomen dederat, ſitus, oppidi ſat ampli magnitudine, ſitu amoeniſsimus, uno lapide ab urbe *Noriberga* diſtans. apertus quidem, nec muro nec moenibus cinctus, at jam ab ultimis Imperii Germanici initiis cognitus, ubi Carolus M. confecto itinere diurno, noctu ſubsiſtens, ſacellum exaedificari curavit. In eo mercatus olim frequens vigebat, antequam *Noribergam* indiceretur. Aeris quoque

 ſignan-

ſignandi honore capax habebatur. Henrici denique Imperatoris, cognomento Sancti, & Conradi, Burggravii Norici, donationibus inclutus. Dies natalis, idemque initiationis ſacrae, noſtro illuxit pridie Kalendas Martias, anno ſalutis per Chriſtum partae ſecundo et ſexagesimo ſupra millesimum ſexcentesimum. Eorum, qui iſtic Chriſto nomen dederunt, curam per annos bene multos laudabiliter agebat parens reverendus, M. CAROLVS FRIDERICVS LOCHNERVS, vir pietatis, hoſpitalitatis et beneficientiae laude conſpicuus, cujus aedes nemini unquam occluſae, omnibus patebänt, comis, facundus, poëta promptus et facilis, Theologus doctus, qui ſcriptis luculentis nomen illuſtravit. LOCHNERIAE gentis antiqua ſunt decora quamplurima, e quibus IOANNES BAPTISTAE pater et filius, Maximiliano Caeſarum maximo, Ludovico Hungariae regi infelicisſimo, Carolo quinto Imperatori fortisſimo, perquam chari, inſignium ornamentis clementsſime donati, ac *nobilitaribus regnorum viris una cum heredibus nativis ac germanis* annumerati. Quid commemorem IOANNEM BAPTISTAM, nepotem, qui Benedicti religioni addictus, in celeberrimo, eoque antiquisſimo ad Danubium virorum religioſorum conſortio, *Altaichium* ſuperius a quercubus cognominato, ad *Abbatis* dignitatem evectus, eandem per annos octo et viginti ſumma fide et induſtria geſsit? Praeclarae illius ſtirpis propagines, quae temporum fortunaeque eſt iniquitas, latuere dehinc aliquandiu *Noribergae*, quam doctrinae purioris amore ſedem elegerant, conſcientia recte factorum tutae; hinc *Olſnam Silesiorum* translatae: unde FRIDERICVS avus, *Noribergam* redux, poëta egregius, majorem ab ingenio, quam officio laudem promeruit. Maternum genus a MAIERIS, gente Helvetiis, deduxit, unde felix illa SABINA, patre IOANNE IACOBO MAIERO, mercatore inter primos *Noribergae* ampliſsimo, prognata eſt, quae CAROLO FRIDERICO nuptui data, felicisſima mater progenuit MICHAELEM FRIDERICVM, avi paterni modo laudati, et MICHAELIS MEIERI, qui honorabili advo-

advocatiae praefecti munere *Furthi* functus, pro puſione ſacris initiando ſponſor interceſsit, nominibus nuncupatum. Honeſtam naſcendi ſortem, primam esſe homini recens nato a Deo datam felicitatem, *Plato* et reliqui Graeciae olim Latiique prudentes, quibus mens non erat laeva, non modo non negarunt, ſed aperte potius atque ingenue confeſsi ſunt, eoque nomine illius, a quo tantum boni ſe accepisſe ſentiebant, laudes et praeconia grati celebrarunt. Quam veterum, quos neque rectum de Deo ſenſum habuisſe, neque vero ipſum cultu invocasſe novimus, pietatem quo minus inficias ire poſſumus, eo magis illorum demiror ſtupiditatem, qui ſe vera, eaque certiſsima, promanante ex ſalutari ſacrarum literarum fonte, philoſophia, ipſo Numine magiſtro, innutritos esſe gloriantur, nec tamen percipiunt, aut certe nunquam grato ſecum animo reputant, Deum eſſe, cui id beneficii acceptum unice referant, nedum ut dignam eo vitam degant. Ea vero altera eſt beatitas, qua viam ſalutis, ſimul ac nati ſumus, ingredi jubemur a piis parentibus, quibus illud eſt officii a ſummo Numine iniunctum, ut natis ac nepotibus iſtam fideliter commonſtrent, imo praeeant. In quo uti Lochneri parentes nihil in ſe desiderari paſsi ſunt, ſed potius hoc amoris pignus laeti excipientes, curam ejus gesſerunt ſedulam, veluti rationem aliquando reddituri, ac pusioni virtutum ſemina mature ingesſerunt, quo fructibus, quos ille dehinc meteret uberrimos, ipsi quoque laetari poſſent ac perfrui: ita in Michaele Friderico ſtatim apparuit divina vis ingenii, non craſſo ſub aëre nati, qui celeriter arripiebat, et felici memoria usque adeo singula comprehendebat, ut, quae unquam puer fando accepisſet, per omnem aetatem recte retineret, ac praeſentiſsime commeminisſet. Prima pietatis capita, rectumque Dei cultum mature edoctus, ac praeterea artium liberalium rudimentis domi probe imbutus a parente amantiſsimo, puer ſexennis, ad capiendum ingenii cultum uberiorem, *Noribergam* mittebatur. Vere enim exiſtimabant parentes laudatiſsimi,
foven-

ſovendam eſſe incredibilem hanc ingenii docilitatem, et agri fertilis inſtar crebro ſubigendam, ne vitiorum ſentes occupent. Munia vero ſacra, quae parens piiſsimus cum laude obiit ſolus, quum iis bene gerendis vix plures viri, iique ſolertiſsimi, ſufficerent, urgebant, ut alios in has curarum et educationis partes adſciſceret. *Noribergae* vivebat amita, matrona honeſtiſsima, quam viduam PÜHLERIAM nuper admodum e vivis ſublatam luximus: haec matris in ſe vices, materno quippe amore noſtrum proſequebatur, ſumebat. Fingendus autem formandusque tradebatur IOANNI SEINSHEIMERO, viro Graece Latineque doctiſsimo, qui in *Gymnasio*, quod heic loci floret, *Egidiano* bonas literas juventutem docebat, ſeminaque virtutum ac doctrinae, mentibus juvenum enata, arte et diſciplina ſedulo fovebat. Is, quod grata ſemper mente recolebat LOCHNERVS, in oculis ferebat puerum, diſcendique, qua mire hic flagrabat, cupiditatem egregie alebat. Hoc doctore fideliſsimo, eos in bonis literis fecit profectus, ut duodecim annos natus, terſam ſcriberet orationem Latinam, et verſus funderet Latinos pariter atque Graecos. Iam tum illis temporibus documenta dabat praeſtantiae, qua ſe non minorem olim futurum ſignificabat principibus illis heroibus, in omni literarum genere illuſtriſsimis, SCALIGERO, HEINSIO, GROTIO, aliis, quos, antequam ex ephebis excederent, magnos jam et ſapientia praeſtabiles exſtitiſſe accepimus. Hinc per reliquos claſsium, quas vocant, ordines recte incedens, praeceptores habuit GEORGIVM VVIDMANNVM prorectorem, dexterrimum formandae juventutis artificem, et fortaſſe etiam, pro certo enim id affirmare non habeo, FVCHSIVM rectorem, qui iſtoc tempore in reverendi clariſsimique HELDII locum ſucceſſerat. neque tamen e SEINSHEIMERI diſciplina et informatione privata, tantopere ſibi probata, prius exceſsit, quam humanioribus literis bene praeparatus ad ſcholas academicas eſſet dimittendus. Erat in LOCHNERO, venuſto et amabili, ſumma corporis gracilitas et membrorum debili-

debilitas; nec annos habebat multos, utpote qui quintum ageret ſupra decimum. Studiis itaque filii, ad maiora nati, melius proſpectum eſse credidit parens reverendus, si, antequam academiarum pelago committeretur, inſtitutioni traderet fratris, JACOBI HIERONYMI, qui, conſiſtorii regii aſſeſsor, *Viſmarii* tum primas docendi in templo, *Nicolai* nomen gerente, partes obtinebat, idemque dein in ducatibus Bremensi ac Verdensi conſiſtorii, quod *Stadae* eſt, aſseſsor graviſsimus munia geſsit ac dignitates antiſtitis coetus divini, qui tum *Bremae* in aede primaria, tum in locis vicinis, ſacra purioris doctrinae celebrat theologus inclutae venerandaeque memoriae et ſummae apud omnes exiſtimationis. *Hamburgum* anno ſeptimo et ſeptuageſimo ſaeculi ſuperioris petiturus, in eo itinere viros graves forte fortuna habebat comites, quos ſuavi doctoque alloquio, quod ex venuſto corpore longe gratius et decentius fluebat, ita demulsit, ut omnes ipſum peramarent, ſummamque illius, ut filii, curam agerent. Hinc *Viſmarium*, nobile quondam maris balthici emporium, et urbem tum munitiſsimam, ad patruum contendit, qui MICHAELEM FRIDERICVM amantiſsime excepit, exceptum domi ſecum retinuit, fidem ei praeſentem ac favorem paternum praeſtitit, ſtudiaque ſacra, quibus parens eum deſtinaverat, feliciſsime moderatus eſt, dum interea ab URBANO LEHMANNO, rectore, et MICHAELE FREVNDIO, prorectore, philologis doctiſsimis, in gymnasio regio ibidem docentibus, ad interiora humanitatis, et ad ſapientiae rerum divinarum humanarumque adyta admitteretur. Abſonum enim eſt, multisque nominibus pernicioſum, humanitatem, quae per omnem diſciplinarum ambitum late regnat, ab his ſejungere, quod frequens admodum vitium eſt, iſtis familiare, qui quam late pateat uſus amoeniſsimi iſtius ſtudii, prorſus ignorant; adeoque quod ipsi imperitiſsimi ab illo sint vacui et inanes, aliis quoque auctores fiunt ejusdem quasi minus neceſsarii abjiciendi. Temperare mihi non poſsum, quin

quin mentionem injiciam ſeverae orationis, qua LEHMANNVS filium hunc ſuum, quo blando affectus singularis cognomine LOCHNERVM compellabat, condiſcipulis in primo ordine commendaturus, hos acriter corripuit, ac ſocordiae ſupinae coarguit, quod barba tenus philoſophi eſsent, & quum per vicenos & amplius annos in diſciplina permansiſſent, ſapientia tamen ab hoc aetate puero ſuperarentur. Fallitis enim, et fallimini, inquiebat, annis ſapientiam definientes, quae princeps omnium virtutum, bonarumque rerum mater, non aetate, verum ingenio colligitur. Quos enim aetas demum acuit, eos fere parum idoneos rei gerendae credamus. Haec et alia LEHMANNVS tum graviter dicebat, aperte faſsus, ingenio LOCHNERI alendo has minus idoneas eſse ſcholas. Seorsim diſciplinas ei tradebant laudati modo praeceptores, multaque eum fide inſtituebant rebus optimis, quibus aetas juvenum ad humanitatem informari ſolet. Praeterea ſumme reverendus patruus linguae ſanctae notitia et ardua ſacrarum literarum cognitione tenerum animum imbuebat, & quæ doctrinae ſanctioris capita aliis tradenda monebat, ipſe ſuo exemplo et vita exprimens, multum confirmabat. Ceterum mature inde eſse ablegandum ad uberiorem bonarum artium mercatum cenſebant. Quo factum eſt, ut anno necdum ibi emenſo, *Roſtochium* ad *Varnam* adiret; qua in academia jam inde ab initio Theologi doctrinae pariter ac vitae ſanctitate conſpicui pietatisque sincerae amantes, enituerunt. Vivebat tum ibidem ſenex venerandus, AVGVSTVS VARENIVS, in quo omnia fuerunt ſumma, pietas, eruditio, candor, temperantia, et eximia quaeque in theologo ornamenta, quem patruus ſocerum ſuum colebat, et ab eo hunc quoque ex fratre filium ſacras literas rectius percepturum confidebat, sicut ipſe olim feliciter didiciſset. A VARENIO in domum receptus ſuam, felicia ſtudiorum ſacrorum auſpicia capiebat. Eosdem cum VARENIO lares incolebat alter ipſius gener, JOACHIMVS STOCKMANNVS,

medi-

medicus feliciſsimus, cujus conſuetudine quotidiana quum frueretur LOCHNERVS, et ille ſuaviſsimo de rebus medicis ſermone, quae ſint naturae ludentis miracula, quot in terra et in aquis lateant theſauri, doctiſsime exponeret, igneam LOCHCNERI indolem adeo incitabat, ut quotidie aliquid videre, audire, diſcere cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium augere averet; ſicque ab illo tempore inter medicorum filios nomen profiteri non abnueret. Equidem de ſtudiorum mutatione utramque in partem plurima diſſeruntur: nec pauci in hiſtoria literaria medici nominantur, qui a ſtudio ſacrarum literarum animum ad medendi artem appulerunt, iidemque maximam nominis famam conſecuti ſunt. LOCHNERO autem evenerat, quod plurimis contingere ſolet, ut parum abeſset, quin parentum praeceptis imbutus, ante implicaretur aliquo genere curſuque vivendi, quam potuit, quod ſibi eſset convenientiſsimum, judicare. Quamprimum vero cognoviſset, a ſua voluntate proficiſci debere, quam vellet in rep. perſonam gerere, praeterea ſecum cogitaret, quosdam e ſuis majoribus gloria medica praeſtitiſse, ac denique ſuum parenti optimo inſtitutum haud diſpliciturum ſperaret, medicae artis ſtudio animum eo ſucceſsu adjecit, ut majores multum ſuperaret. Ab eo certe tempore illud cum theologia conjungebat, quo utroque propius perſpecto, facilius quod eſset optimum, dignoſceret, ne caſu potius et consilii imbecillitate, quam deſtinato animo, cuidam vivendi generi implicatus videretur. Quum ita per annum ſe induſtrium praebuiſset VARENIO atque STOCKMANNO, lubido eum invasit *Havniae* inviſendae, cujus urbis ſplendor maximus eſt, tum quod Rex potentiſsimus ſedem in ea habet ſplendidiſsimam, tum quod dulce muſis hoſpitium praebet, tum quod mercatura ibi ob portus et maris commoditatem insigniter floret. Ingens quotidie ibi eſt hominum ex omni terrarum parte confluxus, ut mundi compendium jure dicere queas. In tanta vero mortalium frequentia, multa eſse, quae aut recta aut meliora mo-

nere poſsint veritatis coeleſtis ſtudioſum, si quidem animo innocentia obfirmato acceſserit, non male exiſtimabat Lochnervs, ideoque in hac luce verſari aliquandiu voluit. Diligenter intuebatur pompam et magnificentiam regiam, quæ oculos omnium praeſtringebat: prodibat in forum, ut mores et habitus confluentium ibi ex nationibus diverſiſsimis coram inſpiceret, non quidem ut oculos paſceret, quam potius ut aliquod commodum percipiens, animum ſatiaret. Salutabat quoque privatim viros in ea urbe degentes praeſtantiſsimos; cognovit theologos, cognovit medicos, viros non medendi ſolum arte clariſsimos, ſed humanitatis omnis, eruditaeque antiquitatis cognitores exactiſsimos, Olavm Borrichivm, Casparvm Bartholinvm et Oligervm Jacobaevm, quos docto ſuavique adoleſcentis amabilis alloquio ſe oblectaſse, & noſtrum viciſsim peregrinatorem rerum variarum cognitione auctum ab illis receſsiſse, cognitum eſt. Iſtud vero ſatis exploratum non eſt, quamvis indiciis non levibus id conjiciamus, si quas Daniae urbes, praeter *Havniam* intraverit. Nec de *Vraniburgo*, ſuperba nobiliſsimi Tychonis Brahei arce, aſtrorum contemplationi aptiſsima, in inſula *Venusia* ſeu *Huena*, affirmare quidquam habeo, praeterquam quod in colloquiis, ſermonibus enim eruditiſsimis pro ſolita comitate aures animumque tenebat frequentiſsime, de eadem multa, quaſi praeſens illa vidiſset, mihi narraſse memini, alias ex hiſtoria literaria non incognita. *Havnia* in *Holſatiam* conceſsit anno ſaeculi ſuperioris nono et ſeptuagesimo, *Chilonii*, cujus novae tum academiae gloria ſurgebat, ſubsiſtens, donec dira hiemis tempeſtas deſaeviiſset; quo tempore panegyris Holſaticae nobilitatis annua ibi peragebatur, qua ingenti numero proceres nobilesque titulis et imaginibus antiquis clari in urbem conveniunt, de rebus publicis atque privatis, ac praeſertim de re pecuniaria, inter ſe acturi. Ad alium vero mercatum, bonarum puta artium, noſter quum adveniſset, illorum potius favorem ambire voluit,

qui

qui ipſum erudire poterant. Nec difficile fuit, in amorem omnium penetrare. Praeterquam enim, quod ea erat modeſtia, ut per ſe ipſum amarent cuncti; aditum pandebat Jacobi Hieronymi patrui fama, quem omnes inſignem theologum et perenne ordinis ſui decus ſuſpiciebant. Mirabili eum benevolentia proſequebatur incredibili quadam varietate rerum atque copia abundans ille Morhofius, maxima non Cimbrorum tantum, ſed totius Germaniae gloria, qui quod *Roſtochii* quondam arctam cum Jacobo Hieronymo amicitiam contraxerat, & cum eo quoque in cathedra oppugnationes diſsentientium ſolide exceperat, vel ideo Lochnerum, mirifice diligebat, ut veteris conjunctionis memor eſset. Deinde Christiano Kortholdo, abundanti doctrina vitaeque innocentia omnibus cognito, ſe adjunxit, et eousque profecit, ut de omni re atque negotio e ſacris literis prompte diſsereret, & dignus haberetur, qui in concionem prodiret. Neque tamen eo inclinabat animus, qui ſalutaris potiſsimum artis amore tenebatur. Acuebant illum Ioannes Daniel Maior, qui feliciſsimi ingenii medicus, naturam & res occultas plane perſpiciebat, dilucideque explicabat, itemque Ioannes Nicolaus Pechlinus, ſcribendi medendique peritia inclutus heros: quorum placita uti libenter audivit, ita quae in rem ſuam eſse videbantur, ſolicite collegit. Ne tamen inconſulto parente alteri cuidam ſe vitae generi totum manciparet, ea de re ad genitorem, quo leni ac benefico uſus eſt, decenter referebat. Hic quamvis utique maluiſset, ut filius ſe imitaretur; conſultius tamen eſse duxit, coram agere cum eo hac de re maximi momenti ante, quam vel annueret, vel renueret. Ideoque in *Belgium* iret, indeque domum protinus reverteretur, anno ſaeculi elapſi octogeſimo imperabat. Ille dicto audiens, iter ad *Belgas* dirigebat expeditius, quod ad vicinas ſubinde urbes, *Lubecam*, *Gottorpium*, quo eum copioſa cariſsimaque artis et naturae blandimenta, ibidem regio apparatu comportata, pellexerant, et

reliquas, jam ante iter feciſset. *Belgii* terris, & quas *Rhenus* alluit, peragratis, domum revertebatur, parentibus cariſsimis, omnibusque acceptiſsimus, quibus, quum res de ſtudiorum mutatione ad conſultationem veniret, consilium ſuum de arte medica addiſcenda ita probabat filius obſequentiſsimus, ut, quid factu opus eſset, deliberationem haud longam inirent. Quum enim noſsent, maximos artis illius ſtatores in academia patria florere, non opera magis quam ſcriptis aeternum duraturis famam promeritos; nulla interpoſita mora *Altorfium* decurrebat, ſplendidiſsmam illam muſarum ſedem, & domicilium peropportunum, cujus communis ſtudiorum matris res ut perpetuo ſalvae sint, florentes ac ſecundiſsimae, vehementer cupio, Deumque O. M. precor. Doctoribus hic uſus eſt praeſtantiſsimis, Mauritio Hoffmanno, principibus qnoque viris charo, fama gloriaque nominis per univerſam Europam late diffuſâ nobiliſsimo, cui primam *ductus pancreatici* in gallo Indico inventionem deberi, jam non amplius eſt obſcurum: Iacobo Pancratio Brunone, Galeni veterumque medicorum aſsertore perſpicuo: Ioanne Mauritio Hoffmanno, anteceſsorum gloriam et meritorum multiplicium varietate et munerum amplitudine feliciter vel exaequante vel ſupergreſso, quem, poſt Lochneri excesſum, ad Archiatri Caeſarei et Ephemeridum *Directoris* munia & dignitatem provexit praecipua doctrinae virtus. Hunc fautorem mihi perbenevolum, quum ante haec quinque luſtra in horto academico, Florae deliciis, plantatum genera, characteres viresque, verbis melle hyblaeo dulcioribus ediſsereret, ultra luſtri ſpatium horis ſubcisivis audiviſse, volupe eſt, eoque nomine Seni venerando gratias, quas debeo ac poſsum, ago habeoque maximas, et ut commodam ſenectam ad ſeros usque annos molliter traducat, ex animo apprecor. Quid de mathematicorum phoenice, Ioanne Christophoro Sturmio, memorem? cujus naturae et artis magiſtri incomparabilis aeternum nomen eſt eritque

que ,quem ſagax Britannorum natio tanto in pretio habuit, ut ora viri famigeratiſsimi in atrio ſocietatis ſuae ſuſpenſa, maximiſque imaginibus addita, coram contueri cuperet. Et quoniam noſter totum ſe ad inveſtigationem naturae contulit, illius doctrina ita repletus eſt, ut quae STVRMIVS de variis philoſophorum placitis, de mundo, de homine, docte commentaretur, omnino perdidiciſse ſit cenſendus. Ea quippe STVRMIVS pollebat docendi facilitate, quam et ipſe non sine incredibili animi voluptate perſpexi, ut, qui celeriter arriperet, ejus doctrina totum facile animum perfunderet. Nihil attinet, sigillatim enarrare, qua gratia apud hos doctores ſuos fideliſsimos noſter valuerit. Quis enim eſt, qui non mente citius praecipiat, quam ut verbis exprimatur, ingenii elegantiam, conjunctam cum decora morum ſuavitate, mirabiles ſui amores accendiſse in animis omnium, eorum maxime, quos colebat, obſervabat? Cumprimis tum illis ſe diligentiſsimum praebebat, quum aliquandiu unicus eſset, qui Aeſculapiorum Altorfinorum ſcholas, ad quas frequens alias confluxus ſemper fuit, et ad hunc usque diem eſse ſolet, frequentaret. Diſcendi enim quum eſset cupidiſsimus, unicus LOCHNERVS illis erat auditorum inſtar plurimorum: in quo formando expoliendoque ſummam nulloque tempore intermittendam induſtriam, et fidem attulerunt, quam grato usque animo praedicabat. Non jam mirari ſubit, si tam praeclaros ille fructus retulit, quando in muſeo, in horto, in agro, in theatris, anatomico et chymico, ſedulus, nec punctum temporis ullum vacuum praeterire paſsus, familiarius cum doctoribus ſuis egit, tantumque profecit, ut dehinc publica doctrinae ſpecimina, more in academiis recepto, ederet eruditiſsima. Quum ita biennium *Altorfii* peregiſset, et interea ingentes omnigenae eruditionis theſauros collegiſset; doctam *de promontorio faciei, odoratus organo* diſsertationem ſuo marte conſcriptam, laudatiſsimi neque unquam laudandi ſatis HOFFMANNI junioris auſpiciis, die 4. Martii anni ſecundi et octo-

gesimi,

geſimi, commilitonum examini committeret. Iſtud praeſertim ut animadvertatur, dignum eſt, quod difficillimam BORELLI acutiſsimi doctrinam, qua matheſeos de motu principia non contemnendos in medicina uſus praeſtare, ſolide is commonſtravit, tum adhuc recentem et paucis cognitam, mira promptitudine, STVRMIO doctore, ita hauſerit noſter, ut ſingula non firma tantum memoria teneret, ſed et, quoties occasio daretur, eadem accurate explicaret, ſuavique adeo oratione aliis probaret. Haec tamen omnia, quamvis maxima, nondum explere animum LOCHNERI poterant: nec contentus diſciplinis, quas uberrimo proventu praeſtabant Athenae Noricae, Gallias quoque adire voluit; Gallias, inquam, ubi quae vetus Latium aut Graecia antiqua jactabant, quae item alter orbrs habet, naturae et artis miracula laete hoſpitantur, et, quæ utilitas redundet in medicinam ex apertis humanis corporibus, quam commode partes corporis laeſae in priſtinum ſanitatis ſtatum ſint reſtituendae, quotidiano opere docetur. Quam longiſsime enim aberat ab haeresi illorum, qui *ſtatum viventis ex vivo, non ex mortuo cognoſci debere* ſanxerunt, quum omnino de interna partium ſtructura, et quae illam laedant, rectius judicet, qui oculis perſpexit, quam qui ratiociniis tricatur. Altorfii in DAVIDIS ZOLLICOFFERI et IOANNIS VDALRICI HANNHARTI, quorum uterque, quantum conſtat, ad doctoris medici gradum aſcendit, familiaritatem venerat; atque illa ipſa ob ſtudiorum ſimilitudinem eo firmius coaluerat. His comitibus in *Helvetiam*, quae illis patria erat, aeſtate praecipiti contendit. Viae taedio occurrebant docti iſti peregrinatores inveſtigatione germinum et ſeminum rariſsimorum, quae non incongruis obſervationibus illuſtrabant, quae ſeminibus, floribus, petalis, fructibus, ſingularumque partium ſtructurae et notis competant, ut hiſtoriae naturalis et Florae amoenioris cultores decet, curioſe recolentes, et botanicorum inter ſe ſententias comparantes. *Basileae* in alterum usque menſem non otioſus, ſubſtitit,

ſtitit, omnium rerum, ex quibus medicina in officinis pharmacopolarum paratur, insitas vires & efficacitatem perquirens. Et perquam commodum LOCHNERO accidit, ut HANNHARTO atque ZOLLICOFFERO, quorum alter in tabernis aliquandiu delituerat, familiariores eſsent officinarum magiſtri, qui ſumma humanitate, quae ibi recondita ſepoſuerant, promere non gravabantur. Praeterea in antiquiſsima *Rauracorum* academia medicinam docentes, et EMANVELEM KOENIGIVM, eorum, qui tria, ut vocant, naturae regna ſcrutati ſunt, coryphaeum ſubtilem et ingenioſum, nec non reliquos viros, munerum ac titulorum ſplendore fulgentes, quum ſibi devinxiſset, & cum HANNHARTO, ſi bene memini, publice *de Salibus* diſseruiſset, menſe Novembri *Argentoratum*, atque hinc *Lutetiam Pariſiorum*, muſarum acropolin, perrexit. In hoc itinere Parisino incurrebant in ſenem quendam gravem, minime ambitioſum ac temperantia moderatum, cum quo, eodem pernoctantes diverſorio, ſermones miſcebant varios: utebantur autem lingua Gallica, ut poterant, quoniam ille ſe noſse fari Germanice diſsimulabat. In his ſermonibus collocutionibusque, praeter cetera, de metallorum perfectione inter ſe loquebantur, quam noſter tum praeciſe negabat, alter ille ſuavi blandaque oratione ita adſtruebat, ut nec LOCHNERO, nec viae ſociis, ulla dubitandi ſuſpicio ſupereſset, quin homini ignoto, quem pro impoſtore habuerant, fidem adſtringerent. De metallorum origine adeo ſapienter diſserebat, ut quae de aqua, de ſale, de vitriolo atque nitro, de mercurio, de commercio planetarum cum metallis, et de inſtrumentis (*menſtrua* vocant monſtroſo vocabulo,) aurum amice ſolventibus, itemque de regimine ignis, operoſe adſeruntur a pluribus, docte inter ſe componeret, tandemque concluderet, metalla emendari, mutari, augeri, ſe experientia multiplici edoctum pro certo habere: rem quidem eſse arduae et abſtruſae cognitionis, nec tamen ejus ut effici non poſsit. Atque ita de hoc argumento ſermones

mones in ſeram usque noctem extrahebant ; dum interea LOCHNERVS et ſocii, qui Gallice non adeo expedite loquebantur, lingua patria enuntiabant paulo liberius, quae sibi viderentur. Tum demum Germanos idiomate ſuo, quod exquisite pronuntiabat, affabatur ſenex ille, quae sibi diſplicuiſsent, atque a quibus in ſolo peregrino verſantes sibi cavere deberent, candide et amice monebat, eaque re omnes in admirationem rapiebat. Vota tum erant omnium una, quibus reliquam fere noctis partem conſumebant, ut in ignotum hominem, de ſe tot nominibus bene merentem, utcunque poſsent, eſsent officiosiſsimi, ſeſeque totos in illius amicitiam inſinuarent. Quae cura ſomnum ex oculis ante diluculum excuſserat, ut a cubiculo hilares prosilirent, ne exoptatiſsima haec proficiendi occasio elaberetur. Atqui is tamen eorum vota praevertit: exierat enim ſummo mane poſtquam hoſpiti pro ſe et reliquis ſatisfeciſset. Tanto magis jam pudore ſuffusi, ſtupebant omnes, quaerebant ſenem per compita; ſed ille abierat, exceſserat, evaſerat, in animis juvenum ingens oppido desiderium ſui relinquens. Ab illo tempore, uti impoſtorum technas vitare, ita mitius et majori cum circumſpectione judicare didicit de illis, qui artem auri faciundi profeſsi ſunt. Ipſe tamen nunquam ſe adduci paſsus eſt, ut philoſophiam ignis tentaret. Sed peregrinatorem doctiſsimum *Lutetiam* proſequor, urbium Gallicarum reginam, orbi ſimilem, Muſarum gratiarumque omnium ſedem, aedificiorum magnificentia, platearum amplitudine, palatiorum auguſto ſplendore, collegiorum, pontium ſtructura perfecta nulli ſecundam. Eam nuper ingreſsus, in maximas vitae insidias et extremum diſcrimen adducebatur a nebulone, qui homini peregrino, ex horto regio *ad S. Victorem* in urbem remeanti, officia humanitatis pollicitus, ſe adjunxerat: ſuſpicatus tandem, eſse comitem hunc, nimis officioſum, ex maleferiato hominum genere, faceſsere illum juſsit, atque sic Dei O. M. ope, e periculo ſervatus, et ſalvus ad ſuos pervenit.

nit. Pariſiis aetatem quum degeret, conſuetudinem et amicitiam ad extremum usque vitae halitum conſtantiſsime durantem, jungebat cum IOANNE ZELLERO, quo medico excellentiſsimo, ſingulari hujus ſaeculi ornamento, ac lumine, *Tubinga* nunc felix eſt. Vltra biennium is heic loci commoratus, jam abitum parabat, & quasi LOCHNERO adventanti locum conceſsurus, aditum januamque patefaciebat, quo nihil fieri potuit amantius, ut in horto regio, qui in ſuburbio *S. Victoris* medicorum filiis monſtrat, quicquid natura in utroque orbe producit admirabile, frequens eſset cum DVVERNEJO, auditus ſenſuumque omnium, quorum obſcura antea erat cognitio, ſolertiſsimo indagatore, et cum BVSSIERIO, ſecandorum corporum artifice peritiſsimo, qui in operarum partes veniebat DVVERNEJO, et manum operi plerumque admovebat. Exercitatiſsimum hunc virum, qui in exercitu regio vulneribus conciſos primo loco curaverat, et dehinc principi Condaeo, quod ad corporis membrorumque ſanationem, ſubmiſse aderat, religionis tandem amore in Britanniam ſeceſsiſſe accepimus. Adduxit noſtrum ZELLERVS, nunquam sine cura nominandus, ad magnum PETITVM et peritiſsimum BODAVTIVM, qui in palatio, in quo vitioſae aegrotantium partes publico ſumptu ſanantur, *à l'hotel Dieu* Gallis dicto, Chironis artes manu ſtrenua, ſtabili, nec unquam intremiſcente, exercebant feliciſsime. Familiari denique conſuetudine, eodem parario, noſter utebatur eorum, qui mente emotis medebantur, et qui opem ferebant medicam miſere decumbentibus in palatio, *Charité* dicto, ubi a ſymbolis beneficorum hominum aegroti fere ſuſtentantur. Nullus eruditorum conventus celebrabatur, cui non intereſset LOCHNERVS. Nec faſtidivit, perorantibus in curia oratoribus, et cauſas clientum facundiſsime agentibus, qua laude Pariſiensium ICti commendantur quam maxime, aures ſuas dare. Curiosis ad haec luſtrabat oculis bibliothecarum regiarum aliarumque theſauros, et praeter ceteras illam, quae *ad S.*

Victorem antiquis libris, iisque rarioribus manu exaratis, ſuperbit. Hortos denique, ubi germina à peregrino orbe accersita, laetoque hoſpitio excepta, velut in ſolo nativo coluntur, frequentabat, omnium favore dignus habitus, quum nemo eſset, qui juvenem eruditum, induſtrium, modeſtum, ſumma humanitate, gratia, amore, prout par erat, non exciperet. Iis quippe virtutibus vel a natura, vel ab induſtria erat inſtructus, quibus in ſolum peregrinum abeuntes exteris ſe commendant, ut difficilem in aliis morositatem, in aliis protervam comitatem, ſuavi ac leni facilitate ferret, et ad cujusque genium ſe attemperaret. Iucundus itaque quum eſset omnibus, occasio addiſcendi, quantum vellet, quotidiana fere ſubnaſcebatur. Aſsidui in arte ſua ſtudii horas ita partiebatur, ut ne inter mortuos tantum, ſed et inter vivos verſaretur frequentiſsime, probe conſcius, in luce hominum prudenter verſari, eam demum eſse veram eruditionem. Suo certe ſenſu abundare paſsus eſt commilitonum nonneminem, qui et corpore et animo deformatus, dum reliqui ad ſpectacula advolant et ad regiam aulae magnificentiam contuendam, pedem domo efferre non auſus, *homilias Lutheri*, quas ſecum attulerat, percenſebat. Euge! bonas horas in regionibus exteris, et ſumptus in iter faciendos non felicius effunderent boni, qui reip. nati ad cultum capiendum peregre amandantur. Noſter ineptam, ne dicam veſanam illius vivendi rationem ſalſe deridens, praeter academias, quarum tres ibi numerantur, templa item magnificentiſsimo apparatu ſe efferentia, palatia, quae ſpectatu digna ſunt omnia, arces regias, Ludovici XIIII, Auguſtum aeterna in Muſas Muſarumque cultores munificentia vel aequantis vel ſuperantis, *Luparam*, *Fontis bellaquei*. *Fanum Dionysii*, et reliquas, inprimis *Verſalienſem*, ſeptem veterum miraculis mirabiliorem, ceterasque aedes palatinas, aulae magnificentiſsimae ornamenta, atria, xyſtos, porticus opere mirabili, ſtupenda artificia, pulcherrimeque ſumptuosiſsimo apparatu perfecta opera, mirabatur;

proce-

procerum denique, quorum adſpectus monere te aliquid poteſt coetus et celebrationes, quantum homini extero et juveni reverentia adverſus magnates, viros titulis et meritis graves, permittebat, aſsiduus obibat, quo ſpectator ea perciperet, quae ſedula licet, et fideli mentis applicatione, si domi desideas, nunquam penetraveris. Exacto in hac urbe, in qua luſtranda omnia temporum momenta obſervavit, anni fere dimidii ſpatio; non enim consiſtere ibidem, ut maxime vellet, et commorari licuit diutius; reliquas regni florentiſsimi urbes peragrare, atque hinc in Britanniam trajicere tetendit. Menſe Aprili anni tertii et octuagesimi per *Aurelianum*, *Bleſam*, *Turonum*, *Salmurium* usque nobile iſtud emporium, academia decoratum, recto itinere perrexit, in comitatu adoleſcentum Germanorum quorundam et Helvetiorum: hinc flexo itinere, *Richelium* conceſsit, eo animo, ut linguae Gallicae deliciis unice ſtuderet, et in hac ſola, ſe a conſortio ſodalium liber exerceret. Vrbs nova eſt et arx, utraque magnificentiſsima, ſuperbum opus eminentiſsimi *Cardinalis* cognominis, qui natale ſolum fecit nobiliſsimum, ſtatuis, picturis, antiquis maxime ornatiſsimum: hortum voluptatis optimo jure diceres; quem qui pro dignitate laudare velit, architectum omnibus numeris abſolutum, antiquitatis arbitrum ſummum, excellentem pictorem, hiſtoricum conſummatiſsimum, optimum poëtam, oratorem denique perfectum eſse debere, cum ſapientibus noſter cenſuit. Poſt menſem alterum *Salmurium* eſse reverſum, ibidemque menſe Iunio ineunte, ad Ioannis Caspari Eisenschmidti, Argentoratensium dehinc Evclidis, amicitiam ſe aggregaſse, certis documentis edocti ſumus. Sed ad quae porro loca, et quo itinere, penetraverit, compertum non habemus, eo quod vivus memoriae ſuae nihil ipse comparaverit. Per *Pictaviam* tamen, et *Occitaniam* ad *Marſiliam Provinciae* usque pervasiſse, indeque per mediam Galliam in *Normannos* ad *Portum gratiae* flexiſse iter, conjectura eſt, amicorum ſuf-

fragiis corroborata; unde in magnam *Britanniam*, toto orbe diviſam, transmitteret. Neque feliciter ſatis proceſsit navigatio, quum mare ventorum impetu tumefactum, atque procellae ſubito obortae vis et vehementia per tres quatuorve hebdomadas in alto jactaret navim, a littorum appulſu arceret, et poſt diuturnam hanc remoram ad *Angliae* quidem oras appelleret: at quoniam in regno omnia eſsent ipſo mari magis turbidiora, nec ſecura itinerum peregrinatio; huic ſe periculo committere noluit; ſatius ducens, si iter in *Belgium* relegeret, ibidemque in tutiſsimo Muſarum ſeceſsu res ſuas perageret. Agebatur adhuc annus ſaeculi elapsi ſupra octuagesimum tertius, quum a *Gallia* et *Britannia* in *Batavorum* terras veniret, ubi nobile literae cum commerciis, quae alta pace et libertate enutriuntur, connubium iniiſse, jam ipſe praeſens cognoverat. *Lugdunum* ſe contulit, urbem Hollandiae amoeniſsimam, academia cumprimis et horto medico celebratiſsimam, omni animi induſtria ſummoque ſtudio cognitionem rerum variarum, quam egregie jam conſecutus erat, augere et perficere connitens. Maxima tum academiam illuſtrabant artis paeoniae lumina, ſcriptorum fama per univerſam Europam celeberrima. Quos inter Theodorvs a Craanen, ſubtilitatem et elegantiam Cartesii aſsecutus, morbos hominum et ſanitatem ſecundum placita iſta ſagaci mente dijudicabat. Huic totum ſe expoliendum tradidit eo ſucceſsu, ut poſt anni decurſum ſumma quaeque contigiſse videretur. Praeter Theodorvm operam dedit Pavlo Hermanno, illi exoticarum rerum peritiſsimo viro, qui in India diu commoratus, in animo Lochneri ingentem excitaverat cupiditatem, adeundi Indos, peregrino ſole calentes, nisi tenerior corporis membrorumque compages eam repreſsiſset. Ab Lvca Schachtio, medico felici et perſpicuo, quaerebat non jam adjumenta doctrinae medicae, ſed ipſam medendi rationem, de eo ſolicitus, ut non ſcholae, ſed vitae diſceret, lectisque aegrorum adsiſtens in uſum deduceret,

duceret, quae de hominis natura accurate perdidicerat. Accedebat quoque curioſiſsimum NÜCKIUM, celſiſsimi Principis Arausionensis anatomicum dexterrimum, & quae ſubtili arte parata benevole commonſtrabat adventantibus, ſagaci mente mirabatur. Interea dum *Lugduni* haerebat, ad principes Belgii foederati urbes, per vices ivit, *Dordracum, Delphos, Harlemum, Gudam, Roterodamum, Hagam Comitum*, urbibus ſe aequantem, *Amſtelodamum*, ubi FRIDERICI RUYSCHII, egregie tunc florentis, et hodienum nominis famam ſumma cum laude tuentis, aliorumque hiſtoriae reique naturalis amantium et belle curioſorum reconditos theſauros, quos potuit, conſpexit omnes. Quae de Rheni, fluviorum Germaniae principis, alveo et exitu a CLUVERIO, eruditiſsimo Geographo, et aliis diſputata ſunt, opportunitate uſus coram inſpexit. Etenim prope *Lugdunum*, verum et antiquum oſtium, arenarum tumulis a mille jam annis obſtructum, rectum aquarum decurſum ſiſtit, easque novo alveo, qui *Licus* dicitur, evolvit. *Helium* dein et *Moſae*, itemque *Flevi* ſeceſsus et oſtia, foſsam denique a *Corbulone Moſam* inter atque *Rhenum* perductam, ſcrutatus eſt, ut de singulis eo certius ipsi conſtaret. Nec dubium eſt, quin accuratius, quae tum oculis uſurpaverit, ipſe expoſuiſset, si, quae *de Caroli M. Foſsato*, uti vocant, cujus in vicino agro reſtant adhuc veſtigia, et de aqua Rheni atque Danubii commiſcenda, meditatus eſt, exſequi licuiſset. Tanto labore, tot tantorumque prudentia Doctorum poſtquam doctior evaſerat, animumque ac pectus optimis quibusque diſciplinis ad ſatietatem usque imbuerat, anno quarto ſupra octogesimum, *Trajectum, Coloniam Agrippinae* et reliquas urbes pertransiens, domum remigrabat, non contemnenda reconditarum doctrinarum acceſsione locupletatus. Patriae redditus, *Altorfium* denuo conceſsit, atque ut praemia laborum diu promerita meteret, honores atque dignitatem doctoris medici modeſte ambivit a praeceptoribus ſuis et virtutum magiſtris, qui per-

ſpecta

ſpecta LOCHNERI indole, induſtria, atque eruditione profunda, de ſua omnium ſententia eas in Candidato dotes agnoſcebant, ob quas dignus eſset, qui in academia machaoniae gentis adoleſcentes edoceat, ac profeſsoris medici officia atque partes ſuſcipiat. Quum ſpecimen aliquod publicum de more eſset dandum, nactus sibi is videbatur tempus et locum idoneum, quo certis documentis ſpectari poſset virtus et eruditio, per *Galliam* et *Belgium* collecta. Proinde diſſertationis argumentum eſse voluit hiſtoriam virginis Gallicae, *Nymphomania* laborantis, et poſt trigesimam intra ſextum diem ſanguinis miſsionem, refrigerato et exſtincto calore, miſerrima morte multatae, in cujus demortuae viſcera doctum infigere cultellum licuerat. Inter competitores, quibus cum LOCHNERO certamen honoris erat et dignitatis, connumerabatur IOANNES GEORGIVS VOLCAMERVS, patris cognominis filius, Medicus hodie Noribergensis, et Collegii Medici Senior, ob rei herbariae praeſtantem cognitionem non cum Crateva ſolum et reliquis veterum, ſed cum ſcientiſsimis noſtri aevi herbariis de principatu contendens, cui jam ad ſenium inclinanti Neſtoreos precamur annos. Et quidem VOLCAMERVS pater, Archiater Noribergensis primarius, Praeſes Academiae Leopoldinae magnificus, ejusdemque ſtator et alter quasi conditor aeternum promeritus, ſuavem amicitiam a longo jam tempore colebat cum LOCHNERO patre, et ſocii ad Pegneſum florigeri dulce ſubinde melos concinebant. Ab his parentibus amicitiam manu quasi traditam filii ſuſceperunt, ſtudiorumque similitudine insigniter auctam tam ſancte tuebantur, ut dehinc collegae, sibi et reipublicae amicitia arctius convincti, certatim ſe diligerent, totoque pectore peramarent. Hoc comite facundo iter ingreſsus eſt in *Italiam*. *Auguſtam Vindelicorum*, quae nobiliſsima Romanorum colonia, vereque auguſta, veteris ſplendoris cultu hodienum nitet, quum eſsent delati, LVCAS SCHRÖCKIOS, patrem et filium, maxima nomina, et per Europam celebratiſsima,

tiſsima, quorum hoc Praeside ſplendidiſsimo Academia Naturae Curioſorum mirifice ſeſe effert, officioſe ſalutabant. Luſtrabat tum laudabili annua conſuetudine gratioſus medicorum ordo famosiſsimam officinam pharmaceuticam Stapelianam, atque ut huic intereſsent, viatores noſtros invitabat perhonorifice, ubique taliter ſe gerentes, ut modeſtiae atque eruditionis laude mactati diſcederent, rectaque via per *Comitatum Tirolenſem* in *Italiam* tenderent. In *Venetiarum* urbe, illo naturae artisque miraculo, communi orbis emporio, IOANNES BOHEMVS, medicus feliciſsimus, cui aetate et meritis gravi viro, adhucdum ſuperſtiti, fauſta quaeque et ſenectam lenem precamur, benigne per aliquot dies hoſpitio excepti, maris reginam Adriatici diligenter considerarunt, non multo poſt *Patavium* properantes. Patavinae academiae jam a ſaeculis parta celebritas tanta eſt, ut medicus perfectus exiſtimaretur nemo, qui in hoc Aeſculapio non cubaſset. In Patavinorum medicorum, quos corporum ſecandorum, ſerendarumque plantarum laude potiſsimum inclutos praedicant, ſcholas et auditoria certatim confluebant adoleſcentes ex univerſa Europa. Tuebantur eo tempore hanc laudem CAROLVS PATINVS, antiquitatis numorumque non magis quam medicinae cognitione per orbem celebratiſsimus; DOMINICVS de MARCHETIS, ANTONIVS MOLINETTVS, uterque insignis rimator non extorum ſolum, ſed et oſsium, arteriarum, nervorum, ductuum, glandularum, et quarumvis in corpore humano partium, quae ſenſuum alias aciem effugiunt. FELIX denique ABBAS VIALIS, qui horto medico ibidem florenti erat praefectus. PATINO perquam erat charus LOCHNERVS, vel ob ſtudia amoeniora, quibus deliciis noſtro nihil erat charius. Maxime tamen, tempore brumali id ſuadente, cum DOMINICO & ANTONIO intima corporum viſcera cultello perquirens ſcrutabatur. Quum ver anni quinti ſupra octogesimum eſse coeperat, non haec tantum ſtudia intercipiebat voluntas paterna, ſed et obſtabat, quo minus

cum fidiſsimo ſuo Achate ad extremas usque Apuliae oras penetraret, ac reliquas Italiae partes peragraret. Imperaverat enim parens optimus, ut per *Carinthiam*, *Stiriam*, *Auſtriam* & *Bohemiam*, cito ſe in patriam referret. Quemadmodum vero piis liberis non alia major relicta eſt, quam obſequii gloria; ita filius obſequentiſsimus dicto erat audiens parenti bene merentiſsimo, et *Vindobonae*, quae caput orbis tum priſtinam magnificentiam et vires, nupera obsidione Turcarum violentiſsima amiſsas, revocabat, aliquandiu ſubsiſtens, & auguſtam auguſtiſsimi Caeſaris aulam, bibliothecam item, Attalicis conditionibus anteferendam, frequentans, domum reverteretur. Inſtabat panegyris Academiae Altorfinae *Petro-Paulina*, qua, exantlatis tot itineribus, praemium tandem laborum retulit, et ab illuſtri IOANNE MAVRITIO HOFFMANNO, decano tum et brabeuta legitimo, viro nunquam sine cura neque dicendo neque tacendo, ritu ſolenni cum quinque competitoribus medicinae doctor eſt renuntiatus, et honoris ei templum, ad quod ſtrenue adhuc per virtutis aedem incedens graſsatus erat, apertum, in quo nunc pluribus gloriae insignibus honeſtaretur. Proximum erat, ut *Noribergae*, cujus civitatis ſapientiſsimis ſaluberrimisque legum inſtitutis munitae, laudes bene multi virtute, auctoritate, et docttina eminentes viri celebrarunt, exquisitiſsimisque verbis quasi certatim in coelum usque efferre ſtuduerunt, ut in hac, inquam, beata civitate numero medicinam ibi multa cum laude facientium eodem adhuc anno adſcriberetur. Diu enim eſt, quod magni nominis vir IOACHIMVS CAMERARIVS, Ioachimi F. auctor fieret, ut medici ab academiis ornati, auctoritate illuſtris Senatus Norici in ſocietatem quandam coirent, et ut ſolis, qui in eam collegarum ſuffragiis eſsent a collegii decano cooptati, medicinae faciendae, et Physici ordinarii titulo utendi facultas concederetur. Magnum jam habebat theatrum virtus LOCHNERI, quo felicem in medendo dexteritatem probaret. Nec diu latuit ea. In quo enim plura virtu-

virtutis et induſtriae ornamenta ſunt, is facile oculos animosque omnium in ſe convertit. Fama de tempore bene recteque collocato, et de ſolida artis Aſclepiadeae cognitione tota urbe percrebuit, ipsique cives jam propius contuebantur indefeſsam ejus ſedulitatem, quam facunda comitate condire apprime noverat. Adhaec mirifico ſtudio et obſervantia ſuſpiciebat viros aetate, experientia et meritis graves, IOANNEM GEORGIVM VOLCAMERVM patrem, quem denuo honoris et amplitudinis cauſsa nomino, itemque SEPTIMVM ANDREAM FABRICIVM, in quorum quotidianam fere conſuetudinem ſe penitus insinuaverat, ut ipſum viciſsim exquisite redamarent, et cum eo facile communicarent, quae longa ipsi experientia obſervaverant. Et VOLCAMERI quidem voluntatem ita sibi conciliaverat, ut ſe non minus diligeret ille, ac filios: eo quod in sinu gaudens videret, amicitias ſuas fore ſempiternas. Horum judicio comprobatus quum eſset LOCHNERVS, medica ab eo consilia primis ſtatim annis expetebant ſuperi, inferi, medioxumi, si qui eorum quadam corporis aegritudine eſsent languidi, aut gravi cum imbecillitate morbo decumberent. Ipſe certe LOCHNERVS gratiſsima mente gloriabatur, quantum haec sibi pietas profuerit. FABRICIO enim e vivis exempto, qui inter medicos felices principatum fere obtinuerat, plerique civium, qui ſuam sibi ſalutem ex illius ſalute dependere visi, eumque ſoterem venerati erant, quod ſalutem ſaepius dederat, hujus incolumitatem ab LOCHNERO sibi ſpondebant. Ut vel ſuo exemplo comprobaret, nec leve, nec unum eſse commodum, quod a familiari ſeniorum converſatione in novellos omnium artium magiſtros redundet, nisi foris hi, nimium, et sibi ſoli ſapientes, quam nihil ſapiant, et quam parum prosint, apertiſsime demonſtrare, ſuaeque temeritatis poenas pendere maluerint. Quam felix autem fuerit medicus LOCHNERVS, et quam exercitatus in omni morborum genere debellando, firmiſsimis, et ſanctiſsimis teſtimoniis tam civium, quam exte-

Gggg 2 rorum

rorum conſtat, quorum hi, dum vel urbem tranſeuntes, vel e disjunctis terris consilium ab ipſo et auxilium expetivere, ſalutarem ejus operam experti ſunt. Excellentiſsimi praepotentium Franciae orientalis Ordinum legati, qui de negotiis graviſsimis frequentes *Noribergae*, gliſcente potiſsimum bello diuturno, conventus agebant, & quibus plerisque omnibus remedia contra dolores praeſentiſsima paraverat, et ab eorum reduviis morbos proſperrime depulerat, ipsius in medendo dexteritatem et prudentiam diplomate perhonorifice ſcripto testati ſunt. Ex innumeris, quae generi humano impendent, valetudinis adverſae malis pernicialibus, quorum pauca ſunt aut plane nullum, cui Lochnervs curationem non adhibuerit feliciter, ſtupendum omnino mihi viſum eſt vulnus capiti puellae inflictum. Cranium caſu valvae ex alto, (hei miſeris homuncionibus, quibus, desipienti haud raro arrogantia elatis, quaevis in aedium faſtigio ſuſpenſa tegula mortem minatur!) enormiter erat laeſum, et in fruſta diſruptum quamplurima, meninges ſciſsae; nec cranii tantum fragmina, tanquam ſpinae, cerebro altius impacta, ſed et cortex ejus et aſsimilis medullae mollitudo conquaſsata, vaſa denique ſanguinem vehentia, quorum magna ibi eſt copia, diſcerpta et dilacerata. Ad puellam hanc vocatus, deplorata inveniebat omnia, et ſomni perpetui imaginem: quam conſpicientes chirurgi, deprecabantur vulneris horridi explorationem, craniique fruſra eximere refugiebant, et poſt tertium demum a caſu diem tentabant, quum in putredinem abiret cerebrum, cujus plurimas ſubinde partes, mephitim exhalantes, eousque auferebant, donec albicans ejusdem color, interſperſis punctis rubris, appareret. Hinc jucundiſsimo oblectabatur ſpectaculo, quod plerorumque archiatrorum aliorumque curioſorum in ſe trahebat oculos: filamenta hinc inde emergentia in cerebro nove renaſcente, quibusvis aranearum telis tenuiora, tanquam prima futurae arteriarum venarumque texturae ſtamina videre licuit; pia meninx ductu ſerpentino,

cum

cum tenuiſsimis & numeroſiſsimis arteriolis, muſci veluti ſpeciem referebat: cerebrum novellum tenuiſsimo ſemper rore erat perfuſum, exſudante ex vaſculis novellae piae matris; lymphaticis; quae ingenioſiſsimorum virorum Rvyschii et Pacchioni, obſervatio hinc eo confirmatior est; & jam coibant meninges, ſed nondum in callum induratae. Linguae uſus, hucusque impeditus, jam redibat, ipſaque puella ſic ſatis bene ſe habebat, ut de ſanitate omnimoda recuperanda, ſpes minime eſset dubia, niſi quarto et viceſimo curationis die vincula reſolviſset aegra, et quam in manibus habebat ſpem ſalutis, digitis cerebrum fodiendo ipſa ſibi intervertiſset. Sed alienum eſt ab hoc loco, et praeterea nimis longum foret, numerum inire eorum, qui periculoſo morborum agmine conflictantes, DEI Soteris gratia & Lochneri ope, ſint ſervati: deinde quaedam ex praecipuis, malo ut ex ipsius ſcriptis cognoſcantur, quam ex verbis meis. Istud vero diſsimulandum hic non eſt, qua fuerit animi aequitate erga omnes, dum inopi multitudini aeque ac ambitiosis fortunatorum familiis pari alacritate, fide & conſtantia, adfuit, ſaepe etiam incredibiles egenorum anguſtias e facultatibus ſuis, quas ad largiendum magnas comparaverat, levavit, *benefici* inde *doctoris* nomen promeritus. Mente fractos ex ſacrarum literarum fonte erigebat ſolatio, delicatulos ad fortem in adversis conſtantiam urgebat, immorigeris recta ſuadebat, innocentiae confiſos fovebat, aliis morbi cauſsas aperte enuntiabat vitae immoderate actae turpitudinem, graviter eos cohortatus, ut ab eo ſalutem petant, qui ſolus vitam largitur, valetudinem confirmat, amiſsamque reſtituit. Haec ſolita temperabat orationis ſuavitate, et blanda humanitate, qua non alia panacea ad ſanitatem potentior eſt et efficacior. Vbi enim Argenterii alicujus praeſentiam ipſa morte magis horrent ferali lectulo affixi, quam ſalutem ab eo exſpectare poterunt? De Argenterio quippe accepimus, eum, licet ſpeculando ſcribendoque inclutus, medendo tamen ſupra quam credi

poſsit, infelicem fuiſse, adeo ut *Auguſtae Taurinorum*, ubi civitate ornatus erat, plurimi aegrotorum ejus acceſsum veluti inauſpicatum reformidarint. Cujus rei ratio tantum abeſt, ut in falſa quadam animi imagine, quam phantasiam appellamus, sit quaerenda, ut potius cauſsa ex ipſo corpore humano, ejusque habitu, ultro ſe offerat. Nam quum ea sit animi cum corpore conjunctio, ut hoc illius moerore attenuetur, ille hujus languore depreſsus, quasi ſubsidat, conturbetur, planeque conficiatur; fieri aliter nequit, quam ut mens ex corporis contagio languore jam correpta, auſtera medici gravitate vehementius perculſa, et sibi ipsi non minus quam medico diffidens, ſanguinis calorem, sine quo animal non ſpirare, auctor eſt Theophratsus, exſtingui patiatur, et, dum ipſa vires perdit, nec colligit, corpori quoque desit. Viciſsim, ubi animus blando alloquio exhilaratus, et ex gratioſa ſoteris praeſentia dulcedine delibutus, novas quasi vires capeſsit, nervis adeſt, frigidiores in corpore ſpiritus refocillat, novo motu veluti excitat, aut hos concitatiores revocat, ibi noxii humores facilius pelluntur, diſsipantur, donec animi auxilio hoſtis corpori infeſtus debelletur. Quo itaque affabilior eſset omnibus in omni ſermone, eo gratiosior erat Lochnervs tum apud omnes, tum apud proceres, urbis *Noribergae* moderatores ſapientiſsimos, a quibus hanc meruit gratiam, ut anno hujus ſaeculi duodecimo, ab exceſsu viri antiqua generis patricii nobilitate non minus quam meritis illuſtris Christophori Theophili Schevrlii a Defersdorf, Collegii Medici ſenioris primarii meritiſsimi, cujus muneri vicarius jam ſucceſserat, in illius beate defuncti locum omni jure ſurrogaretur, qui decumbentibus in valetudinario aliisque locis, publico ſumptu reficiendis et curandis aegrotis praeeſset, conſumptaque languoribus inediaque miſerorum corpora ſanaret. Quae munia per ſeptem annos ſuſtinuit et geſsit attentiſsima cura, eaque fide, quam a providiſsimo medio exſpectares; ut tamen nonnisi ſumptus legitimi in eos inſu-

inſumerentur, circumciſis aut ſublatis iſtis, qui immodice & redundanter fieri ſoliti erant. Quemadmodum autem omni aetate de patria, cujus ſalutem, ſupremam sibi quoque legem eſse dictam cenſebat, bene mereri inſrituit: ita tum maxime, qua eſset in eam voluntate, luculento documento commonſtravit, quum dira eaque peſtilens contagio miſeras corporum humanorum ſtrages ederet in praecipuis Germaniae urbibus, *Hamburgi*, *Ratisbonae*, *Vindobonae*. Illa quippe tempeſtate iniquiſsimum urbi *Noribergae* fatum imminebat ex febri, qua laborabant integrae familiae, aut ex metu potius, qui contagii vicini rumorem augebat, et *Noribergam* non civibus tantum ſuis, ſed exteris, de simili malo ſuſpectam reddebat. Excellentiſsimi Legati, qui de arduis pacis bellique negotiis deliberaturi, praepotentium Principum Ordinumque Franciae orientalis juſsu, in hac urbe convenerant, non amplius in ea sibi eſse ſubsiſtendum rati, ſaluti ſuae conſulere ſatagebant, vasis jam collectis, alio concedendum eſse propere, commerciorum, quibus ſtatque caditque res Norica, uſu vicinis interdicendum, urbem denique arcta cuſtodia concludendam, ratum erat. Quid faceret Lochnervs? Praeterquam quod laborantibus ſuccerreret, quum facilis isque quotidianus sibi pateret aditus ad legatos, quos penes ſteterat jus dirigendi conſultationes, non ceſsabat fide illis ſua confirmare, febrem, quae plures equidem familias, eorundemque larium incolas, corripuiſset, nec adeo malignam eſse, nec venenum alere, a cujus vehementia, peſtilentiae contagia eſsent metuenda: et plerosque jam eorum, quos invaſerat morbus, ſalvos eſse recteque valere. Sic hujus perſuaſu et inductu permanebant in urbe Legati, et periculum, quod ex vana mali ſuſpicione inſtabat, coeleſti beneficio ac munere avertebatur feliciſsime. Caeterum, inter medicos ſeniores, quorum quinque numerantur omnino, ex ordine relatus, decurionatus ordinis ſui munia annis hujus ſaeculi nono, decimo tertio et octavo decimo, in ipſum ſunt collata, indeque annis proxime inſecutis medica-

medicamenta in officinis pharmacopolarum ſimplicia inſpicere, atque *Viſitatoris* ſenioris nomine recognoſcere datum eſt. Quae ex uſu, utilitate et incremento collegii medici eſse noverat, alacri ſemper animo peregit, atque ex muneris demandati rationibus, improbos anicularum agyrtarumque conatus, in medicinae ſacra inique ſe inferentium, intervertere allaboravit; id quod ipſi implacabilem iſtorum homuncionum invidiam conflavit. De illorum equidem impudentiſsima protervia conqueſti ſunt medici omni aevo, quorum cauſam ſtrenue tuetur, nec immerito defendit RODORICVS, epiſcopus Zamorensis, cujus verba, etsi non ſatis compta, heic legiſse operae erit pretium: Fateor, inquit, laudanda plurimum ars medicinae eſset, si bonum ſubjectum, si virtuti deditum reperit, si denique id ipſum ſciendi genus optimum, ac naturalibus ſcientiis, infallibilibusque fundamentis communitum, prius medici addiſcerent, quam exſequerentur. Sicut enim, ut aiunt, unusquisque id agit feliciter, quod optime novit: ita qui principia medicinae ignorat, cujus finis ſanitas exiſtit, ut ſanum aegrum reddat, neceſse eſt. Vidi ego plurimos heri aromatarios, hodie medicos; heri barbarum raſores, hodie morborum gravium cenſores; heri herbas caeteraque materialia in apothecis miſcentes, hodie in principum aulis morbos judicantes. Si enim etiam ſanando vix nomen boni medici quisque aſsumit; quonam pacto necando medicandi titulum vindicabit? Quibusdam itaque his similibus, me aliquando febricitantem visitantibus, atque remedia pollicentibus, ſed et cauſsas morbi judicare conantibus, illud ad Philippum, ut in Actibus Apoſtolorum legimus, dicebam: putasne, intelligis, quae dicis? Quibus dicentibus: etiam; ego iterum cum eodem eunucho addebam: quomodo ſcire poteris, cum aliquis te non docuerit? Mira certe res eſt. Vt enim inquit Hieronymus, fullones, metallarii, fabri, lignorum caeſores, ipſa quoque vilia officia exercentes, absque doctore eſse non poſsunt; nec experiri audent, quae

non

non noverunt: ſola eſt medicandi ars, quam ſibi paſsim unusquisque vendicat. Alii enim a crebro infirmantibus medicinam addiſcunt. Alii a feminis, ut viros curent. Alii ab infidelibus audiunt, ut fideles necent. Alii neſcio quibus libellis legunt, ut in miſeris corporibus uniformiter exſequantur, et, ut aiunt, uno collyrio ab eis incognito, omnium oculos volunt curare: quo fit, ut caeci arte, natura videntem caecum faciant. Hi medicinam neſcientes, medicina abutuntur, et artem egregiam, quam non noverunt, profitentur. Medicinae excellenti et illuſtri nomine gloriantur; quippe quaeſtus gratia, pecuniam, ut finem, quaerunt. Praemium certe vero medico non modo exiguum, ſed ſordidum, et tanto labori impar, nec ingenio dignum. Hactenus RODORICVS. At quamvis diffitendum non sit, operas ab illis hominibus male collocari, imo peſsime, ut qui hominis ſalutem, officioſo quidem titulo, ſed perniciosiſsimo exemplo, peſsundent: dubitatio tamen non vana ſubnaſci poſset, annon perverſa eorum cogitatio, qui auxilium ab hominibus dubiae fidei, ipſoque rerum capitalium vindice, rectius ſe conſecuturos ſperant, quam a profeſsoribus artis, longe sit perniciosior? Mihi quidem certum est, et exploratum, nisi ZALEUCUS aliquis ſevera lege coërceat iſtam impotentiam, et poenam repoſcat ab iis, etiam ſanatis, qui immorigeri biberint sine medici imperio, malum altius jam eſse radicatum, quam ut remediis quibusvis aliis perſanetur, quum lenia malis inveteratis adhibita remedia, fomenta potius, quae ad deteriora invitent, non male cenſeantur. Itaque LOCHNERUS, ut eo redeat oratio, unde digreſsa eſt, contentionem tamdiu ſapientem eſse ratus, quamdiu aut proficit aliquid, aut, si non proficit, non obeſt; ſuo tandem quemque ſenſu abundare, et ut vitam quisque ſuam periclitaretur, animo eo magis aequo patiebatur, quo majori fide ſuo ſe officio abunde ſatisfeciſse certus eſſet, et quo majoribus ipſe curis et laboribus premeretur. Ab his quum ſe liberare ſatageret, quo otio redditus vir, ſupra quam dici poteſt, ne-

gotioſus, curas nobiliores perageret, commodum accidit, ut, annuente perilluſtri curatore noſodochii ſupremo, urbis hujus praetore generoſiſsimo, curam iſtius ante ſeptennium ſusceptam, anno hujus ſaeculi nono et decimo in generum devolveret, exacta medicinae cognitione eximium maximeque ſpectabilem, ſumma apud quosvis exiſtimatione, qui ſuam ipsius, ſocerique vicem non raro explevit. Tempus vero omne tranſmittendum putavit commodis illuſtriſsimae Academiae Naturae Curioſorum, cognitionem rerum aut occultarum aut admirabilium ad bene beateque vivendum neceſsariam ducens. Quamprimum enim in ordinem medicorum Noribergensium, uti ſupra dictum, relatus erat, ſapientiſsimus Academiae praeſes, vir omni laude major, IOANNES GEORGIUS VOLCAMERUS, cujus in eandem exſtant merita immortalia, vigorem animi corporisque contuitus, arctiori jam vinculo LOCHNERUM ſibi devincire ſatagebat, eo quod eum, quum antea dilexiſset, nunc penitus adamaret: Itaque a. d. XVIIII. Novembris anni ſexti et octuagesimi ſupra millesimum ſexcentesimum in illuſtriſsimum hoc ſodalitium adlegit, novum simul documentum daturus, quo illum ordine cenſeri vellet, et quam vehementer cuperet, amicitias, quas cum LOCHNERO parente venerando ipſe contraxerat, eſse immortales. Quum enim uterque florentiſsimae tum ſocietati noſtrae ad *Pegneſum* florigerae eſset adſcriptus, HELIANTHI nomine alter, alter PERIANDRI; ut palam fieret omnibus, VOLCAMERUM, in filio LOCHNERO, viva parentis imagine, ipſum adamare parentem, cujus ille gloriam, addita medicae artis laude, cumulabat, nomine PERIANDRI, quo inter ſodales curioſos dignoſceretur, eundem mactavit, ſumpto à medico praeſtantiſsimo, eodemque poëta, Agesilai et Archidami temporibus non incelebri. In hanc ſpem erexerat ſenem venerandum tum jucundiſsima benevolentiae conjunctio, quae LOCHNERUM inter et VOLCAMERUM juniorem, ſuosque omnes cum voluptate connectebatur, tum pyladea amicitia, quae inter eundem et claris-

clariſsimum VOLCAMERI generum, θαυμάσιον *Godofredum Thomaſium* jam tum exardeſcebat, virtute et communi ſtudiorum amore parta. Elegantiſsimi hic vir ingenii nunquam ſine doctrinae incomparabilis et illuſtrium meritorum laude commemorandus, ſaeculi noſtri gloria, Muſarum Gratiarumque deliciae et corculum (quo fautore me quoque uti indulgentiſsimo, vehementer laetor,) ſciendi cupiditatem, qua noſter a pueritia inflammatus erat, in eo auxit, ut jam multo etiam, quam ante, ambitiosius facere ſoleret, et, quod interdiu ob negotiorum medicorum molem negatum erat, ad lucernam meditaretur, legeret, ſcriberet pertinaciter. Etenim officiis medicis, quibus plerique defatigati otium quaerunt et requiem, domum reverſus noſter ſopori membra neutiquam tradebat, multoque minus delicias non ſectabatur molles, ut potius intentiori ſtudio libros legeret, aut ingenii vires ſcripto explicaret, et res toto terrarum orbe geſtas juſtis voluminibus comprehenderet, jura, de quibus publice agitabantur lites, annotaret, negotia inter literatos acta in literas referret; frequentius autem vel artis ſalutaris dogmata repeteret, vel hiſtoriae naturalis arcana excuteret; ſed, qua erat modeſtia, pleraque nomine non praenotato. Celebre eſt inter Germanos nomen ERASMI FRANCISCI, qui, sive ad religionis et pietatis capitum enarrationem, sive ad rerum geſtarum memoriam recolendam, sive denique ad naturae inveſtigationem ſe contuliſset, ſtilo linguae vernaculae conciſo et acuto, eoque caſto ſemper ſanctiſsimoque, volumina elaboravit quamplurima. In hujus familiaritatem noſter venerat, et alter alterius ope proficiebat, eo rerum eventu, ut uterque ſeorsim plurima procuderent, et LOCHNERUS vaſtis, quae ERASMUS intermortuus abſolvere non potuerat, operibus ultimam manum adhiberet. Hanc ingenii ſolertiam animadvertens ſenex venerandus, qui animorum motus et indolem acute non tam conjiciebat, quam certis indiciis penitus cognoſcebat, negotium ei dedit vitae FEHRIANAE de-

ſcribendae. Evexerat virum illuſtrem, JOANNEM MICHAELEM FEHRIUM, doctrina et virtus ad Medici Caeſarei, Praeſidis Academiae, Conſulis item et Praetoris in urbe *Suinfurtenſi* imperialis dignitatem; qui in LOCHNERO dignum virtute ſua laudatorem nactus eſt. Sed et illud annotaſse par erit, quum pro laetiori rei medicae incremento ſapienter cenſuiſſent Academiae auſpices, conſultum fore, ut collegae nunquam eſseut otioſi, et quilibet in medium afferret, quae alicui medicinae parti illuſtrandae, amplificandae facerent, multi etiam ſcribendi argumenta utiliter confecerint: LOCHNERUS, diligentiſsimae formicae aemulus, animalculi hujus ſtupenda magnique laboris opera, et inſignes in re medica uſus, perquirere accuratius, et partim ex veterum ſcriptorum monumentis, partim ex eo, quod uſus reapſe experiundo edocuit, illuſtrare aggreſsus eſt, ea potiſsimum de cauſsa, quod ante pedes poſita tranſilire communiter ſoleamus. Qua occaſione omnem myrrhae hiſtoriam ad veritatem revocare inſtituerat, natales ejus, tam rubrae quam albae, *olibanum* alio nomine dictae, repetens et expendens, num illos habeat in arbore quadam, e qua inſtar gummi ſtillans concreſcat, quod PLINIO aliisque veterum viſum eſt; an in apii quadam ſpecie, quae σμύρνιον DIOSCORIDI dicatur; an denique in formicarum Indicarum cavernis, quo guttam illae ex arbuſcula ſudantem velut in horreo congerant? Et quoniam omnem de rebus medicis ſuſceptam diſquiſitionem eſse inanem et parvi ducendam, apud animum conſtituebat, niſi eius iu vita mortalium generi eſſet uſus; hunc colligens et aucupatus, venit ei in mentem, arte chymica expendendi myrrhae indolem ac vires et eliciendi *extractum balſamicum*, quod vocant medicorum filii: et porro progreſsus, additione *ſpiritus nitri dulcis caſtoriſati*, confecit *eſſentiam anticatarrhalem balſamicam*, et *eſſentiam myrrhae balſamicam*, quarum haec divinum plane remedium eſt, ſpecificum, et efficaciſsimi uſus, in omnibus uteri malis perſanandis; in ſecundis poſt partum residuis ejiciendis, in

pur-

purpura denique mitiganda, quo diro morbo puerperae ab iisdem ſecundis in utero pertinaciter reſidentibus ferme affligun-tur. Parari haec medicamenta a doctiſsimis noſtris medicis uſu frequenti comprobata, curavit a ſolertiſsimo praeſtantis ingenii viro, WOLFGANGO FRIDERICO DIETERICO, pharmacopoeo non e multis, qui ſolus, nisi fortaſse et genero expertiſsimo cognita sit, eorundem conficiendorum rationem tenet: cujus tamen myſterii evulgandi aliqua ſpes eſt, si quando *Myrmecologia* librariis committatur. Iſtam quidem lucubrationem, dum alia ſub calamo ferverent, non omnino perſcripsit vir beatus: in ſchedis tamen congeſsit diligentiſsime, quicquid de hoc argumento vel a ſe obſervatum, vel lectum compererat, ut facile cum reliquis contexeres. Plura enim ſuperſunt, quae accuratiſsima vir diligentia ingenio ſtudioque peperit, quorum ſeriem alibi convenientius enumerabimus. Horum pleraqne referebat ad illuſtriſsimae Academiae Naturae Curioſorum commoda; de qua bene mereri nunquam non inſtituit: et illa quidem PERIANDRI ſtudium non modo non eſt aſpernata, ſed tanti fecit, ut, quam jucundum id sibi acciderit, publicis rerum Documentis teſtaretur. Etenim morte IOANNIS PAULI WURFBAINII, Archiatri Noribergensis celeberrimi, quum vacuefacta eſsent ampliſsima munia et dignitates *Directoris Ephemeridum;* et vero Academia cum varia antehac fortuna conflictata, e re ſua eſse cenſeret quam maxime, ut illa edendarum obſervationum rariorum cura in eum conferretur, qui et corpore et animo vegeto par eſset laboribus ferundis, impiger atque ſtrenuus: PERIANDRUM in primis huic negotio idoneum eſse ſapienter judicabat Praeſes Academiae magnificus, LUCAS SCROECKIUS, poſtquam enim antea Adjuncti eum dignitate condecoraſset, d. ſexto et vicesimo mensis Martii, eandem eminenti Directoris Eph. titulo auxit. Neque ipſum poenituit, PERIANDRUM ad ampliſsimos honoris gradus evexiſse. Dici enim non poteſt, quanto ſtudio, quantaque diligentia elaborarit, ut foras ede-

rentur in publicum, congeſtae à collegis humaniſsimis, rerumque tam medicarum quam naturalium arbitris ſagaciſsimis, obſervationes rariores: id unice propoſitum habens, ut famam laudatiſsimae Academiae, a multis retro annis partam, ſtrenue tueretur, ac pro virili amplificaret. Ideoque eruditiſsimos quosque blande invitabat, ut nihil nisi elaboratum ingenio et perfectum induſtria adferrent; alios commonefaciebat, et comitate orationis inducebat, ut temperarent sibi a peſtilenti scribendi cacöethe, ejurarent inclareſcendi pruritum, qui multorum nomen commaculavit, et miſere deturpavit. Id namque inſtitutum eſse Academiae, praeſtantia ſcriptorum, non numero, cujuſque diligentiam metiri. Proinde in amicitiam et ſocietatem pertrahebat Archiatros et Polyhiſtoras in Europa praeſtantiſsimos, Caeſareos, Regios, alioſque, qui S. R. I. Electoribus potentiſsimis, celsiſsimis Principibus, et ſummo etiam Pontifici, ob singularem artis experientiam eſsent accepti. Erant praeterea, ut et hoc addam, alii ex aulae procerum ordine excellentiſsimo, qui ex ſcriptorum varietate, quantus eſset LOCHNERUS accurate dignoſcentes, ad ipſum de rebus curiosis referebant. Taceo ſolertes rerum naturalium indagatores Teutonas, Belgas, Britannos, Gallos, Italos, Vngaros, Dacas, Sarmatas, Boruſsos, Suecos et Danos, qui literis ſubinde inviſebant. Iſtud vero silentii peplo involvendum non eſt, ex Indiae quoque oris, et ex inſula *Curaſsavica*, literas ad eum ſuiſse allatas. Ea nempe viri dignatio erat inter omnes, ut non ultimas ei partes lubenti animo deferrent, illiusque judicio et auctoritate facile ſtarent. Neque diffitendum eſt, eum non temere quidquam Academiae nomine indignum emisiſse; ſed potius, ut ipſe in omni eruditionis parte erat exercitatiſsimus, docta frequenter cenſura, quantum quidem per Academiae conſervationem licuit, eliminavit, quae vel trita nimis viderentur, anilesve fabulas redolerent, nec alias ſatis exaſciata cognoviſset. Quae ab ipſo novis *Ephemeridum* centuriis inſertae leguntur lucu-

bra-

brationes, lucernam olent: ſuo quippe exemplo, non ſolo titulo, caeteros praeire volebat. Quibus rebus effectum eſt, ut breve temporis ſpatium intercederet, quo praelaudato SCHROECKIO & LOCHNERO annitentibus, octo obſervationum centuriae complerentur, et in quatuor tomos digeſtae divulgarentur. Iamque in eo erant viri meritiſsimi, ut nonam atque decimam prelo itidem committerent, quem conatum mors LOCHNERI praepropera nonnihil retardavit. Ad cujus hiſtoriam enarrandam antequam progrediar, ordo poſtulat, ut qualis domi fuerit interior ejus vita, quo nimirum tota plene cognoſcatur, paucis exponam. Simul ac facere *Noribergae* medicinam iuſsus erat, pia cogitatione exiſtimabat, e re ſua fore, ut in curarum domeſticarum partes ſociam sibi adjungeret probam, modeſtam, pudicam, ſedulam, rei familiaris adminiſtrandae peritam. Talem enim ſtatio, in quam a DEO erat collocatus, poſcere videbatur, cum qua nimirum rei familiaris curandae operam partiretur: Quandoquidem fere fieri apud pleroſque animadvertit, ut ingenui cives liberalibuſque pariter ac medicis addicti ſtudiis, ab hac augendae rei familiaris opera, non sine ingenti ſuo et reip. damno, avocati, opibus ſensim deficiant. Itaque ſponſalia, parentum interventu, celebravit cum lectiſsima virgine, omnibus, quae ſexum ſequiorem ornant, virtutibus cumulatiſsime condecorata, ANNA MARIA, viri ampliſsimi ornatiſsimique IOANNIS VIRZIGMANNI, civis Noribergensis, ob morum honeſtatem apud omnes exiſtimationis praeclarae, filia ſecundo-genita, eademque d. XXV. Iulii mensis anni ſupra millesimum ſexcentesimum ſexti et octogesimi ritu ſacro confirmavit. Fructus hinc tulit uberrimos, quando nullis divulſo unquam querimoniis amore ſanum exhilarabat, aegrum cura singulari fovebat, ſuſtentabat, ſedula conjux, quae rebus utenti laetis ſocia, adverſas quoque conſolabatur, et aerumnas molliebat, ut AUGUSTO, rem optimam eſse uxorem pudicam, fidem tribueret. Porro quum iſte demum beatus videatur, quem beant liberi, imago cor-

po-

poris et animi ſui; quid enim dulcius hominum generi à natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? LOCHNERUS, qui videri poterat beatiſsimus, beatitatis iſtius inconſtantiam nimis mobilem, et in qua neutiquam acquieſcas expertus eſt. Nam ſuaviſsima conjux parentem eum fecit ſex liberorum, duorum maſculorum, quatuor femellarum, quibus nomina erant IOANNES FRIDERICUS, URSULA DOROTHEA, SABINA FELICITAS, ANNA MARIA, IOANNES HENRICUS et CATHARINA DOROTHEA. E quibus tres in infantia DEO, cui debebant, ſpiritum reddiderunt. Filius natu minor, IOANNES HENRICUS, magna omnium exſpectatione genitus, pulchre adoleſcebat eouſque, ut ſperare de eo poterant parentes nobiliſsimi optima quaeque. Poſtquam enim in flore aetatis literas Latinas pariter atque Graecas recte perceperat, veterum itemque recentiorum philoſophorum placita sibi cognita reddiderat, animum denique jucunda rerum naturalium cognitione, perpetua peregrinationum literis consignatarum lectione ſaturaverat: paternis auſpiciis, meoque ductu, *Pöetrias Graecas*, ab H. STEPHANO quondam editas, nova versione donavit, bene multa illarum ex Graecis poëtarum interpretibus fragmenta collegit, ac primas annotationum lineas duxit. Neque in hoc opere ſolo ſe continuit juvenis calentis et fervidi diligentia; qui parente optimo ſuffragante, ex ſchedis illius diſpersis illuſtrare laudabili conatu inſtituit *Muſeum Beslerianum*; cuius poſt obitum editione filii desideratiſsimi manibus parentavit parens moeſtiſsimus, à quo ea accuratione eſt expolitum, ut, quum multiplici rerum varietate, et imaginum peritiſsima manu delineatarum elegantia paucis omnino, quae de hoc argumento ſcripta prodierunt varia, quidquam antea concederet; nunc omnibus, excellentis doctrinae ubertate palmam reddat dubiam. Idem denique *apii*, feralis plantae, uſum ex antiquitate, omine heu! infelici, parente optimo praeeunte, eruere occoeperat. Dum haec agebat, veterum inſtituto permotus, ad academias, tanquam ad emporium bonarum artium, abiita, ut plurium inſti-

tu-

tutus doctrina, ſuoque judicio uſus, eo magis confirmaretur in illis diſciplinis, quibus a teneris ſolide erat imbutus. Alma eum *Leucorea* (cujus aeternum decus, CONRADUM SAMUELEM SCHURZFLEISCHIUM, publica Germaniae jura et hiſtorias cum applauſu interpretantem, ibidem audiviſse, memori grataque mente recognoſco,) exceperat, et jam in eo erat, ut praemium diligentiae et ſtudiis pararet, atque doctoris medici honores ex merito decerneret annum aetatis agenti nonum ſupra decimum; quum immaturo, nec opinato fato mensis Ianuarius anni a millesimo ſeptingentesimo quinti decimi, e vivis eximeret adoleſcentem, viris grandaevis comparandum. Ita namque mortalium conditio comparata eſt, ut qui nimis celeriter ingenii maturitatem ſunt aſsecuti, tanquam arborum baccae terraeque fruges maturitate tempeſtiva, cadant. Quem parentum animis dolorem infixerit improvisus hic de morte filii nuntius, quem ex morbo decumbere (occubuit autem puſtulis quibus *variolarum* nomen inditum eſt a medicis recentioribus,) nequidem inaudierant: ii tantum exputare poſsunt, qui filio unico, eoque ſpei jam plane exploratae, orbi ſunt facti. Poſt haec nactus quidem eſt pusillum laxamenti LOCHNERUS, et quaedam veluti halcyonia, quibus ſe reficeret quadantenus, et animum luctuosiſsimo caſu fere lapſum, erigeret, venturisque rerum aſperitatibus fortiter perferendis praepararet. Eodem quippe anno, quo filium amiſerat, exeunte, filiarum alteram, ANNAM MARIAM, lectiſsimam virtutumque virginalium laude ornatiſsimam, felici auſpicio nuptum elocavit in familiam nobiliſsimam CHRISTOPHERO LUDOVICO GOECKELIO, Medico Badensi, Wolfsteinensi et Noribergensi feliciſsimo, qui majorum clariſsimorum et parentis, dignitate, doctrina et virtute ſumma illuſtris, CHRISTIANI LUDOVICI GOECKELII, Marchionis Badensis viduae Consiliarii ad intima illius consilia, et Archiatri immortaliter meriti, nomen ac famam maſcule tuetur. Sed neque diuturna neque ſolida fuit, quam ex nuptiis alterius filiae conceperat, animi jucun-

ditas. Nova enim mox ingruebat calamitas, quae filiam natu majorem, virginem ſumma integritate ſanctimoniaque, cui nomen erat SABINAE FELICITATI, menſe Februario anni ſequentis eodem morbi genere, quo filius est conſumptus, abſtulit. Honeſtae itidem conditionis poteſtatem ipsi, annos quatuor et viginti natae, fecerat parens amantiſsimus; ſed ſperata viro, quo die cum adoleſcente ex ampliſsimo genere, ſponsione interposita, erat conjungenda, Servatori ſuo ſponſa eſt deſponſata caſta, incorrupta, ut unica ſuperſtes eſset filia, nova GOECKELII marita, quae mille hujus vitae incommoda parenti indulgentiſsimo leniebat, eiusque orbitatem filiorum, ſolaretur quatuor pusionibns ſuaviſsimis, CHRISTIANO FRIDERICO, HENRICO LAURENTIO, IOANNE GUILELMO, et PHILIPPO CASPARO, quorum tertius paucas ante hebdomadas vivere desiit, quam avus ex hac vita miſeriarum pleniſsima excederet: tres reliqui hodienum ſuperſtites ea incrementa laete capiunt, ut non tantum aviae, luctu confectae, ſenectutem ludibundi oblectent, ſed et ſpem faciant parentibus, fore, ut aetas iptorum ingraveſcens aliquando, in eorundem adoleſcentia olim conquieſcat. Antequam expertum haberet ὁ μακαρίτης, quantum sit malum, amittere liberos, modeſtia perſpectaque virtute adoleſcentes; funera parentum chariſsimorum vidit omnium. Et reverendum quidem patrem extulit anno CIƆIƆCXCVII. Socerum, cui in medullis haerebat, acerbiſsime luxit anno ſequenti ereptum. Matri dulciſsimae funus fecit anno CIƆ. IƆCCIIII. et ſocrui denique, matronae aetate virtutumque ornamentis gravi, juſta perſolvit anno ſaeculi hujus decimo: ut paucos omnino annos numeraret, qui sibi ex morte ſuorum non eſsent luctuosi. Tot caſuum dolores tam frequentes conſolabatur fidiſsima chariſsimaque conjux, quae virilis animi foemina, rara thalami gloria, triſtitia languentem mariti animam ſuavitate ſermonis exhilarabat, curas amore sincero laxabat, ſummis ſtudiis et officiis ſuſtentabat, ut tanto moleſtiarum agmine obsitus, vitam tamen sine

moe-

moerore tranſgere videretur, quod ab coniuge honeſta et bona commodum, maritum exſpectare iubet PROTAGORAS. Amore enim ſe complectebantur conjuges tenero sine bile una vivebant, et alter alterum judicio, hoc est, vere et conſtanter amabat, ut poſteris exemplum amoris conjugalis commendari mereantur. Nec grave erat conjugi, marito, quoties in morbos incidens, virium detrimenta pateretur, adsidere. Et quidem ſanitate sic ſatis commoda utebatur LOCHNERUS, quam quater omnino infirmari sensit. Poſtquam ſub initium hujus ſaeculi ex febri ardenti aegre convaluerat, accenſa urgebatur siti, quam nulla potione reſtinguere valebat. Diu latuit exaeſtuantis ſanguinis fervor hic, donec menſe Februario anni duodecimi inclementius accederet, omniaque in corpore turbaret: vigiliis noctes traducebat, animo linquebatur, vires cum habitu corporis diffluebant, et vix ſpiritum ducebat. Inter has tamen morbi tentationes a priſtino animi vigore et alacritate parum aut nihil remittebat: interdiu non tantum aegrotos, qui opem ejus per internuntios expetebant, domi benigne audiebat, et quae vitae illorum tuendae, morboque depellendo forent ſalutaria, iisdem procurabat: poſt paucos dies, quibus domi ſe continuerat, nondum ipſe plane reſtitutus, ad eorum lectulos denuo accedebat, ut ne hac etiam parte, qua ex adſpectu de aegrotorum habitu rectius judicare cenſentur medicorum filii, illis defuiſſe videretur. Ipſe vero ex literis maximum capiebat ſolatium, de quibus ut frequentes cum ipſo ſermones miſcerem, qui tum aedes patroni de me optime meriti incolebam, ſuo jure flagitabat, eo quod ex illis morbi quoddam levamen ſentiri teſtaretur. Nata ipsi tum eſt ſalus ex medicina e papavere parata, qua aeſtus vehementiam infringere, ſomnum reducere, omnia denique in corpore pacatiora reſtituere, sibi viſus eſt. Unde lectulo adhuc affixus, exhilarandi animi cauſſa, de ſalutifero eoque fecundo papaveris germine in literas referre animum induxit, quae eruditae antiquitatis monumenta de iſtac planta ſuggererent notatio-

tatione digna, et Μηκωνοπαίγνιον ludere, ſcriptum eruditisſimum, de quo alibi. Ad ſitim vero profligandam potu uſus eſt, qui in vico nobis vicino ex aqua nitro impraegnata coquitur. Atque sic ſatis belle ſe habere videbatur. Residua tamen fuiſse iſtius mali ſemina, indiciis compertum erat maniſeſtis: vultus ſpecies pallebat, corpus quod fuerat ſucci plenum, ſensim amiſsum, et vires debilitatae: a conſueta tamen ſibi agilitate nihil unquam remittebat, ita ut demandata nihilo ſecius obiret munia, et ab eo potiſsimum tempore literis mandaret ingenii monumenta, quae ab eo prodita orbis literatus cum plauſu excepit. Satis conſtat, ſalubri victus ratione, et cura conjugis, de mariti optimi vita ſollicitiſsimae, magis eſſe ſervatum, quam ullo medicamine. Ideoque et a vini potu ſe prorſus abſtinebat; quandoquidem ex illo, parciſsime ſumpto, ſentiebat plurima ſanguinis exaeſtuantis incommoda. Atque hac ratione inter infinitas curarum moleſtias vitam tolerabat aliquot annos, donec corporis vires magis magisque imminuerentur, et ſenſuum, quorum ſumma pollebat acie, uſus indies hebeſceret, quando nec retuſa oculorum acie, nec aurium judicio, alias acuto, viſa et audita prompte ſatis diſcernebat; adhaec capitis vertigine non raro, totiuſque corporis debilitate oppreſsus. Quae mala extremis vitae mensibus ita invaleſcebant interdum, ut pedem domo efferre non auderet. Uti enim contra aquarum cum impetu decurrentium molem fruſtra obnitaris; ita ubi ſubsiſtas paulisper, facilius easdem emetiri poteris et ſuperare. Neque tamen ultra diei ſpatium facile ſe continebat: eo quod animus vivaciſsimus moram non pateretur. Hinc, quasi integra eſset valetudine, de rebus ſuis sine intermiſsione peragendis ſatagebat, et nihilo ſegnius ferebat opem miſeris, ferali morbo conflictantibus, ad eos accedebat, uti olim conſueverat, et domum redux literis animum oblectabat. Amici vero, qui ex facie pallida, greſsu titubante et aliis indiciis, vitae ejus metuebant, crebrioribus literarum ſtudiis corporis imbecilli facul-

cultatem plane atteri ſuſpicabantur. Ea viciſsitudine, quam animi dolores, ex juſta indignatione, et graviſsima injuria ſibi ſuisque iniquiſsime illata, recentes, exacuebant, menſem Septembrem fere transigebat. Die XI. Octobris languidior erat, quam ut membra ſolitis officiis fungerentur: ea nihilominus, quum quieti ſe dediſset, ita recreaſse ſibi viſus eſt, eaſque vires recepiſſe, ut poſtero ſtatim die rerum gerendarum cauſsa in agrum egrederetur, et veſperi redux corpore et animo recte valere videretur. Multa de rebus eruditis cum genero nobiliſsimo et mecum, qui forte tum aderam, hilari mente colloquebatur, et quantum adhuc memoria valeret, luculenter demonſtrabat. De *Tribaereſio* SCALIGERI, DRUSII atque SERRARII ſermo inciderat; dein ſensim ad *Karaeos* deflectebatur, cujus ſectae inſtitura, si cum reliquis ejusdem gentis placitis conferas, ſaniora, neque tot ſabulis, quibus libri Judaeorum fere ſcatent, inquinata ſciebat. Et illi ipsi *Karaei*, qui eruditione plerumque pollent non vulgari praeter ceteros gentis ſuae, his odio ſunt plus quam vatiniano. Ad alia deinde, ut fit in colloquio familiari, delapsi, ſermo in alteram uſque horam et amplius extrahebatur. Dehinc cum ſorore nobiliſsima, animum virilem gerente, CATHARINA DOROTHEA, quae Altorfio advenerat, illuſtris et conſultiſsimi HENRICI HILDEBRANDI, Conſiliarii Solisbacensis et Norici, nec non Anteceſsoris primarii Altorfini celeberrimi marita, coenabat jucundiſsime; ut nemini ſuboriretur ſuſpicio morbi invaleſcentis. Sed quam brevis eſt hominum vita! Nocte ſtatim inſequente, quum membra quieti tradidiſset, ſtranguria cum teneſmo, ſomni requiem invidebant. Summo mane diei, qui divino ſacer erat cultui; e lectulo ſurgens, huic malo medicinam parare, et remedia contra illud efficaciſsima, multoque uſu cognita, ex officina afferi ipſe curabat. At quoniam nulla medicina tam efficax, nulla tam ſalutaris paratur, quae vitae terminum, a Deo, illius auctore, conſtitutum, proferat: illius quoque uſus medelam malo non

ferebat, nec lenimen: meridie ejus diei augebantur dolores eousque, et mentem alias ſatis validam ita afficiebant, ut corpus lectulo affigerent. Neque vero pax ei erat et tranquillitas; per morbi enim vim quietus nunquam fuit, adeo ut quam recumbens non invenerat requiem, elato rurſus corpore quaereret. Quem exitum morbus hic ſpectaret, ipſe LOCHNERUS jam praedixerat. Et laudatiſsimo genero, ex ſignis de morbi exitu judicare apprime gnaro, mali vehementia major videbatur, quam ut ex illo eluctari valeret corpus, multis vigiliis, curis et calamitatibus, attenuatum: de illo tamen reficiendo omni ope, ut par erat, contendebat. Eo ipſo adhuc die, ne ulla in re officio ſuo deesſet ſocero, quem ſui amantiſsimum cognoverat, et a quo pluribus ornatus erat beneficiis, mali cauſsas exponebat ex intimis LOCHNERI familiaribus amiciſsimo, illuſtri GODOFREDO THOMASIO, medicorum coryphaeo, et literatorum noſtri hujus ſaeculi phoenici, ab eoque majorem in modum petebat, ut pro veteri, qua *Lochnerum* dilexerat conſtantiſsime, benevolentia et amicitia, ſalutem ejus qua poſset arte defenderet. In eum quippe ſtatum erat adductus, ut actum de eo videretur. Is hoc nuntio perculſus, jam per ſe advolabat, utque a tam charo sibi capite diſcrimen, divina annuente gratia, averteret, remedia, quae uſu quotidiano noverat exquisitiſsima ſaluberrimaque, parabat, Deique opem praeſtolabantur. Et amantiſsima conjux, quae nunquam a lectulo recedebat, diu noctuque mariti ſuaviſsimi neceſsitatibus invigilans, majora erga ſalutem ejus ſtudia afferebat, quam erant a muliere poſtulanda. Quamvis autem difficultas egerendi et inanis ille conatus mitigatus nonnihil eſset, cum doloris aliquo levamento: totam tamen ſanguinis ſubſtantiam, quodam veluti incendio eſse correptam, ex motu celerrimo conjiciebatur; maxime quum nox per deliria, mentem turbantia, inquies ſuccederet. Neque quidquam, ut praeviderant ſagaciſsimi viri, ſanguinis miſsio proderat: quin imo vitae finis celeri paſ-

ſu

ſu appropinquabat. Is vero in LOCHNERUM incidebat non imparatum, quippe qui quotidiana mortis cogitatione pectus obfirmaverat, praeeunte SIGISMUNDO A BIRKEN in libello *de Praeparatione ad mortem* Germanice conſcripto. Deinde a Servatore O. M. qui veram demum vitam poſt beatum ſpiritus a corpore diſceſsum largiretur, ſupplice prece expetierat, verbis potiſsimum uſus MARTINI BOHEMI, cujus hymno, *O Chriſte Ieſu, lux mea, virtus, ſalus, fiducia,* verbis votivis ad ſalutis noſtrae Statorem unicum concepto, nihil ſanctius, nihil efficacius dici poteſt; eoque hora mortis inſtante ut erigeretur, ſaepe exoptaverat. Et compos factus eſt voti, quando ſollicita conjux, decumbentis mariti lectulo adsiſtens, eundem hymnum recitaret, et aliquoties repeteret ſumma cum aegroti voluptate. Quum reverendus WIDMANNUS, qui curam animae hucuſque geſserat, a meridie diei XIIII Octobris vocatus adveniſset, eumque, ut ſepositis omnibus, quae mentem in itinere mox ingrediendo impedirent, lubenti expiatoque a peccatis animo Servatori ſuo iret obviam, ſubmonuiſset, eum non ſolum libenter audivit, ſed et orationem a Chriſto edoctam, eaque potiſsimum capita, quibus veniam admiſsorum ſupplices rogamus, diſtincte et cum quadam mentis incitatione enunciabat. Ab eo tempore, quum aeſtus, viſcera omniaque membra depaſcens, nullam partem neque diurnae neque nocturnae quietis antea impertiviſset, conquieſcebat paulisper, non quod morbi gravitas remitteret, ſed quod vires ſensim deficerent. Vehementia enim *febris inflammatoriae acutiſsimae*, ut verba, medicorum filiis usitata, mea faciam, *ex confirmata totius maſsae ſanguineae putrilagine cachecico-ſcorbutica* obortae, ſpem convaleſcendi omnem praeciderat. Ipſe vero, ut mors vitae foret conſentanea, membra ad quietem decenter compoſuit, clausis oculis, felix illud temporis momentum, quo ſenſus diſsolutione omnes exſtinguerentur, placidiſsime per tres quatuorve horas exſpectavit, sicque dormienti similis, poſt decubitum XXXVI. horarum ex

hac

hac vita exceſsit paullo ante horam quartam matutinam diei XV. Octobris anni CIↃIↃCC. XX. quum vixiſset annos LVIII. menſes VI. dies V. Corpus magnifico elatum eſt funere die XXI. ejusdem menſis, honeſtiſsimaque ſepultura affectum, exſequias funeris proſequente et cohoneſtante maxima illuſtris Senatus populique Norici parte. Iuſta funebria fecit Theologus ſummus, GUSTAVUS PHILIPPUS MOERL, ſacri coetus, qui in D. *Laurentii* aede primaria colligitur, Antiſtes venerabilis. Vir fuit LOCHNERUS longiori vita digniſsimus, conſummatae peritiae medicus, qui omnibus honoribus perfunctus, ita ſe geſsit, ita vixit, ut ejus probaretur fides, integritas, aequalitas, liberalitas, nec eſset in eo ulla cupiditas, vel libido, vel audacia, fuitque magna conſtantia, qualem TULLIUS, virum bonum appellandum putavit. Forma is fuit excellentiſsima, ſtatura mediocri, eaque decora, colore candido: corporis habitus ei plenus, qui tamen agilitati non officeret, membra teneriora, caput rotundum, facies pulchra, vultus cum venuſtate quadam liberalis ſemperque ſerenus, ſupercilia recta, nec faſtum notantia nec indignationem, capilli molles, naſus bene conformatus, oris mira ſuavitas, genarum nitore exornata, vox candida, erecta et concitata, ut ſpecie omnino jucunda, amabili et decora, comitatem et placidam manſuetudinem prae ſe ferret. Quamvis enim bile pauco phlegmate abundaret, et in iram praeceps eſset; hanc tamen molli verbo citius lenires, quam ille conceperat, ab omni ultionis libidine alieniſsimus. Tantum vero aberat, ut quem provido animi conſilio laederet verbo, ut injurias in ſe injuſte ingeſtas, aequa mente pateretur, nec alia re invidos magis torqueret, quam quod virtuti gloriaeque inſerviret. Haec autem quo major eſt, eo propius contaminatur ab invidia. Ecquis enim ignorat, ab hac ſedulo quaeri, quod in viris bonis et cordatis calumnietur, et fictis conquiſitiſque vitiis deformatum vellet? Ut mirari jam deſinam, virum praeſtantiſsimum innocentia, qua, firmiſsimo contra malevolorum artes praeſidio, alias tuti eſſe

ſole-

ſolemus improbas impudentiſsimorum hominum iniurias defugere non potuiſse. Haeccine ſunt ſoſtra vitae conſervatoribus debita? O tempora, ô mores! Tanta nihilominus apud omnes boni eius nominis fama erat, ut dum in vivis ille eſſet, effutire in eum calumnias parcius auderent improbi: aerumnarum vero requiem, sic mortem appellat SALLUSTIUS, interturbare, et leoni mortuo inſultare, quae fortitudo eſt? quae prudentia? quae gloria? Neque tamen hinc lepidam reportavit victoriam invidia; citius enim evanuerunt rumuſculi inanes, calumniae nulla veri ſpecie ſubnixae, merae fabulae, quam pruina exorto ſole. Quemadmodum vero aequum ſe praebuit omnibus; ita et animae dimidium ſuae diligebat amore tenerrimo, eoque pietatis non fucatae ſenſu excitato. Eam illi si in medullis haesiſse dicam, parum dixero. Sapienti quoque diſciplina liberaliter educabat et inſtituebat chara matrimonii pignora, ſenectutis praesidia: et praeſtanti hac progenie fere orbatus, liberorum loco habebat fidei tutelaeque ipsius creditas VIRZIGMANNIAS, parent, utroque orbas, quas nunquam ſecus habuit, ac si ex ſe eſsent natae, earumque aetatem, ſolitudinem ac fortunas, ita defendit, ut conſcientia recte factorum fretus, aliorum iniquas in ſe ſuſcipere inimicitias et odia aeterna non dubitaret. Fratres et ſorores, quorum illi partim munerum ſacrorum dignitate, partim juris eleganti prudentia, partim rei curandae peritia eminent, hae honeſtiſsimis elocatae matrimoniis, multaque virtutis laude conſpicuae, concordiſsimi mutua sibi invicem dulciſsimaque charitate placebant. Ceterum rei quaerendae neque ſtudioſus fuit, neque negligens: eam tamen, quod paucis contigit improviſum atque inopinatum, praeter ſpem auxit mirifice, ut in praediis, quae intra primum ab urbe lapidem duo poſsidebat, ex lapide excitaret aedificia firmi operis, LOCHNERIANI nominis monumenta nunquam interitura. His tamen multo firmiora ſunt, quae virtute et ingenio sibi paravit: quandoquidem reliqua omnia fluxa ſunt et fragilia; virtus cla-

ra aeternaque habetur. Erat namque in eo eximius virtutis literarumque amor; erat pius in Deum et homines, liberalis et beneficus, in amicitia conſtans, omnibus familiaris, cum quadam veluti ambitione facundus, mira comitate, nemini gravis, modeſtus, in honoribus petendis minime ambitioſus, partae dignitatis ſtrenuus defenſor, laboris patientiſsimus, ſobrius, amictu utens commodo frugali, et qui dignitatem deceret; atque haec omnia sine jactantia. Ingenium natura ei dedit amoenum, acre, perſpicax, ad invenienda, quae ex re eſsent, acutum, ad explicanda ornandaque uberrimum, ad exſequenda promptiſsimum, quod eleganti cultura perfectum in omnia diſciplinarum arcana feliciſsime penetravit. Nihil enim orbis ille doctrinae comprehendit, de quo non expedite, ubicunque occasio daretur, diſsereret, et interiora, quae difficilem habent explicationem, erudite promeret, ſolide non minus quam perſpicue explanaret, atque auctores laudaret praeſtantiſsimos, qui rem omnem bene copioſeque perpolitam confecerint, aut breviter attigerint. Vivam bibliothecam jure nominaſses. Sed et ipſe numeroſam, exquisitiſsimorum librorum copia redundantem, collegit bibliothecam, ex qua, ubi animum ad ſcribendum appulit, pro insigni, quam aſsecutus eſt, eruditionis et doctrinae copia, ſelegiſse ipsi volupe erat, quae in unaquaque elegantiſsimarum artium eſsent recondita. Scribendi argumenta ſumpsit, quae curioſorum non minus voluntati ſatisfacerent, quam aliorum, ad uſum praeſentem singula referentium Vaſtum quoddam opus raro eſt molitus: de materia potius diſpexit, cui eruendae et perficiendae vita brevis ſufficeret, cujus maxima pars, infinitis diſtricta negotiis civium ſaluti; ſed nec alia re ulla propius ad Deum immortalem accedimus, quam ſalutem hominibus dando; erat tranſmittenda, partem quoque amici sibi poſtulabant, crebris ſalutationibus diurnum tempus interpellantes. Hinc in multam uſque noctem legebat, et opificum antelucanam vincens induſtriam, ſcri-

ſcribebat pluſcula. Quae inter legendum animadverterat notatu digna, et illuſtrandae cuidam materiae idonea, ea finita lectione paucis consignabat verbis in ſchedas conjecta singulas; e quibus, in ordinem redigens, quae meditabatur, facile integrum corpus conſtituebat. Dolendum certe eſt, viro laboriosiſsimo non licuiſse, quod consilium aliquot ab exceſsu annis agitaverat, in ſeceſsu tempus vitae reliquum literis et Academiae illuſtriſsimae commodis transigere, et quae affecta habebat opuſcula complura ad umbilicum perducere. Quum juvenis poëtices facultate delectaretur, mira facilitate, nec sine coeleſti aliquo mentis inſtinctu, verſus fundebat, noſtro cumprimis idiomate, qui omnes eximium pietatis odorem ſpirant, et de cultu animi aperte teſtantur. Vel enim mentem excitavit ad laudes aeterni Numinis canendas, vel ad illius clementiam confugiens, delictorum gratiam sibi fieri exoptavit, vel miſerae rerum humanarum conditioni ingemiſcens, ſolvi, et cum Soſpitatore ſuo eſse diſcupiit. In linguarum notitia comparanda feliciſsimus fuit; in qua tantum profecerat, ut si critices illam partem, quae in origines vocum inquirit, tractare voluiſset, copiosiſsime potuiſset commentari; cum IANO GRUTERO et CASPARO HOFMANNO ſentiens, medentis officio ſatisfacere poſse neminem, qui Hippocratem et Galenum lingua ſua loquentes non intelligeret. Antiquitatis omnis cultor, Graeciae Latiique theſauros perquisivit diligentiſsime, ad illius illuſtrationem afferens non pauca. Hiſtoriarum veteris noſtrique aevi apprime gnarus. Philoſophiam vitae accommodam, illam cumprimis, quae rerum naturam varietatemque multiplicem perſcrutatur, accurato ſtudio ſecutus eſt in penetralia illius ſcientiae ſe penitus ingerens. Mathesin parcius attigit, ita tamen, ut illorum ſcripta pariter evolveret, qui medicinae fundamenta uſu atque exercitatione comprobatae, in doctrina numerorum et librationum sibi visi ſunt inveniſse. Plantarum, hyles iatricae, et generatim atque univerſe naturalis hiſtoriae cognitioni totum

ſe addixit; in hoc veluti regno ſuo triumphans. Quid de medica laude commemorem? in qua, quantus fuerit, ex iis, quae adhuc, veritate ſuffragante, delibavimus, recognoſcere licet. Nulla eſt artis Aſclepiadeae pars, quam is non tenuit exactiſsime. In his omnibus ea moderatione eſt verſatus, ut nullius unquam nomini obtrectaret; et quamvis ea, quae de tenuiſsimarum partium et corpuſculorum philoſophia ſpecioſe dicta ab aliis avide didicerat, probare non poſset, utpote quae miſeris cerebrum potius excutiant, quam ut ad proſperam eos valetudinem reducant; honorifice tamen de quibusvis et ſensit et locutus eſt: in rebus ipsis ſuo uſus judicio. Etenim multa pulchre ad ſpeciem dicuntur, quae ubi auribus acceperis, ad gratiam apta lenocinantur; quae tamen ad fumum vendendum eſse comparata, ii demum experiuntur, qui rem facientes aliam plane morborum eſse indolem ſentiunt, eosdemque nec verborum lenociniis pelli, nec ratiociniis globulorum agmini ſuperſtructis abigi. Itaque ad alia ſe convertit, et corporis humani indolem propius contuitus, illi labaſcenti medicamina faciliora et mitia adhibuit; at ubi remediis opus erat celerioribus, generoſa magis, ignis artificio utplurimum parata, in uſum revocavit. Nihil Lochnero prius fuit, nihil antiquius, quam ut caveret ab iis, quae lubrica noceant magis, quam ut prosint; deinde in omnes diſpiceret occasiones, ut vires humani corporis blando adjumento ſuſtentaret, adjuvaret, quum facile fieri poſsit, ut si illas in hoſtem expellendum intentas, intempeſtiva medicina quasi avoces et perturbes, aegrotus hac ſola de cauſsa in vitae diſcrimen adducatur inſuperabile, et ſuccumbat. Qua in parte in Galeni ſententiam ivit, exiſtimantis, proprium eſse medici nomen, ut sit *inventor occasionis*. Quae ad ius, quo Germaniae regimen continetur, ſpectant, id omne, patriae praeſertim inſtituta, eaque tam vetuſtate paene obliterata, quam uſu hodienum recepta, perfecte planeque cognoſcebat. Haec enim ignorare, civibus non turpe ſolum eſse putabat,

ſed

ſed cum insigni eorundem detrimento conjunctum. Caeteram juris humani prudentiam eo usque sibi comparaverat, quatenus uſui eſse poteſt medico, medicinam forenſem agitanti, & caſus neque paucos neque leves judicanti. Sacrarum literarum studia, quibus a teneris erat imbutus, nunquam ſepoſuit: a digladiationibus quae de fidei capitibus, maximo animorum motu, ſed exiguo plerumque fructu, vehementiſsime agitantur, toto pectore abhorrebat, non minus atque a libris venenum intus alentibus, quod ubi mentem infecit, prorſus turbat, et a recto dimovet. Vtplurimum enim inter vehementiora iſta litigia veritas amittitur, et inter mille dubitationes tandem religio. Praeſtantiſsimos in codicem divinum commentarios evolvebat, ut ne eſset neſcius eorum, quae difficiliora et quasi tenebris circumfuſa, longiſsime eſsent ab imperitorum intelligentia ſenſuque disjuncta; quorum etiam non pauca ſuis in ſcriptis, auro contra carioribus, hinc inde illuſtravit, antiquitatis judicio ſuffultus. Libentiſsime vero et perquam ſtudioſe volutabat libros, qui ſinceram animi emendationem et peccatorum expiationem commendant, atque de aetate recte honeſteque degenda praecipiunt. Seipſum hinc obſervabat rigidus cenſor, nemini cuiquam ad ignoſcendum difficilior, quam sibi ipsi. Quo boni simul patrisfamilias curam abunde explevit, multo amore plenam, dum ſuo neceſsitudinibus ſuaviſsimis et reliquis ſecum habitantibus exemplo praelucebat, vitaeque tramitem commonſtrabat, quem ingredi oporteat, ſi fide, probitate, morumque ſanctimonia, DEO placere velimus. Et coeleſti hac via incedentem DEO placuiſse, praeterquam quod oraculorum divinorum veritas indubie confirmat, ex eventu aeſtimamus; quippe qui facili piaque morte evocatus in coelum, quasi in domicilium, ubi mente cogitationeque per omnem vitam fuerat defixus, commigravit, & miſerias vitae hujus cum liquida lenique immortalitatis tranquillitate commutavit, Soterem cum coelitibus aeter-

 num

num concelebraturus. Supereſt, ut laetae hujus cataſtrophes cogitatione animum, luctu adhuc et gemitu ſqualentem, erigamus, et exuviis, in terra repositis, levem placidamque requiem precati, animaeque desideratiſsimae, coelo receptae, perpetuam, qua corpori iterum juncta ſempiterno aevo fruatur, voluptatem congratulantes, ſupremum vale dicamus. VALE. LOCHNERE. VALE. PIISSIMA. ANIMA. AETERNIS. BONIS. SECVRA. PERFRVERE. VIXISTI. BENE. IMO. VIVIS. ET. VIVES. NEC. VIRTVTVM. TVARVM. HONOS. GLORIA. MEMORA. IN. OBLIVIONEM. DIVTVRNITATE. VNQVAM. ADDVCETVR. VALE. LOCHNERE. ET. NOBIS. AETERNVM. SALVE. NOS. TE. ORDINE. QVO. NATVRA. PERMISERIT. CVNCTI. SEQVEMVR.

Obſervationum & Opuſculorum variorum à MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO lucubratorum INDEX.

Edita.

1. De cane periodice cataleptico. *Dec. II. Eph. N. C. ann. V. Obſ. 96.*
2. - Oſsium strepitu. *ibid. Obſ. 97.*
3. - Incubo lethali. *ibid. Obſ. 220.*

4. La-

4. Lapis myrmecias falſus cantharidibus gravidus. *Dec. II, ann. VI, Obſ. 215.*
5. Araneae Aphrodisiacae cuidam deliciae. *ibid. Obſ. 216.*
6. de Mamma mentulata. *Dec. II, ann. VII. Obſ. 123.*
7. - puero caudato. *ibid. Obſ. 124.*
8. - gallo cornuto. *Dec. II. ann. VIII. Obſ. 26.*
9. Myrmecologiae ſynopsis. *In append. Dec. II, ann. VIII, n. 7.*
10. Memoria Fehriana. *ibid. n. 8.*
11. de infelicisſima corpulentiae nimiae cura. *Dec. II, ann. VIIII. Obſ. 219.*
12. Ambrae gryſeae fruſto inſolitae magnitudinis & ponderis, *ibid. Obſ. 220.*
13. Epiſtola de juvene miſerandum in modum nupero incendio enecto, ad Exc. Acad. Leopold. N. C. Ephem. Direct. Hermetem II. *Decur. III. Ann. 3.*
14. de Monorchi parente, anorchin filium generante. *Centur. I. & II. Obſ. 191.*
15. Clavi ſpecie, noſtratibus Neberloch dicta, ubi obiter de Gemurſa. *ibid. Obſ. 192.*
16. Nicotianae planta albicans laeti praeſaga futuri. *Centur. III. & IV. Obſ. 200.*
17. de nova purpurae ſpecie, Neſſelſucht dica; an aſpredo Celsi, vel uredo Plinii & urigo Vegetii & Apuleji? *Cent. VI. Obſ. 96.*
18. de Scrofulariae aquaticae majoris virtute travmatica mira: ubi obiter de Liquitaja Brasiliana & Scrofulariis Malabarensibus idolis ſacris, aliisque. *Cent. VII. Obſ. 65.*
19. de Conyza majori flore pleno, & Orobanche hypopyti flore puniceo. *Cent. VIII. Obſ. 2.*
20. de ferali quadam melancholiae uterinae cauſſa. *Cent. VIII. Obſ. 3.*
21. Μηκωνοπαίγνιον, sive Papaver ex omni antiquitate erutum, gemmis, numis, statuis et marmoribus aeri incisis

ciſis illuſtratum, et Viro illuſtri Godofredo Thomasio dicatum. Noribergae 1713, et curis ſecundis auctius, 1719. Q.

22. Schediasma de Parreira brava, novo Americano aliisque recentioribus calculi remediis, illuſtri Academiae Leopoldino - Imperialis N. C. Praesidi Dn. D. Lucae Schroeckio Archiatr. Caeſar. dicatum; inſertum legitur *Appendici Centur. I. & II.* Editio ſecunda auctior ſeparatim excuſa proſtat Noribergae 1719. Q.

23. Nerium sive Rhododaphne veterum & recentiorum, qua Nerei & Nereidum mythologia, Amyci laurus, Saccharum Al-haſchar, & ventus ac planta Badſamur aliaque explicantur, ac diversis S. Scripturae locis lux affunditur. Accedit Daſne Conſtantiniana * 1716. Q.

* *Daſnen Conſtantiniatam* properanter ſcripſerat illuſtris Lochnerus, occasione excelsiſsimae victoriae, quam auguſtiſsimus Imperator a Turcis anno 1716. reportavit. Plauſum tamen ea meruit V. C. Isaaci Verbvrg, qui in luculenta praefatione ad illuſtriſsimi Ezech. Spanhemii *Diſsertationum de Praestantia et usu Numismatum antiquorum volumen alterum*, guſtum illius daret. Hinc motus Lochnerus manum operi denuo admovit, ut nunc duplo auctior sit praelo parata.

24. Commentatio de Ananaſa sive nuce pinea Indica, vulgo Pinhas, ad Hesperidum Norimbergensium ſcriptorem. Q. et F.

25. Mungos Animalculum et radix deſcripta. 1705. Q. Legitur quoque in *appendice Centur. III. et IV. n. 5.*

26. Ad Dn. Conr. Bartholdum Behrens, Magnae Britanniae Regis Archiatrum, de novis et exoticis Thee et Caſe ſuccedaneis, Botry Mexicana Ambrosioide, Ambrosia artemisiae foliis, sive Thee de Lima, herba de Paraguaes, Caſe a la Sultane et oleo Siree aliisque, diſsertatio epiſtolica. Q. Vid. App. *Cent. V. et VI. n. 10.*

27. Festum

27. Feſtum Tithenidiorum Dianae Corythalliae a nutricibus Spartanis celebratum, commentariolo nunc dilucidatum dicatumque Dn. Io. Ad. Genſelio, Ph. & M. D. Regiae liberae civitatis Soproniensis et Comitatis Caſtroferrei Medico, Academico Curioſo. Q.

28. Belilli Indicum, cujus occasione in Tethyos mythologiam Tethyorumque naturam inquiritur; dicatum Dn. Io. Philippo Breynio, Academico Curioſo et Societatis Anglicanae ſocio, Phyſico Gedanensi. Q. Tria haec ſchediasmata habentur quoque in *appendice Cent. V. et VI. n.* 10. 11. 12.

29. Schediasma de Lapide Quadra Sinensi, ad D. Andream Fackium, Caeſar. Archiatrorum Comitem. Q. *Vide Cent. VIII. Obſ.* 72.

30. Schediasma de Phthiriasi Cordis Plinii Valeriani, ad Dn. Ioſephum Lanzonum, Proto-Medicum & Profeſsorem Ferrarienſem. Q. *Vide Cent. VIII. Obſ.* 1.

31. Disquisitio ad locum Plutarchi περὶ θηριδίου δασύος, cujus occasione de Vermibus cum urina excretis late agitur, dicata Dn. Anton. Vallisnerio, ex Nobilibus de Vallisneria, Academ. Carolinae Imp. N. C. et Societatis Angl. Colleg. nec non primar. Theor. Med. Prof. Patavin. Q. *Vid. Cent. VIII.* 99.

32. De Acriviola ejusque novis ſpeciebus flore pleno et Peruviana foliis quinquefidis commentatio ad Dn. D. Io. Georg. Volcamerum, Medicum Norib. ſeniorem, Botanicorum Germaniae principem, Academicum Curioſum. Q. Inſerta etiam eſt *Appendici Cent. VII. et VIII.*

33. Rariora Muſei Besleriani, quae olim Basilius et Michael Rupertus Besleri collegerunt, aereisque tabulis ad vivum inciſa evulgarunt. Anno 1716. F.

Rariorum, uti et Papaveris, et plerorumque opuſculorum, hoc indice enarratorum, copiam, omnium usibus deſtinatam, ſervant Heredes Lochneriani.

Quae praeterea Germanica lingua, preſſo auctoris nomine, ab eo prodiere opera, ſpiſſa partim, magnique ponderis, conſulto hic praeterimus, eo quod primis ſtatim annis evulgata ſint, adeoque nihil certi de illis compertum habeamus.

Inedita.

1. Myrmecologia, quo opere plurima congeſsit, quae de Formicis physiologice, pharmacevtice, itemque de uſu ſacro, politico, eoque togato et ſagato, de uſu oeconomico denique et magico dici poterant.
2. Diſsertationum Humelſteinensium Decas.
   a. de Deabus Tethenis sive matribus. Iungenda erat haec diſsertatio ſchediasmati jam excuſo de Feſto Tethenidiorum.
   b. de Numo Cistophoro.
   c. de Iove Pluvio.
   d. de Diis Deabusque Hippiis.
   e. de Equo Iulii Caeſaris.
   f. de Diis Deabusque Hippiatricis.
   g. de Stacte veterum et vera arbore ſtactifera, occasione numi Smyrnaeorum.
   h. de Herba Comagena Plinii, e numis Comagenorum.
   i. Apium numis illuſtratum.
   k. Papaveris aquatici, sive Nymphaeae antiquitates.
3. Diſsertationum Aſclepiadarum res medicas antiquas illuſtrantium Ogdoas.
   a. Feſtum Aeſculapii apud Coos, ῥάβδα ἀνάληψις dictum, ex antiquitatibus medicis et numis illuſtratum. Feſtum hoc iis quoque incognitum eſt, qui de Feſtis ex inſtituto egerunt. Qua occasione de Virga Aaronis, Ieſsae, Ezechielis, de ſcipione Ioſephi, de baculo Palladis, vatum Aegytiorum, de ῥαβδομαντία & ſimilibus acturus erat.

b. Tri-

b. Tripus Aeſculapii.
c. Vindemia Aeſculapii.
d. Telesphorus, filius Aeſculapii.
e. Hygeia, filia Aeſculapii.
f. Pentagonon Hygejae.
g. Metaniptron Hygejae.
h. Maza Hygejae

4. de Diis σωτηρίοις sive ſalutaribus.
5. de Medicis diatritariis, eorumque erroribus.
6. de Foeminis Medicis, et Foeminis Medicorum eruditis, itemque de ſervis medicis. Foeminarum Medicarum nomina plusquam trecenta notavit.
7. de Ornatricibus & ornamentis mulierum Supplementum hoc eſt partim Laur. Pignorii Tractatus de Servis, partim ejus, quae diligentiſsimus Tiraquellus de mundo muliebri collegit in tractatu de Legibus Connubialibus.
8. de Manibus, coſtis et capillis Sirenum, adjuncta Sirenum mythologia e numis, gemmis et ſtatuis. Hoc opuſculum ad umbilicum perductum praelo committi poteſt.
9. Hiſtoria medica Numaria, ſeu de Honore Medicis olim et nuper habito, numisque et ſtatuis iisdem cusis et erectis. Oſtenſurus erat hoc opere, quibus dignitatibus fulgeant medici, qui erant amici Imperatorum et Regum, eorumque σύνοικοι et familiares, legati, comites orientis, obſequii, ſacrarum largitionum, palatii magiſtri, protoſpatharii, nec a ſummis ecclesiae dignitatibus exclusi. Dolenda ſunt medicorum fata, qui, etsi Reinesios, Meibomios, Velſchios, Lochneros, virtutum ſuarum futuros praecones invenerint, hoc tamen honore mactari nondum potuerunt, quum qui iſtum in ſe laborem ſuſceperunt, omnes fato praerepti sint, antequam opera gloriam medicorum conſervantia plane pleneque perfecerint.

10. de Radice Althſeleb, sive Serapiade Dioſcoridis et veterum, juncta Serapidis Mythologia medica.
11. de Vmbella veterum.
12. de Flabellis veterum.
13. de Homeri auctoritate in medicina.
14. An veteres habuerint ocularia? ad locum Plauti Ciſtell. A. 1 Sc. 2.
15. de Virginibus Alphesibaeis, ad locum Homeri.
16. de Hysgino Plinii.
17. de Oſcedine A. Gellii lib. V. cap. ult.
18. de Carnifice Medici, ad locum Plinii Valeriani lib. 1. cap. 56.
19. de Patago morbo.
20. de Molucro morbo.
21. de Lue boum.
22. de Vulnere horrendo cerebri in ventriculos penetrante.
23. de Philoniis et Philonibus.
24. du Pinna et loro vomitorio.
25. de menſtrui ſanguinis ſorbitione.
26. de Nidis avium Sinensium edulibus, optimo analeptico et antihectico.
27. de Americana Sambra, remedio antihydropico.
28. de Casina Apalachitarum.
29. de Kerſa Arabum.
30. de Chodsja Altsi optimo analeptico remedio.
31. de Citri per folia propagatione, et Citretis citra ignis adminiculum per hiemem conſervandis. Accedit Citri uſus ſacer apud Hebraeos, et numis citro insignitis.
32. Οἶνος ἀνθίσμιος, vinum fragrans.
33. de Serpilli uſu antiarthritico.
34. de Schoenantho.
35. Viſcus, examine chemico et microſcopico examinatum.
36. de Coelifolio ſeu purgamento ſtellarum et Nostoch Paracelsi, qua probatur Nostoch veram eſse plantam.

37. de Veteri agro Nariſcorum, ejusdemque et hodierni limitibus. Acturus erat hoc opere de morbis, qui in agro Norico maxime graſsantur, et de potioribus eorum cauſsis; de miris quibusdam affectibus morbosis, de medicina indigena, de aëre, igne, et meteoris, aqua, de incolis, de quadrupedibus, piſcibus et aquatilibus, avibus, inſectis, arboribus et pl.

38. de Caroli M. Foſsato, quo navigationem ex Rheno in Danubium aperire conatus eſt.

39. de Lollo, Franconiae deaſtro, papaveribus exornato. Scribendi occasionem praebuerunt clariſsimi Miſcellaneorum Lipsiensium collectores, qui *T. III. p. 351.* ad obſervationem V. C. Io. Henr. Bocrisii de Lollo, ſubmonuerunt, Papaveri illuſtrando hoc quoque deaſtrum eſse adventitium.

40. de DEO Tibilino sive Zernebock, **oder Schwartzbock.**

41. **vom Egeriſchen Sauerbrunnen.**

42. **von Fontanellen.**

43. **von Verachtung des heiligen Abendmahls / und den entgegen geſetzten Mitteln.**

Carmina denique ſacra & moralia, itemque meditationes pias, lingua vernacula conſcriptas, & epiſtolas ad varios, aliaque plura, quae inchoata habebat, hac quidem vice perſequi omittimus.

MEMORIA
VIRI CELEBERRIMI
DN.
IOHANNIS MARIAE LANCISII,
INTIMI CVBICVLARII ET ARCHIATRI PONTIFICII &c.
CONSCRIPTA
A
DN. PETRO ASSALTO,
PROFESSORE BOTANICAE IN ARCHILYCEO ROMANO FAMIGERATISSIMO,
ET PER
MERITIS AC FAMA CELEBRATISSIMVM
DN. IOHANNEM BAPTISTAM MORGAGNVM,
IN PATAVINA VNIVERSITATE PRIMARIVM ANATOMES PROFESSOREM COMMVNICATA.

Illu-


Vir Celeberrimus,
D. IOANNES MARIA LANCISIUS,
Archiater et Intimus Cubicularius
Clementis XI. Pontificis Romani
nec non Protomedicus Generalis
Romanus.
Sculps. Aug Vind

HISTORY.

Illuſtriſsimo, & ſapientiſsimo Viro

Dn. Ioanni Baptiſtae Morgagno,

In Patavino Lyceo Anatomiae Profeſsori Primario, et Praesidi Meritiſsimo

Petrus Aſsaltus

S. P. D.

NVlla unquam tanta fuit benevolentiae, ſtudiorumque conjunctio, quantam, Vir Praeſtantiſsime, inter Te, et Cl. Lancisium eſse comperi: quantum enim te amaret, quantum tuae docrinae tribueret, ex ejusdem colloquiis facile perſpexi; contra vero tuae humaniſsimae epiſtolae locupletiſsimi ſunt teſtes tum tui erga eumdem amoris, tum quantum ipsius gloriae conſuleres. Sed proh dolor! arctiſsimum iſtud amicitiae vinculum iniqua mors tandem diremit: elanguit maxima illa ingenii vis, extinctum eſt praeclarum illud lumen literarum, ereptns eſt nobis celeberrimus Lancisius. Quapropter dum mecum reputo, Cl. Morgagni, maximam in unius viri obitu rei Medicae jacturam, dum ipsius in me ornando humanitatem, dum dulciſsimam conſuetudinem acerba memoria refrico, facere non poſsum quin graviſsimo luctu afficiar. Verum si rem bene perpendo, licet communi omnium, ac mei ipsius cauſsa habeam, quod vehementer doleam, ejus tamen cauſsa quid dolendum sit, non video. Quid enim de ipsius morte angar, ad quam Vir ſapiens aeque ac Chriſtianus dum viveret ita ſe paraverat, ut pene nihil timeret? Quid de Lancisio periit in ipsius interitu? corpuſculi nimirum exuviae; ſuperſtes eſt divinus ille animus,

mus. Vivit igitur Lancisius, ac veluti carcere ſolutus evolavit ad ſuperos (ut pie credimus) Vivit, aeternumque vivet immortali nominis celebritate. Vivet in ſuis egregiis commentariis; vivet denique in amicorum memoria, ac deſiderio.

Interim haud abs re me facturum judico, si pro mea qua utrumque colui obſervantia, nonnulla de morbi genere ac morte ad te perſcribam: quod quidem tuae erga eumdem benevolentiae minime ingratum fore arbitror; cum enim abſens aegrotanti amico adeſse non potueris, ſupremoque charitatis officio ſatisfacere, juvabit ſaltem lugubrem hanc hiſtoriam ex me audire qui aſsiduus languenti affui, ultimasque voces excepi. His tamen et alia de eximia ejus indole, ac virtutibus, totaque anteacta vita ad utriusque noſtrum deſiderium leniendum ſubjiciam.

xvi. Kal. Februarii veſpere hora vigesima ſecunda Italica frigore correptus coepit Vir ſummus febri acuta laborare, ſupervenit dolor in dextro hypochondrio verſus partem poſticam, sitis erat moleſtiſsima, tantaque faucium, linguae, ac palati ariditas ut expedite loqui non poſset, vomitus bilioſi ſecuti ſunt, alvus ex toto ſuppreſsa, quae nec oleo amygdalorum dulcium copiosius propinato initio cieri potuit, progreſsu tamen morbi injectis enematis nonnihil ſoluta fuit, pauca reddebatur urina, pulſus erat celer, humilis, debilis, atque inaequalis. Noctem duxit inſomnem. Frequentes interea viri nobiles omnis ordinis de ejus vita ſolliciti ad ipsius aedes concurrere coeperunt, inter quos Ampliſsimi Cardinalis Annibal, Praeſul Alexander, ac Princeps Carolus Albani, Beatiſsimi Patris fratris filii ejusdem S. S. Pontificis juſsu et propria in eumdem voluntate ducti ſaepius adfuerunt. Cum autem per tridui ſpatium, et paroxyſmi vehementiores reverterentur, nec ſymptomata miteſcerent ab adhibitis de ſententia primariorum Vrbis Medicorum remediis diluentibus, emollientibus, reſolventibus, ac blandis alexipharmacis; cumque

cumque dolor ad thoracem extenderetur, Vir pius nihil amplius ſpei reponens in humanis praeſidiis, complorata jam corporis valetudine, ad divinam opem, atque animi medelam mira conſtantia, qua ſemper fuit in diris aegrotationis cruciatibus perferendis, nullo imminentis mortis metu perculsus, confugit. Poſtquam enim obsignatum teſtamentum, quod cum ſanus eſset provide conſcripſerat, ſolenniter nuncupaſset, arceſsito ſacerdote, Chriſtianorum ritu vitae noxas per confeſsionem expiavit, poſtera autem die ſacrum Chriſti Corpus poſtulavit, quod maxima pietatis significatione aſsumsit: cumque vitae finem jam jam inſtare intelligeret, ſacto oleo ſe ungendum curavit, quo ſupremo noſtrae religionis munimento firmatus, gravioribus coepit urgeri ſymptomatis; maximo tenebatur virium languore, ſumma premebat ſpirandi difficultas, quanquam dolor evanuiſset; acceſsit ſopor lethargicus, mens turbata, verba interrupta. Denique gliſcente morbi ſaevitie XII. Kal. Februarii mane hora duodecima expiravit.

Tanti Viri obitus maximum bonis omnibus intulit moerorem: inter quos S. S. Pontifex raro ſane benignitatis exemplo, quanti eum faceret oſtendit; cum enim eſset renuntiatum de ipsius morte, dimiſsis ſtudiis neminem per eum diem ad ſe admitti juſsit. Tanta profecto erat S. S. Pontificis erga ipſum Clementia, ut ipſo intime uteretur ob ejus prudentiam, ac fidem singularem. Doluit propterea ſublatum eum eſse, qui gloriae Pontificiae proſpiceret, viros dignos ſuggerendo in quos beneficia conferret.

Ex ejus teſtamento ſumma pietas eluxit; siquidem heredem instituit ex aſse Noſocomium S. Spiritus in Saxia, maximamque pecuniae vim, quam ex divitum aegrorum curationibus coegerat, in pauperum beneficium convertit. Voluit enim ut ex ſua hereditate novum egenarum mulierum noſodochium excitaretur.

Diſsecto cadavere, inteſtinum duodenum lividum, hepar tenuiori limbo, quo ventriculo incumbit, extrinſecus tantum in utraque ſuperficie ſubnigrum, lien ſolito contractior, fibra dextra pulmonum coſtis in parte antica adhaereſcens occurrerunt. Intet mediaſtinum, et eamdem fibram ſupra pericardium abſceſsus folliculo incluſus obſervatus eſt, qui cum mediaſtini, ac dictae fibrae extremitate coaluerat.

Corpus balſamo conditum, noctu funebri pompa elatum eſt ad templum S. Spiritus in Saxia, ubi mane coram Pontificiae Aulae Praeſulibus funus amplum, magnificumque S.S. Patris ſumptibus factum fuit.

Sed hactenus de Lancisio aegrotante, extinctoque; nunc de praeclara ipsius indole, ac magnis cum virtutibus anteacta vita nonnulla ſubnectam.

Natus eſt Romae honeſtis Parentibus anno MDCLIV. VII. Kal. Novembris ſub auroram. Mature deinde musis fuit initiatus; Siquidem mira ingenii docilitate cum eximia quadam memoria conjuncta literis humanioribus celerrime imbutus Philoſophiae operam navavit in Collegio Romano: poſt quam ad ſtudia theologica mentem appulit. Verum cum usque ab ineunte aetate ingenita quadam animi vi ad naturalium rerum cognitionem raperetur, relictis ſacris diſciplinis ad medicinam ſe applicuit, uſus Magiſtro Hyacintho Altomaro, qui tum eam facultatem inter celebriores publice docebat in Archigymnasio Sapientiae Romanae.

Cum autem probe intelligeret, Medicam artem conſtare nequaquam poſse, sine exacta physicarum rerum ſcientia, ad eamdem comparandam omnes nervos intendit.

Primum igitur quo facilius ad naturae penetralia viam muniret, Geometriam ducem sibi aſcivit, qua ignorata, corporum affectiones nullo modo intelligi poſsunt, cumque ſe in diſciplinam Vitalis Iordani Mathematici eximii tradidiſset, tantum ex eo luminis mutuatus eſt, quantum ad abditiſsimas physicae latebras illuſtrandas ſatis eſset. Hinc veluti quadam

accen-

accenſa Matheſeos face, omnes naturalis hiſtoriae receſsus penetravit. Inprimis autem excoluit Anatomen, Chymiam, et Botanicam: Omnia enim Vrbis noſocomia frequentans, diſsecta cadavera, aſsidue, attentiſsimeque ſcrutabatur.

Publicum itaque ſuorum ſtudiorum ſpecimen dedit anno MDCLXXII. quo Philoſophiae, ac Medicinae Doctor in Sapientia Romana appellatus eſt.

Nullam deinde occasionem unquam amisit, nullum diem temere intercedere paſsus eſt, quo vel in Medicis, vel in Anatomicis, vel in Botanicis non proficeret. Habebatur coetus de Medicis quaeſtionibus diſceptantium in aedibus Floridi Salvatorii, Clementis X. Archiatri. Gulielmus Riva celebris tum Chirurgus inſtituerat domi conventum Anatomes ſtudioſorum. Apud utrosque clare ſplenduit Lancisius, de praedictis facultatibus perite eleganterque ſaepius diſserendo, aliosque ſuo ſtudio incitando. Quo factum eſt ut Rivae ob egregiam indolem ac doctrinam ſummopere carus fuerit; ac propterea deinceps adoleſcentis ingenium reconditis Anatomes cognitionibus, quibus ipſe excellebat, augere ſemper ſtuduit. Eodem tempore multas identidem recitavit diſsertationes de re herbaria in Horto Medico Sapientiae Romanae.

Quo autem commodius Medicinae, atque Anatomes ſtudiis vacaret, anno MDCLXXVI. Menſe Ianuario, cum ſubiiſset prius ſuae doctrinae periculum, inter ceteros idem munus expoſcentes, delectus fuit *Medicus Aſsiſtens* in Noſocomio S. Spiritus in Saxia Ioannis Tiracordae olim Innocentii X. Archiatri, tunc autem Medici Primarii ejusdem Noſodochii, qui ipsius officiis, eruditione, praeſtantique ingenio captus, in oculis Iuvenem poſtea tulit, atque in eo ornando omnem operam poſuit. Ibi vero ſumma induſtria Aegrotorum lectis aſsiduus praeerat, signa, ac ſymptomata diligenter notabat, cauſsas morborum ſagaciter venabatur, eventus obſervabat. Hinc omnibus adamuſsim exaratis, non pauca confecit hiſtoriae morborum volumina, quae quoad vixit

concinnare perrexit, unde magnum emolumentum ad Medicinae uſum percepit.

Ex Noſodochio egreſsus anno MDCLXXVIII. receptus fuit inter Alumnos Collegii Picoeni S. Salvatoris in Lauro, ubi per quinque annorum ſpatium Medicis ſcriptoribus omnis generis legendis aſsidue incubuit, ex quibus multa prudenter excerpta, ac in indicem digeſta retulit in codices ſupra viginti.

Nihil interim deerat Lancisio, quod magno abſolutoque Medico opus sit. Omnibus enim tum à natura, cum ab educatione praesidiis inſtruebatur. Ingenio quippe ad omnia verſatili acceſsit singularis in ſtudia literarum amor, matura in iisdem inſtitutio, neceſsarius diſciplinarum apparatus, eximii praeceptores, continuus legendi labor, aſsiduus medendi uſus atque exercitatio. Aetas tantum desiderari videbatur: verum si res bene putetur, neque haec adverſabatur; quam enim prudentiam afferre ſolent anni, ipſe experimentorum multitudine, atque accuratiſsimis obſervationibus sibi maturius, quam ceteri comparaverat. Haud igitur mirandum, si in prima adhuc juventute in Vrbe adeo inclaruerit, ut inter primarios aetateque provectos Medicos antecelleret.

Hiſce porro initiis illico ad ſumma quaeque pervenit, eaque aſsecutus, quae alius Medicus nunquam. Quantum enim nomen sibi comparaſset, aperte declararunt et publica munera, et honores, ad quos fuit admiſsus, & trium S. S. Pontificum de eo judicium, qui ipsi propriam valetudinem tuendam concrediderunt, ut nihil dicam de innumeris aliis Principibus Nobilibusque Viris, et ut verbo abſolvam, de univerſo pene Populo ad ejus opem, conclamata jam valetudine, confugiente. Huc adde celebriores non modo Romae, verum etiam univerſae Europae coetus literarios, qui Lancisii fama commoti inter ſodales cooptandum ſummo ſtudio cenſuerunt, Romae quidem is qui in aedibus habebatur Hieronymi

nymi Braſavolae, itemque Arcadicus; apud exteros autem Caeſareus Naturae Curioſorum Germanicus, Regius Londinensis, Physiocriticorum Senensis, Inſtituti ſcientiarum Bononiensis, Incurioſorum Roſsanensis, aliique.

Sed jam ab anno MDCLXXIV. publico Anatomes docendae muneri in Archilyceo Sapientiae Romanae praepositus fuit, quod quidem munus per tredecim annos ita ſuſtinuit, ut ad id unicè factus videretur. Etenim ſummae Anatomicarum rerum peritiae latini ſermonis elegantiam, facundam dicendi vim, exercitationemque adjungebat. Magna propterea verborum copia, ac nitore, incredibili linguae volubilitate, non minus dilucide partes humani corporis, audientium auribus enarrando, quàm ſpectantium oculis indicando ſubjiciebat: quapropter in magna ſelectiſsimorum auditorum frequentia omnium plauſu, atque admiratione comprobabatur, praeſertim vero Celeberrimorum Malpighii ac Tozzii, qui ſaepius docenti affuerunt Neque illud silentio praetereundum, quod si quando inter dicendum aliquis vel Praeſul, vel praeſtanti alia dignitate ornatus accederet; id autem ſaepius contingebat; interrupta oratione, hactenus enarrata in aptam epitomen varie contrahebat: quod quidem eo felicius, ac commodius praeſtabat, quod omnia e ditiſsimo cognitionis penu ex tempore depromeret, non e labanti verborum memoria, ut plerique ſolent. Ejus autem rei teſtimonium locuples extat Clar. doctiſsimique olim Viri Paſtritii epiſtola, quae inter amoebeas manuſcriptas aſservatur. Eo etiam ipsius ſtudium enituit, quo de Anatome, ac literis ſemper benemereri conatus eſt, quod Vigilantiſsimo tum Sapientiae Romanae Rectori, nunc Cardinali Ampliſsimo Scotto, auctor fuerit, ut Anatomicum theatrum inſtaurandum, & in elegantiorem hanc, qua modo visitur formam extruendum curaret, inſcriptis in ingreſsu duobus hemiſtichiis, quae ipſe ſelegit, alterum quidem ex Virgilio: *Laceros juvat ire per artus:* alterum ex Claudiano: *Nec te quaeſiveris extra.*

Anno MDCLXXXVIII. tricenario paulo majorem, raro ſane exemplo, S. S. Pontifex Innocentius XI. in defuncti Archiatri, atque intimi Cubicularii locum ſuffecit: ac non multo poſt Canonici dignitate auxit in Eccleſia S. Laurentii, et Damasi, quam ipſe poſt illius Pontificis obitum poſthabito proprio commodo publicae utilitati, quo medicinae faciendae vacare poſset dimisit.

Proximo anno ultro invitatus atque cooptatus fuit perhonorifice in Archiatrorum Romanorum Collegium maxima omnium voluntate, ac propensione: quo quidem honore ita ſemper uſus eſt, ut eidem Collegio ſummo ornamento, praesidioque eſset, utpote qui non tantum ejus jura tueri, atque amplificare acerrime ſtuduerit, verum etiam singulos Collegas omni ope juvare, atque fovere nunquam praetermiſerit.

Poſtmodum ab Em. Paulutio Alterio S. R. E. tunc Cardinali *Camerario* electus fuit proprius Vicarius in Medicinae Doctoribus creandis: quam quidem auctoritatem Em. Spinula qui Alterio ſucceſsit, confirmavit, ac denique Clemens XI. edito diplomate perpetuam declaravit.

Cum anno MDCXCIX. S. S. Pontifex Innocentius XII. in ancipitem morbum incidiſset, Lancisium una cum illuſtrioribus Vrbis Medicis ad curationem arceſsiri juſsit, qui usque ad obitum aſsiduus eidem affuit.

Illo autem vita functo, omnium Ampliſsimorum Cardinalium ſuffragiis in ſacro Conclavi Medicus Primarius fuit declaratus.

Cumque ſummo Chriſtianae Reipublicae bono ab Eminentiſsimorum Patrum conſeſsu Clemens XI. ad Eccleſiae gubernacula divinitus fuerit evectus, Archiatri Pontificii, atque intimi Cubicularii munere ipſum ornavit, quo quidem nec honorificentius, nec optatius ei contingere poterat; ab eo enim Principe propriae valetudini cuſtos praeficiebatur, qui non minus ſupremae dignitatis faſtigio quam ſapientiae laude inter omnes emineat, ac propterea aeque bonus inge-

ingeniorum aeſtimator, ac munificus literarum fautor habeatur.

Reliquum vitae tempus partim in *S. S.* Patris valetudine tuenda, partim publicae incolumitati conſulendo, partim in literarum ſtudiis, ac rerum contemplatione traduxit.

Siquidem S.S. Pontificis affectam valetudinem afflictis hisce temporibus ſumma peritia ac ſedulitate per ſpatium viginti annorum ſuſtentavit, imo vegetiorem quam eſset initio Pontificatus, reliquit.

Saluti vero publicae ſumma vigilantia proſpexit tum epidemicos morbos propulſando, tum avertendo, ejus enim conſiliis, pro variis occasionibus, aëris noxis, aliisque aegrotationum causis, Beatiſsimi Patris juſsu publice occurrebatur: quemadmodum ex ipsius Operibus clare innoteſcit.

Gratia autem qua apud S. Patrem florebat, ad publica commoda utebatur, praeſertim in Viris Eruditis fovendis, ornandisque. Et ſtudioſam ſane juventutem patrocinio, beneficiis, omnique officiorum genere ſemper fovit, erexit, animavit.

Inter cetera tamen publica ejus beneficia taceri non poteſt aeternum illud monumentum, Bibliothecae nimirum, quam ipſe vivens in Noſocomio S. Spiritus in publicum commodum dedicavit, omnigenis libris, maximis ſumptibus, undequaque conquisitis, praeſertim Mathematicis, Physicis, Medicis, Anatomicis, Chemicis refertam, annuo cenſu ad emendos libros, et Miniſtrorum ſalaria locupletatam, Antlia Boyleana, inſtrumentis Geometricis, Aſtronomicis, Chirurgicis, aliisque ad physica experimenta neceſsariis inſtructiſsimam.

Ingenio Lancisius fuit peracri, feraci, atque (ut ſupra etiam dictum eſt) ad omnia verſatili. Res physicas prae ceteris augere aggreſsus eſt, ac praecipue Anatomen, quas quidem, tum omnigenis experimentis tum mechanicis rationibus illuſtavit. In medicina facienda cum eximia prudentia

ac

ac peritia fere ſemper conjunctam habuit eventus felicitatem. Eloquentia fuit incredibili, qua cum perpetua oratione utebatur in concionibus, copioſe, diſerte, ornateque dicebat, in ſermonibus autem familiaribus mire ſalibus, ac leporibus delectabat. Ad negotia procuranda ſummam ſemper afferebat prudentiam, diligentiam, ac ſedulitatem. Nemo ipſo fuit officiosior, nemo jucundior in congreſsibus, ad ſermonis enim feſtivitatem accedebat mundus, atque elegans corporis ornatus, comitas, humanitas, affabilitasque singularis, vultus hilaritas, quam nec inter ſeveriora ſtudia deponebat. Omnibus ipsius induſtria admirationi fuit, siquidem nullum temporis momentum praeterlabi sinebat, quin aut ſcribendo, aut legendo, aut meditando, aut inter doctorum Virorum colloquia traduceret; etsi maximis rerum gerendarum occupationibus nunquam non diſtineretur. Nullis laboribus, nullis difficultatibus unquam deterrebatur, ſed mira alacritate difficillima quaeque aggreſsus ſuperabat.

Ad amicitias autem conglutinandas ac retinendas, fide, officio, morum ſuavitate, unice factus videbatur: quapropter nobilibus, principibusque viris valde carus fuit, praeſertim vero Amplisſimis Cardinalibus Albano, Pauluccio, Origo, aliisque. Verum non modo apud Romanos, ſed etiam apud exteros Magnates in honore fuit, maxime apud Ludovicum XIV. Galliae Regem, qui cum intellexiſset, ab eo libros quosdam rariſsimos desiderari, diligenter conquisitos, munifice ad illum mitti juſsit, una cum literis perhonorificis. Literatos vero ita complectebatur, ut nemo noſtra aetate doctrina paulo excelleret, quin inter Lancisii amicos cenſeretur; nemo ad Vrbem accedebat quin ejus fama commotus illum non conveniret. Confluebant undique ab univerſa Europa Clarorum virorum epiſtolae, per quas de variis rebus conſulebatur. Romae familiariter uſus eſt Celeberrimis Malpighio, Tortio, Vitali Iordano; ex adhuc viventibus autem, Illuſtriſsimo Majello, Reverendiſs. Abbatibus de Miro, Galiano, cum quibus frequen-

frequenter eruditos miſcere ſolebat ſermones. Inter abſentes praecipue fuerunt, dum viverent, Bellinus, Guilielminus, Ramazzinus, Fagonius; Superſtites adhuc ſunt praeter Te, inſignis Mathematicus Grandius, Vallisnerius, Cyrillus, Fantonus, Schröckius, Boerhaavius, Mangetus, Garellius, de Mornes, Kockburnius, Heiſterus, Lentilius, Cyprianus, Lochnerus; Georgius, Juſsieus, Corazzius, Gökelius, Bazzanus, aliique plurimi celebres hac noſtra aetate Scriptores, Profeſsores, Archiatri: in quorum plerorumque Scriptis ampla de ipſa teſtimonia extant.

Quanquam et ipſe per ſe diu duratura ſui nominis monumenta propriis in Operibus reliquit, quorum sive editorum, sive adhuc edendorum Catalogum his literis ſubjiciam. Inter haec, publica luce digniſsima praeſertim ſunt Volumina egregia Consiliorum Medicorum, Literae amoebaeae, ſynopsis de motu cordis, aureum ſane opus, à te diu, ac publica expectatione desideratum, cuius editionem moribundus noviſsimis verbis mihi mandavit. Poſtquam enim perhumaniter compellaſset: heredem, inquit, te facio mei opuſculi de motu cordis. Cum itaque meam illi fidem obſtrinxerim ſuper hac re, ſpero me quamprimum Deo dante liberaturum.

Corpus ei fuit ſtatura paulo breviori, vegetum tamen, concinnum, atque in ipſa ſenectute agile. Oris habitus miram alacritatem, hilaritatemque prae ſe ferebat. Firma viguit oculorum acie ita ut ſenex ſine perſpicillis legeret. Proſpera uſus eſt valetudine, quam moderato victu, vini abſtinentia, in poſtremis annis parco ſomno tot laboribus, atque curis parem conſervavit. Obiit ſexaginta ſex annos natus.

Haec quidem habui, quae pro epiſtolae modulo ad te ſcriberem de Viro doctrina claro, fortuna quam ſibi ipſe finxit, ac Principum gratia florentiſsimo. Reſtat, Vir doctiſsime, ut te obſecrem (quod facile impetraturum confido) ut quo viventem Lancisium amore complexus es, ejusdem defuncti famae tuendae, atque amplificandae ſtudeas, meque altero ex

hoc illustri amicorum pari orbatum Tu, Vir humanissime, ſuperstes, ac diu incolumis (ut auguror) in tuam benevolentiam recipere non recuſes, cum, qua in Lancisium fui voluntate atque obſervantia, eadem deinceps erga te futurum pollicear. Vale.

Romae III. Non. Februarii MDCCXX.

Opera edita Cel. Lanciſii.

LUcubratio de virgine quadam Calliensi, mirabili vexata ſymptomate, habita in congreſſu Medico Romano in aedibus Hieronymi Braſavolae. Romae apud Chriſtophorum Dragondellum. 1682. in 4.

Anatomia per uſo, et intelligenza del diſegno ricercata non ſolo sù gli osſi, e muſcoli del corpo umano, ma dimoſtrata ancora ſulle ſtatue antiche più insigni di Roma, delineata in più tavole con tutte le figure in varie faccie con le ſpiegationi, et indice del Sig. Canonico Gio. Maria Lancisi già Medico ſegreto della S. M. d'Innocentio XI. In Roma per Domenico de Roſſi 1691. in fol.

Diſſertatio de Ratione philoſophandi in Arte Medica ad Senenſem Physiocriticorum Academiam. Exstat in opere inſcripto: *La Galleria di Minerva.* Tom IV. Parte 3. pag. 33. in Venezia 1700. in fol. per Girolamo Albrizi.

De ſubitaneis mortibus libri duo. Romae typis Jo. Franciſci Buagni 1707. in 4.

\- - - Lucae 1707. in 4. apud Peregrinum Fredianum.

\- - - Venetiis 1708. in 4. apud Andream Poletum.

\- - - Lipsiae 1709. in 8. apud Fridericum Gleditſch.

\- - - Et cum aliis Operibus Genevae in 4. 1718. ſumptibus Cramer, et Perachon.

In hac, et Veneta editione ab Auctore admodum aucti ſunt.

Epistolae duae de triplici intestinorum polypo exstant in opere Cel. Antonii Vallisnerii, quod inſcribitur: *Conſiderationi,*

tioni, ed experienze intorno alla generatione de Vermi &c. In Padoua nella Stamperia del Seminario 1710 in 4. pag. 137.

- - - Et Genevae 1718. cum aliis operibus.

Diſſertatio de Nativis, deque Adventitiis Romani Coeli qualitatibus, cui accedit historiae Epidemiae Rheumaticae, quae per hyemem anni 1709. vagata est, Romae apud Franciſcum Gonzagam 1711. in 4.

- - - Et Genevae 1718. cum aliis operibus.

Epistola ad Cel. Jo. Fantonum praeposita est operi ejusdem Auctoris, quod inſcribitur: Anatomia Corporis humani ad uſum theatri accommodata. Pars prima Augustae Taurinorum 1711. in 4. typis Alphonsi Guigonii.

Epistola ad Erud. Jo. Baptistam Bianchi de bilis ſecretione edita in historia Hepatica ejusdem Bianchi pag. 149. Augustae Taurinorum 1711. in 4. typis Dutti, et Gringhelli.

- - - Et Genevae in Theatro Anatomico Mangetti 1717. in fol. tom. primo pag. 385.

- - - Et Genevae cum aliis Auctoris Operibus 1718.

Diſsertatione epistolare ſcritta al Reverendisſimo Padre Borromei (ora Veſcovo di Capo d'Istria) ſopra l'epidemia de Buoi. Nell' Istoria della ſuddetta epidemia deſcritta dal P.e Borromei pag. 137. in Venezia 1712. in 8. preſſo Pietro Colandri.

- - - Et latine reddita habetur etiam in Auctoris diſsertatione de Bovilla peste, de qua infra.

Diſsertationes duae ad Cel. Jo. Fantonum de Phyſiognomia, et de Sede cogitantis animae, editae ad calcem Obſervationum Jo. Baptiſtae Fantoni Venetiis 1713 in 4. apud Andream Poletum.

- - - Et in Theatro Anat. Mangeti 1717. tom pr.o pag. 8. et tom. 2. pag. 321.

- - - Et cum aliis Auctoris Operibus Genevae 1718. additis Iconibus.

Notae in Tabulas Anatomicas Bartholomaei Eustachii. Romae 1714. in fol. apud Gonzagam.

- - - Et Coloniae Allobrogum, ſumptibus Cramer, et Perachon 1717. in fol. ad calcem Theatri Anat. Mangeti.

Diſsertatio epistolaris ad Exim. et Nob. C. Marsilium de ortu, vegetatione, ac textura Fungorum edita cum Diſsertatione ejusdem Marsilii de Generatione Fungorum 1714. in fol. apud Gonzagam.

- - - Et Genevae inter alia Auctoris Opera 1718. in 4.

Diſsertatio de Plinianae villae Ruderibus edita in fol. et in 4. uti et ubi modo dictum est.

Diſsertatio de recta Medicorum Studiorum ratione. Romae in 4. 1715. typis Jo. Mariae Salvioni.

- - - Ibidem in 8. eodem anno ejusdem typis.

- - - Avenione in 8. apud Joannem Delorme.

- - - Genevae cum aliis Operibus 1718.

Diſsertatio historica de Bovilla peste. Cui accedit consilium de equorum epidemia. Romae 1715. in 4. typis Salvioni.

- - - Et inter alia Opera Genevae 1718.

Epistola Physico - Medica ad Illust. Epiſcopum Adrienſem, de morbo, interitu, et funere ampliſsimi Viri Dn. Horatii Albani etc. edita in appendice ad Ephemeridum Acad. Caeſar. N. C. Centurias III. et IV. Noribergae 1715. in 4. typis Joannis Ernesti Adelbulneri.

- - - Et cum aliis Operibus Genevae 1718.

De Noxiis Paludum effluviis libri duo. Romae 1717. Typis Salvioni in 4.

- - - Genevae cum aliis Operibus 1718.

Notae in Metallothecam Vaticanam Michaelis Mercati. Romae 1717. Typis Salvioni in fol.

Opera omnia, quibus praeter hactenus recensita (exceptis tamen duobus primo loco memoratis, et Diſsertatione ad Physiocriticorum Academiam, et ea quae cum Fan-

toni

toni Anatomia edita est, ac Notis denique tum in Euſtachii Tabulas, tum in Mercati Metallothecam) duae continentur Diſsertationes, nimirum

Humani corporis Anatomica Synopsis.

An acidum ex ſanguine extrahi queat.

Genevæ ſumptibus Cramer, et Perachon 1718. Vol. 2. in 4.

Appendix ad Metallothecam Vaticanam Michaëlis Mercati. Romae apud Salvionum 1719. in fol.

Diſsertationes duae ad Cel. Morgagnum, altera de Vena ſine pari, altera de Gangliis Nervorum, editae ad calcem Adverſariorum Anatomic. V. ejusdem Morgagni. Patavii 1719. in 4. apud Joſephum Cominum.

Diſsertatio epistolaris de natura, et praeſagio Dioſcurorum nautis in tempestate apparentium. Romae 1720. in 8. typis Georgii Placho prope S. Marcum.

Ejusdem opera nondum edita.

Obſervationes Medicae. Volum. 22. in fol.

De Morbis Capitis. in fol.

De Vrinis. in fol.

Consilia. Latine Volum. 3. in fol.

- - - Italice Volum 11. in fol.

De Corde, et Aneurysmatibus. in fol.

Historiarum Medicarum Vol. 1. cui accedit ſylva meditati Operis de morbis plerisque chronicis non curandis. in fol.

Praelusionum Medicarum tomus in fol.

Commentarii in Hippocratis librum de capitis vulneribus. in fol.

Miſcellanea Anatomica. in fol.

Primo, e ſecondo viaggio fatto per lo stato d'Vrbino. in fol.

Tractatus de Tumoribus. in fol.

Praelectiones de formatione foetus in utero. in fol.

Giornale dell' ultima infermità della S. M. d'Innocenzo XI. in fol.

Giornale intorno le indiſpositioni di S. B. Papa Clemente XI. con la deſcrittione delle Villeggiature. in fol.

Epistolarum amoebearum tomi 5. in fol.

Clariſsimo Doctiſsimoque Viro

D. Petro Aſsalto

Medicinae Doctori, et in Romano Lyceo Profeſsori meritiſsimo,

Ioannes Baptista Morgagnus.

S. P. D.

SI quid hunc mihi eripere dolorem poſset quem opinione omnium maiorem cepi ex repentino caſu Summi iſtius, et incomparabilis Viri qui a me, et magno quidem eius merito, in Parentis loco obſervabatur, colebaturque, Io. M. Lancisii, tuae certae litterae, Vir Cl. eripuiſsent. In his enim, ut ab erudito, eodemque benevolo homine, perite, amanterque ſcriptis primum dolori nostro ita blandiris, ut continuo insinues te ad ipſum allevandum gravi illo ex philoſophia inducto loco, non eſse videlicet cur Sapientis, Optimi, Celeberrimi qui interiit, Viri cauſa doleamus. Tum doces, qua ipſe animi magnitudine, constantiaque ſupremos iſtos cruciatus tulerit, qua in DEum religione, qua in egentes homines charitate vitam magna cum virtute actam ſumma cum laude concluſerit. Addis, quam crebra, quam aperta, quam honorifica, probitatis, fidei, et ceterarum virtutum eius testimonia cum à conſenſu bonorum omnium, tum a Principibus Viris, atque adeo a tanto Pontifice aegrotanti, mortuoque sint data. Neque alia de praeclara eius indole, singulari induſtria,

dustria, atque in toto vitae curriculo ſpectatis, laudatis, remuneratis studiis, ac laboribus praetermittis, quae cuncta videlicet ut Lancisio honestiſsima, ita mihi iucundiſsima eſse debent. Postremo cum duo inprimis eſse conieceris, quae mihi iacturae huius ſenſum acerbiſsimum faciant, alterum quod fortaſse verear ne non ipſum modo, ſed cum aliis egregia quoque illa in quibus, mea cauſa, nunc totus erat, ſcripta amiſerimus, alterum quod ipſum certe ſapientiſsimum, meique amantiſsimum Virum amiſerim, utrique mirabilem in modum occurris. Scripta namque illa non ſolum ſupereſse doces, verum etiam quamprimum te curante, eſse proditura, quod ſane haud video quis te melius praestare poſset, ad cuius ſpectatam eruditionem, atque doctrinam illud accedit quod ad familiares, et quotidianos Summi Viri ſermones adhibitus, ſententiam eius, et consilia quaeque unus omnium luculentiſsime calleas. Quas ob res, tuosque praeterea illius similes, (neque enim aliter usque adeo te amaſset) ſuaviſsimos mores, atque virtutes cum unice poſsis eius mihi desiderium lenire, nihil certe facere opportunius, et gratius poteras, quam tuam mihi, quod benigne facis, benevolentiam et amicitiam deferre. A qua cum et literas quas tuas ad meum hunc incredibilem dolorem levandum mirifice ſcriptas agnoſcam, et alia atque alia in dies iucundiſsima officia ſperem quibus ille magis magisque leniatur; mearum ſane partium et in praeſentia est maximas tibi gratias agere, et erit ſemper tuae erga me praeclare voluntati studiis officiisque omnibus reſpondere. Quod autem nunc petis, ut quo viventem Lancisium amore proſecutus ſum, eiusdem mortui gloriam amplificem, etsi neque haec eiusmodi est ut creſcere, neque ego is qui augere poſsim; tamen ſic habeto, eum denique mihi verum videri amorem, qui non modo cum Amico non intereat, ſed aſsidua recordatione usque vigeat ac augeſcat: itaque me mihi pro re nata non deſuturum, et te hoc etiam magis amare quod in Lancisii memoria ornanda, commendandaque, ejusque posthumis

ſcriptis

ſcriptis excolendis, producendisque tanto cum amore ac ſtudio verſeris. Vale.

D. Patavii Pridie Kal. Martii MDCCXX.

Non ingratum Lectori curioſo eſſe poterit, ampliorem cadaveris Lancisiani explorationem Anatomicam, a celeberrimo noſtro D. Vallisnerio communicatam ſubiungere :

Illud itaque ex mandato excellentiſsimi Domini Supremi Aulae Magiſtri, post 24. ab obitu horas, qui die Sabbathi d. 20. Ianuarii A. 1720. hora duodecima meridiana accidit, per Dn. Seraphinum Salucci, Doctorem et Profeſſorem chirurgiae, aſsistentibus Dominis Physicis et Doctoribus, Gianello et Soldato, apertum, ſequentia exhibuit :

In abdomine (quod nonnihil tumebat, ſcrotum autem ita contractum erat, ut dexter testiculus quasi intra pubem reconditus videretur,) membrana adipoſa duorum transverſorum digitorum latitudinem aequabat, et omnia intestina primo intuitu albicabant, ac sine ulla labe, caeterum flatibus plena comparebant.

Omentum quoad colorem et ſubſtantiam erat naturale, ſed verſus hepar retractum.

Ventriculus tam interne quam externe coloris obſcuri, a pyloro autem usque ad magnam duodeni partem prorſus gangraenoſus; in cavitate autem ejus liquor viſcidus, instar amurcae niger continebatur.

Hepar in exteriore vel convexa parte naturale viſum, ſed in concava vel interiore totum notabiliter inflammatum ac denigratum, nec non mole admodum auctum erat, in cujus tamen ſubſtantiam inflammatio non penetraverat.

Intestina, excepto duodeno et ileo, ubi hepati adiacebant, inflammatis et rugosis, tam intus quàm foris statum naturalem ſervabant.

Lien

Lien iusto multum minor, et ſubstantia tam friabilis erat, ut digitorum attritu diſsolveretur.

Ren dexter, sinistro prorſus ſano existente, quoad membranam exteriorem, ejusque vicinia notabiliter inflammata notabantur, pinguedo autem ejus pauca et flaveſcens; quoad ſubstantiam vero durus, et colore ad rubrum tendens. Remoto hoc rene, vena cava extreme nigra ſe sistebat, in qua aperta ſanguis nigerrimus et grumoſus fuit inventus; eoque ablato, membranae venae in naturali ſuo colore occurrebant.

In thorace dexter pulmonum lobus totus inflammatus, et ſanguine nigro, simili illi in vena cava prope renem deprehenſo, plenus fuit; praeterea tum in membrana externa illius pulmonis, ubi vertebras dorsi ſpectat, tum ſupra has ſuperficietenus obſervata fuit ſubtiliſsimae membranae instar, materia quaedam granoſa instar tartari vini coloris rufi, tactuque mollis.

Diaphragma, ubi hepar reſpiciebat, aliquantum magis quam per naturam rubebat.

Cor naturalis magnitudinis, in cujus ventriculis polypus albus, et parum ſanguinis nigri ac grumosi continebatur.

Superficies interna lateris dextri in thorace, nec non vertebrarum ejus nonnihil nigricabat.

Tandem in capite praeter quod meninx tenuis lympha gelatinoſa quodammodo turgeret, et rete mirabile in ventriculis aliquot varicoſa vaſa ostenderet, nihil, quod morboſum dici poſset, fuit repertum; quod etiam de reliquis viſceribus, quorum non facta est mentio, tenendum est.

MEMORIA
VIRI NOBILISSIMI
Dn. IOHANNIS ADAMI GENSELII,
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,
INCLVT. REGIAE LIBERAE CIVITATIS SEMPRONIENSIS PHYSICI
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ADIVNCTI,
ET
SOCIETATIS REGIAE BORVSSIAE COLLEGAE,
POSTERITATI,
NOMINE PRAEFATAE ACADEMIAE,
A
Dn. IOHANNE MAVRICIO HOFFMANNO
DICATA.

Cum

CVm eximias virtutes ſponte ſuum conſequatur decus, nec ulla pretiosior statua, quam honorifica vitae anteactæ memoria erigi poſsit, optarem ego, dum IOH. ADAMI GENSELII, Philoſophiae et Medicinae Doctoris de re litteraria, cumprimis de plurimorum mortalium incolumitate in patria, libera civitate inferioris Hungariae Regia Semproniensi Physici maxime meriti, Academiae nostrae Imperialis Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum, Adjuncti, et Societatis Regiae Boruſsiae Membri digniſsimi, vitam resque optime gestas deſcribere, atque ab oblivione vindicare annitor, ut voluntati promptiſsimae aequa facultas ſuppeteret. Et vero meritus eſt multis prae aliis Vir ille, ut gratam ſui recordationem ſancte ſervemus, et qui consiliis ſuis, divina gratia adjutus, ex Charontis cymba feliciter innumeros extraxit, ejusdem nomen ac honorem laudesque lethaeis etiam undis eripiamus, ac voce calamoque ſerae posteritati ea recenſeamus, quae ad beatae defuncti ortum, studia, famam, merita et obitum pertinent.

Primum adeoque natalem ſedem Genſelio nostro praebuit dictum Sempronium, ob regiae Hungariae coronae tutelam ipsi concreditam celebratiſsimum, fortium ac eruditiſsimorum Virorum feraciſsimum, in lucem ibi edito, anno proxime elapsi ſeculi ſupra millesimum ſexcentesimum ſeptuagesimo ſeptimo, vigesimo ſexto Octobris die, patre Cornelio Genſelio, Patritio Semproniensi primicerio, matre nobili Íuditha de Zuanna, Georgii Melchioris de Zuanna, nobiliſsimi et singulari prudentiae encomio conſpicui Semproniensis Iudicis filia. Gavisi parentes auſpicatiſsimo hoc thori pignore, DEO Creatori et Servatori ſub ſacro baptismatis ministerio illud mox offerri curarunt, laetiſsima ſpe freti, ſupremo Nu-

mine propitiato, felices fructus fortunatosque omnium rerum ſubſecuturos eventus; et ſane tale non poterat fallere praeſagium, quando in educatione, quae maximam, teste Seneca, diligentiam plurimumque profuturam desiderat, nunquam ſatis laudandi parentes officio ſuo neutiquam defuerunt, ſed quemadmodum agro in vere primo tantum ſementis, quantum neceſsarium, injicitur, ut ſubſecuturae aestatis ſperandos fructus colligere liceat, ita filioli inter primae aetatis incrementa congenita optimae indolis et ſolertiae ſeminia fidelium Informatorum curae commiſerunt, meſsis, quae mox lacteſcere incipiebat, maturiratem foecundam hinc praestolaturi. Exegit itaque puer et adoleſcens ſub fideli institutione Iohannis Fridelii, Rectoris Gymnasii Semproniensis vigilantiſsmi teneram aetatem, pietatis, probitatis et ſolertiae cultor indefeſsus, atque ad decus et palmam doctrinae ſolidioris tam acriter contendit, ut humanioris literaturae et Philoſophiae adminiculis per gradus conquisitis, ex Gymnastica in Academicam stationem transmigrandi idoneus habitus fuerit. Anno igiur à nativitate Christi millesimo ſexcentesimo nonagesimo ſexto, aetatis autem ſuae decimo ſeptimo Salanam adiit Muſarum ſedem cultiſsimam, ubi non degenerum quorundam more ocio marcuit aut luxu, quin potius ingenium bonis artibus ac ſcientiis, vitam rectis moribus perpolivit; ac primum quidem ducibus clariſsimis et circumſpectiſsimis, magnis proceſsit paſsibus in Philoſophiae tum contemplatricis tum activae studio, ac perlustratis historiarum et antiquitatis priſci ac propioris aevi monumentis, ſpeciatim linguas Orientales ſub felici ungue Iohannis Andreae Danzii, latinas graecasque literas ſub Doctore Schubarto, veluti earundem peritiſsimis Magistris impenſe excoluit, Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Politicam, Ius naturae et gentium ſub Philoſophi et Theologi famigeratiſsimi Iohannis Pauli Hebentreitii ſcholis, Physicam, Mathesin curioſam ſub Archimedis quondam nostri ſeculi alterius incomparabilis, Erhardi Weigelii, hujusque Succeſsoris

ceſsoris meritiſsimi Hambergeri acroasibus edoctus est; haud ſecutus praeposterum quorundam ingeniorum morem, qui illotis quod ajunt, manibus, ac nullo ejusmodi literaturae cultu, ſuperiorum ſcientiarum ſacra temerario et plusquam icario auſu involant, sicque cruda adhuc studia in publicum orbis theatrum propellunt, atque incondita orationis ac styli barbarie omnia foedant; quin adeo potius Genſelius ſubsidiis istis elegantioribus ac firmioribus ornatus ac praemunitus, animum propius applicuit ad ſacrae Theologiae culturam, atque Theologorum conſummatiſsimorum, Mülleri, Völthemii, Gözii, Bechmanni, Collegia, qua publica qua privata, attentiſsime auſcultavit comparataeque doctrinae publicum documentum in concionum triga ex ſuggestu ad populum insigni cum applauſu habita dedit Iam vero valetudo admodum tenuis et infirma, pectoris robur invalidum, aliaeque cauſae ſonticae postea mentis medicinam, cui hactenus indeſeſsam ſuam commodaverat operam, cum corporis medela permutare ipſum coëgerant; ſed neque hoc male factum erat, siquidem uti Philippus Melanchton in locis ſuis communibus Theologicis quondam annotaverat, DEVS ut authoritatem aliquam Patribus et Prophetis circumdaret, inde usque ab initio ornavit eos dono ſanandi. Solertiſsimus itaque Genſelius noster sicuti aegrotis ſalutaribus praeceptis ſuggestis animum ad curae optatum finem praeparare ideo gnarus erat, ita et praeſcribendas regulas atque remedia ad ſanitatem tam praeſentem conſarvandam, quam amiſsam recuperandam, uſumque rerum omnium ei ſcopo neceſsariarum percallebat, utpote quibus instructus erat a Doctoribus, Georgio Wolffgango Wedelio et Adriano Slevogtio, eo tempore medicandi artem fama gloriaque nominum ſuorum per utramque Solis domum longe latiſsimeque diffuſa, Salano in Lyceo profeſsis: atque ne Genſelii celata virtus et peritia à ſepulta parum videretur distare inertia, non ſolum opponentis et reſpondentis vices in palæstra academica ſæpius obiit, ſed etiam Diſputationem de Ge-

nitoris ſui optimi emortuali morbo, iſchuria, proprio Marte conſcriptam, ex cathedra maſcule defendit, tuncque jamdum ſatis idoneus Superiorum calculo cenſebatur, qui laurea condecoraretur Doctorali. Sed quemadmodum aquilae gaudent motu, nec testudinum more contentae ſunt uno statoque domicilio, ita ad exemplum nobilium et ad maxima natorum animorum, peregrinas lustrare terras, virosque ab eruditione singulari commendatos ulterius adire, et familiarius cum iisdem converſari noster intendit. Vltimas quippe terras Pythagoram, Democritum, Platonem peragraſse accepimus, ubi enim quid eſset quod diſci poſset eo veniendum, teste Cicerone, judicaverunt; et ut plures alios silentio involvamus, Apollinius Tyanaeus Perſas intravit, Caucaſum pertransiit, Albanos, Scythas, Maſsagetas, regna Indiae opulentiſsima penetravit, et ad extremum Piſon latiſsimo amne transmiſso, pervenit ad Brachmannos, ut Hiarchum in throno ſedentem aureo, et de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de natura, de moribus, ac curſu dierum et siderum docentem audiret. Inde per Aelamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Aſsyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos, reverſus Alexandriam, perrexit in Aethiopiam, ut Gymnoſophistas et famosiſsimam Solis menſam videret in ſabulo; invenit autem ubique quod diſceret, et ſemper proficiens ſempet ſe melior fieret. Adiit igitur plura cognoſcendi ardore flagrantiſsimo Genſelius culta regna Auſonia, atque urbes ſplendidiſsimas ampliſsimasque, Bononiam, Florentiam, Romam invisit, inque istis non ſolum Virorum celeberrimorum doctrinam percepit, amicitiam et favorem sibi conciliavit, conſultationibus Medicis interfuit, ſed et Chirurgicis operationibus in famosiſsimis xenodochiis tempus utiliſsime impendit; hinc autem in antiquiſsimam Antenoris urbem, Patavium, florens illud artis poeoniae domicilium, Phoebi theatrum, et Apollinis fanum ſe recepit, ibi per biennium commoratus, doctrina, colloquio et converſatione illustriſsimi Borromaei,

Ramaz-

Ramazzini, Donoli, Vallisnerii, Marchetti, Calafatti, Sacchi, Leali, Molinetti, Viſcardi, proh quantorum nomina! ineffabili emolumento gaviſus est; interimque simul Consiliarii Anatomici munere bis laudabiliter defunctus, mox inclutae Nationis Germanicae Artistarum Vice-Syndicus electus, postea ad sereniſsimum Venetorum Ducem Aloysium Mocenigum recens constitutum delegatus, propter regimen Ducale ſuſceptum Nationis Germanicae nomine vota fecit, ea hinc obtenta gratia, ut Equitis Divi Marci illustri dignitate ornatus diſceſserit; similiter a praedicta incluta Natione ad Legatum Caeſareum, excellentiſsimum Comitem de Bercka amandatus est, ut hunc cum Venetias appuliſset, ſubmiſsa gratulatione exciperet. Reliquos quos Patavii singulari cum laude conſumſerat dies et annos, praeter lectiones publicas et privatas, quas ſedulo frequentavit, impendit praecipue conſultationibus medicis adstando, atque cum Medico experientiſsimo Capivaccio aegrotos visitando, sicque ad futuram praxin clinicam citam, tutam, jucundam tandem exercendam facultatem sibi conciliavit; ne autem aliquando horridioris praesidii ingruente neceſsitate aut audacia prolaberetur, aut trepidaret metu, in Hoſpitali ad D. Franciſcum majorem chirurgicas operationes addidicit, et aemula manu perficere attentavit, Hippocratici effati ſect. VIII. aph. 6. quotidianae experientiae testimonio comprobati memor: quaecunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat, quae ferrum non ſanat, ignis ſanat; chirurgia siquidem efficax est illa medicina, uti ſcribit Iohannes von Horne in proemio microtechnes, qua herculea quasi manu ferri ignisque viribus armata, sive externa sive interna contumaciora mala proteruntur atque extinguuntur, adeoque ista pars, quae manu curat, omnium est non ſolum antiquiſsima, ſed etiam maxime certa et evidens; quippe authorem agnoſcit Aeſculapium, cujus filii Podalirius ac Machaon in bello Trojano commilitonibus ſuis non mediocrem opem attulerunt, dum vulneribus eorundem medebantur ferro et

ro et medicamentis; quinimo ab Aeſculapio genus ducens Hippocrates, ſeptimus decimus in ordine, ſummopere hanc artem excoluit, uti testantur ejusdem libri de officina Medici, de articulis, de vulneribus etc. inſcripti. Et hucusque quidem Genſelio prima cura erat factorum, certiſsime perſuaſo, gloriam ultro conſecuturam; haec quippe ex Ciceronis ſententia veriſsima recte factorum comes bonis viris non est repudianda, virtutisque reſonat tanquam imago, estque ſolida quaedam res et expreſsa, non adumbrata, utpote conſentiens laus bonorum, et incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute. Quare apud Medicinae antesignanos Patavinos idem ſueta ſubiit tentamina, et examina, atque peritia ſua evidentiſsime demonstrata anno currentis hujus ſecundo Philoſophiae et Medicinae Doctor unanimi ſuffragio, nemine contradicente, imo ne haesitante quidem, renunciatus ac creatus, theſes multa doctrina conſpicuas, gloriosiſsimae memoriae IOSEPHO I. Romanorum Imperatori inſcriptas in conſeſsu Academiae publico exhibuit, doctaeque victoriae triumphum egit, dignus omnium calculo habitus, qui non in ſubſelliis auditorum diſcentium posthac ſubsideret, ſed potius Doctorum in Academia ſublimiori ordini adſciſceretur. At enim vero si nos id, quod maxime debet, nostra patria delectat, cujusque rei tanta est vis ac tanta natura, ut Ithacam illam maris Ionii Inſulam, in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, Vlyſses ſapientiſsimus immortalitati anteponeret, Genſelium natale ſolum dulcedine ſua allicuit, nec immemorem eſse sivit ſui, utpote non sibi ſolum natum, ſed patriae maximam partem sibi vindicanti. Revocavit itaque greſsus ſuos ad patrios penates, obviis exceptus amplexibus amiciſsimis; hîc vero patentiſsimus mox ſeſe offerebat campus, ubi experientiam ſuam medicam ratione ſuffultam popularibus ſuis comprobaret; his etenim mox consilio auxilioque promptiſsime ſemper adfuit, nulli unquam labori pepercit, dies noctesque τὴν χεῖρα πρακτικὴν administrando inſumsit, atque ob cives

ſervatos

ſervatos innumeros vitae ſalutisque perceptæ teste corona civica donatus, anno ſuperiori hujus ſeculi IXmo d. XVII. Septembris, felicisſimo ſeptenarii numeri augurio, ab incluto et magnifico Senatu Semproniensi Physicus ordinarius constitutus est; cum antehac in Civitate Euſenburgensi peste ſaeviter graſsante plurimis opem ſalutiferam tuliſset afflictis. Non poterat autem eruditionis meritorumque Genſelianorum fama intra Hungariae fines coërceri, quin longe lateque ſe diffundebat, ideoque anno ſubſequente seculi hujus duodecimo, menſe Februario, ab illustri et excellentiſsimo D.D. Luca Schröckio, Archiatro et Comite Palatino Caeſareo, S. R. I. Nobili, Academiae nostrae Curioſorum Praeside, Academicus curioſus ſub agnomine Deodori declaratus, et biennio abhinc d. XXXI. Iulii ejusdem Academiae Adjunctus constitutus, nec minus in regiam Societatem Scientiarum Boruſsicam receptus, ſumme adeo per omnia Homericum illud praeconium: ὁ ἰατρὸς μὲν, ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων promeritus est. Testantur ejusdem obſervationes in Ephemeridum nostrarum Centur. II. III. IV. et VI. itemque historiae constitutionis epidemicae Hungaricae Annis 1711. 1712. et 1713. consignatae, quantae experientiae, quantae industriae, quantae ſolertiae Genſelius fuerit. Ita omnes me hercle actiones, quas Genſelius multo labore, studio indefeſso, noctibus etiam inſomnibus ſuſceperat, ex voto ſuccedebant, nec poterant aliter; Vir namque erat sincerus, ſupremi Numinis cultor, ac mane et veſperi devotis precibus ejusdem auxilium invocabat, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in iis ſunt, qui creavit medicinam de terra, et ſalutiferis viribus universi hujus creaturas impraegnavit; cui pietati ſociam ὁ μακαρίτης aſsociabat prudentiam, nam, uti Philippus Scherbius, in Vniversitate Altdorffina ſui aevi Philoſophus et Medicus sine pari, dicere ſolitus fuerat, medicina aut est prudentia, aut non sine prudentia, hac ideo ille adjutus, præterita ſcitu neceſsaria ad mentem revocare, praeſentia rite diſcernere et futura prompte proſpi-

cere, atque ſingula ad judicii trutinam exacte perpendere ſcite noverat. Luculentiſsimam facem negotiis Genſelianis simul praeferebat eruditio, quam sicuti a teneris unguiculis ſibi comparare nunquam intermittebat noſter, ita in reliquo aetatis virilis decurſu proſequebatur, dum ſcriptorum, experimentorum, ac tentaminum physicorum medicorumque recentiorum notitiam ſibi perſpectam reddere ſingulari animi cupiditate contendebat, Hippocratis veſtigia premens, qui ſemper diſcendo ſe inſenuiſſe ipſe profeſsus eſt. Praeterea gratioſam, Medico comparem, aegris humanitatem exhibebat, cunctosque alloquio morumque ſuorum ſuavitate demulcebat, ſuper omnia ingenuus candor et nuda veritas inter ſplendida ambitionis mendacia et fallaces blanditias eminebat, nec durae fores praecludebantur, aut audiendi dedignatio aut moroſa impatientia unquam obveniebat aegris et afflictis miſeris, sive luce adhuc dubia ſurgendum, aut nocte concubia more verendarii diſcurrendum, pererrandae aedes, luſtranda noſocomia, ſententiae diſceptandae, inter muliercularum querelas aegrorumque immorigerorum convicia tempus conſumendum, an potius perdendum dicam, erat. Ita enim mehercle in ſervandorum hominum arte exercenda non molle ocium aut deliciae blandientes obveniunt, ſed improbo labore, perpetuis animi et corporis contentionibus, aerumnis ac vigiliis res omnis conſtat; adeoque demum Medici, uti flamma aliis inſerviendo, conſumendo, nec arte ſua, qua tot tantosque mortis faucibus eripuerunt, ſeipſos ſervare valent. Idem enim inexorabile mortalitatis fatum Genſelium noſtrum manſit, dum marcida tabes phthisisque paulatim paulatimque vires deſtruxit, ut rugoſa cutis vix oſsa obtegeret, lingua arida per rimas dehiſceret, vox faucibus praecluderetur, tuſsisque continua ſpiritu tenta quateret praecordia; monumentum igitur ſequens Genſelius noſter ipſe ſibi erexit, et ſcriptum poſteritati reliquit:

Multos

Multos olim juvandos antidotis juvans
Fati neceſsitate nondum occupatos,
Se vero eadem praeventum juvare
Voluit, debuit, non potuit
Ortus, mortuus, oriturus.

Et mundanis abdicatis curis omnibus ad coelestia mentem precesque ſerio convertit, ſupremo Creatori, Redemptori et Sanctificatori Numini propitio ſe totum reddidit, atque cum Augustino latus Christi lancea apertum intrare atque animam ſuam isthoc in petrae foramine tanquam columbam quieſcere exoravit, peccatorum praemiſsa confeſsione, et impetrata abſolutione, ſacraeque Eucharistiae uſu confirmatus, ad aethereas ſubeundas ſedes ſe compoſuit: Turpis cenſetur navigii rector, cui gubernacula fluctus eripit, si fluctuantia vela deſerat; ut ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem & obnixum, sic Genſelium non irruentes tentationum procellae, non imminentis mortis turbo mente quatere poterant ſolida, quin Christianae fiduciae et ſpei anchora ſuffultus calamitatum mundanarum ſyrtibus evitatis, ad portum illum tutiſsimum pervenit, ubi ipſum

Nunc requies aeterna beat, nos ſubdola verſat
Nunc ſpes, nunc formido, et mens incerta futuri,
Gaudiaque instabiles animos evanida pulpant
Deteriorque malis bona ſors, quae fronte ſerenat
Insidias, captisque illudit ſensibus.

Sed eheu! rebus humanis exemtus Genſelius civibus et exteris, pro quorum ſalute ſolertiſsime excubuerat, triste tamen ſui desiderium reliquit, Academia vero nostra Caeſarea acerbo ejus funeri merito indoluit, extinctum sibi lumen clariſsimum, ereptum dulce decus, munificum Patronum et Tutorem benigniſsimum Collegio ſuo exemptum deplorans; nec enim ulla dies ingrato condet oblivii silentio, quin fama loquetur

anus munificam liberalitatem, qua ex legato ſex mille florenorum reduntantibus uſuris Academiae proſpexit, quas etiam, uti ὁ μακαρίτης in ultima voluntatis ſolenni testamento ſerio juſsit, Nobiliſsimos Haeredes Eidem conceſsuros certiſsima animi fiducia praeſumit. Quos vero Tibi, ô beate Genſeli, arcus aut statuas struemus, aut effigiem Tuam marmore aut aere ſacrabimus! etenim nec ejusmodi monumenta ab ingratitudinis injuria nos non tam vindicabunt, quam si pulcherrimam vitae Tuae imaginem verae virtutis lineamenta et doctrinae ornamenta pectori nostro infigamus, memoria perpetua recolamus, atque condigna celebratione longius in aevum propagemus: non te ignobilis abſcondet urna, ſed gloria Tua nunquam intermorietur,

Dum pietas, dum priſca fides restabit in Orbe,
Semper honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt!

INDEX
Rerum & Obſervationum in Centuria IX. & X. contentarum.

Abdominis percuſſio lethalis. pag. 278
Abortus remedium. 140
Abortuum hiſtoria. 251
Achates Tranſylvaniæ. 126
Acidularum Egranarum laus. 275
Acus ſutoria in corde vaccæ reperta. 462
Æſtas fervida. 534
Amauroſis curata. 299
Aneurisma arteriæ magnæ &c. 142
Anodyna vera. 396
Antipathia cum mentha. 435
Apoplexiæ cura. 7. 368
Apoplectici anatome. 8
Aqua medicata Kupferzellenſis. 380
Aquæ petrefactæ. 186
ſupracœleſtes. 543
Araneæ punctura. 131
Arcanum duplicatum ſalis Epſomenſis ſuccedaneum. 401
Arſenici ſumti venenum. 461. 462
Arteriarum fibræ transverſæ. 444
peculiaris ſitus in manibus. 329
Arthritici cura. 480
Articulares dolores ex diarrhœa adſtricta. 14
Aſcarides per vulvam rejectæ. 458
Aſparagus monſtroſus. 459
Aſthma à faſcini ſuſpicione. 212
Aſthmaticorum anatome. 307. 408
Atretæ. 384
Avenæ vis diuretica. 526
Auri uvarum vegetabilis exiſtentia dubia. 116
Balſamum Hungariæ Carpathicum. 432
Beccabungæ virtus. 466
Bezoardicus lapis in Dama repertus. 185
Cæcitas ex plica abſciſſa. 475
ſcabie retropulſa. 14
Calculi arteriæ aortæ. 442
magni & multi excreti. 167
ex muſculo abdominis. 23
ductus ſalivalis. 402
veſicæ. 437
veſiculæ felleæ. 461
Calculus excretus per alvum. 25
lumbos. 375
perinæum. 200
umbilicum. 344
veſicæ ſingularis. 352

Calculoſi affectus cura. 5. 6
anatome. 6
Cancroſum ulcus mammæ. 137
Capreæ anatome. 451
Caſtorei uſus ad abortum. 141
odor gratus. 435
Caſus ab alto diverſi eventus. 97
Catalepſis à furore convulſivo. 46
Cataractæ natura. 550
Catheteris abuſus. 357
Centaurii minoris virtus antihydropica. 456
Cephalalgia per decennium durans. 203
Cerebri à cauſa externa læſiones illæſo cranio. 103
violenta laceratio non letalis. 246
Cervæ gravidæ anatome. 467
Cervi anatome. 448
Cicatrix ſalivans. 197
Cicutæ comeſtæ noxa. 355. 369
Clangula anatome. 431
Clyſterum uſus in odontalgia. 460
Coitus nefandus cum brutis. 552
Colica aquæ fontanæ potu curata. 273
ſalſulis Scolienſibus curata. 52
Cor magnum. 408
Coralliorum virtus in partu promovendo. 313
Coturnicum eſus noxius. 145
Cubiti vulnus grave. 264
Cucurbitæ eſus noxius. 152
Cultrivora. 151
Cyani floris anatome. 194
Daturæ comeſtæ damnum. 206
Deglutitio novem aureorum indemnis. 318
thaleri. 406
Deliriorum cum ſpasmis combinatio. 214
Dolor inter caput & genua reciprocus. 16
Elumbis. 386
Empyema per urinam ſolutum. 344
Energumenus viſus. 28
Epileptici motus falſæ conceptioni ſupervenientes. 296
Erinacei anatome. 447
Eruca ſingulares. 533. 535
Eunuchum ſe faciens curatus. 154
Excretio globuli plumbei cum urina. 274
Faba S. Ignatii uſus. 383
Faſcinatæ creditæ cura. 60
Febri ſecundaria laborantis fœminæ anatome. 135
Feces alvinæ caſeoſæ. 454
Ferri uſus medicus vindicatus. 280
in cuprum mutatio. 425
Fœtus extra uterum inventus. 21
octimeſtris vivus, frigidus & rigidus. 62
per 46. annos in utero detentus. 337
Fractura cranii gravis. 269
Fulicæ anatome. 469
Genſeliana memoria. 652
Glandulæ penealis arenulæ. 149
Globulus ſclopetarius 25. annos in naribus deliteſcens. 403
Gonorrhœa ſuppreſſæ noxa. 141
Gueapeæ ligni uſus in calculo. 168
Hæmoptyſis menſtrua in gravida. 325
Hæmorrhagia diuturna ab hepate magno & purulento. 410
letalis in lienoſo. 445
ex ſcarificatione. 13
gravidarum iñoxia 323. 327

Hæmorrhagia periculoſa ex pene. 326
univerſalis. 320
uteri in puella recens nata. 376
varia. 465
Hæmorrhoidum fluxus in puero. 205
Hemicrania letalis. 429
Hepar magnum. 58. 323. 410
Hepatis apoſtema curatum. 416
ſcirrho defunctæ anatome. 57
vulnus curatum. 339
Hernia ſcrotalis oſſificata. 353
Hydatidum partus. 164. 193
Hydrocephalicæ puellæ anatome. 407
Hydropicorum anatome. 134. 266
mira vivendi cupiditas. 397
Hydrops diureticis curatus. 139
pectoris. 307
ſingularis. 217
ſudore genuum ſolutus. 379
Hydrophobiæ hiſtoria. 86
Hydrophobia ex morbo cholerico. 171
Hypercatharſis curata. 302
Hypochondriacus vino generoſo curatus. 275
Iliaca paſſio ſanata. 372
Impetigo retropulſa letalis. 469
Impotentia viri. 375
Inedia febris ardens & dyſenteria curata. 193
Inſania periodica. 15
Inteſtini pars extra abdomen pendula. 424
coli dilatatio & prolapſus. 511
Ipecacoanhæ virtus. 529
Iſchuria ſucco cochleariæ curata. 455
Krumholtz-Oel. 432
Lanciſiana memoria. 632
Lien petrefactus. 13
Lienis hydrops. 107
inflammatio in vaccis. 110
Lienteria periodica. 137
Ligni fruſtum in pulmonibus cervi inventum. 462
Lini olei virtus vulneraria. 460
Lippitudo Hebræorum. 425
Lochia ex ulcere mammæ fluentia. 137
Lochneriana memoria. 571
Locuſtarum hiſtoria. 485
Lunæ influxus in ſublunaria corpora. 543
Lupi anatome. 450
Lutræ anatome. 468
Luxatio oſſis humeri funeſta. 75
Luxationum curatio. 207
Lycopodii virtus. 316
Macrocoſmi cum microcoſmo analogia. 531
Mammarum fungus cancroſus. 129
Marinorum fructuum ſemen. 345
Mel Lithuanicum. 316. 477
Menſes in vetulis. 291. 324
Metaſtaſis mira. 1
Meteorum globi lucidi. 66
Mictus cruentus in puero. 207
cum ani fiſtula. 210
Molarum hiſtoria. 251. 285
Mures agreſtes. 427
Muſtelæ piſcis anatome. 449
Mutus hora quavis pomeridiana loquens. 252. 329
Nævus maternus. 268
Noctuæ anatome. 451
Obmuteſcentia ex variis cauſis. 331

Obſeſſa creditæ cura. 60
Omenti induratio. 480
Ophthalmiæ remedia dubia. 118
ſporadicæ. 479
Oſſium petrificatorum ortus diluvianus. 231
Oſſis tibiæ portio vi naturæ abſcedens. 458
Pancreatici ductus inventio. 443
Papaveris lacrimaGermanica. 114
Paralyſis crurum. 447
Paralyticus ex cranii carie & apoſtemate cerebri. 16
Partus ſingularis. 234
quatuor filiarum. 459
difficilis. 139
Penis cum meatu ad radicem hiante. 161
hæmorrhagia periculoſa. 326
Phreneticus per potum cereviſiæ copioſum curatus. 205
Phthiſis contagium. 294
Phthiſici anatome. 18
Pica pilorum. 267
Pici viridis anatome: 452
Pila in ventriculo avis reperta. 463
Pinguedo nimia. 292
Plantarum character internus. 259
Pleuriticæ anatome. 183
Plica ſingularis. 406
Plicæ Polonicæ morbus. 475
Polypus cordis. 18
Pruritus inſignis manuum. 453
Puls farinacea rubeſcens. 359
Ranæ ventriculus. 464
Ren magnus partim petrificatus. 9
monſtroſus. 150
Rheumatiſmus coxendicis muliebris. 173
Riſus involuntarius. 189
Sagarum hiſtoria. 560
Salamandræ anatome. 444
Salſulæ Scolienſes. 32. 50
Sanguinis libra in pericardio reperta. 17
Scabies ſicca diuturna curata. 461
Sciuri anatome. 449
Serpentum corona. 462
ventriculus. 464
Sirius gibboſus. 349
Spasmus periodicus internus curatus. 373
Solis influxus in ſublunaria &c. 540
Spina bifida. 92
ventoſa letalis. 85
Spongiarum marinarum motus. 345
Steatoma in dorſo. 453
Stella cadens. 72
marina. 345
Strumoſus Salſulis Scolienſibus curatus. 56
Subluxatio oſſis femoris letalis. 78
Sudoriferi nimii uſus noxius. 27
Surditas ex terrore. 12
Sutura ſagittalis dehiſcens. 304
Tartari emetici ℥ij. ſatis innoxie exhibitæ. 187
Terror gravidis & fœtui noxius. 30
quartanam fugans. 11
Trichiaſis cura. 390
Tubaria conceptio. 217
Tumor circa pudenda exſectus. 15
verminoſus. 15
Tuſſis ſingularis. 371.
Vaccarum morbus contagioſus. 110
Variolæ cum convulſionibus & paralyſi. 378

Variolis

Variolis extincti anatome, 136
Venarum valvulæ, 444
Venæſectionis uſus in dyſenteria. 477
plica, 478
podagra, 172
Ventres monſtroſi, 217
Ventriculi condylomata, 146
dolor immedicabilis à grandine plumbea deglutita, 20
expanſio ſtupenda, 409
Vermes multi cum urina excreti. 410
Vermium magna copia excreta, 457
Verruca in crure carcinomatoſa. 482
Veſiculæ felleæ durities lapidoſa. 310
Veſicæ urinariæ ruptura, 129
Veſicatorii umbilico inducti caſus ſingularis. 465
Veterinaria medicina an Medicum deceat exercere? 113
Vetula ingravidata, 291
ſexagenaria major lactans, 466
Viſio absque humore cryſtallino. 351
Vmbilicalia vaſa in adulto aperta. 443
Vomica pectoris, 421
Vomitus ſanguinis à liene. 445
ex ſcirrho ventriculi. 265
Vomitorii utilitas, 328
Vrinæ potus letifer agnello. 469
Vrina nigra letalis, 115
per os excreta. 343
Vteri in gravida craſſities. 444
ruptura. 301
durities lapidea. 310
vaginæ coalitus in gravida. 430
Vterus ſcirrhoſus & ſanioſus. 65
Vulnera pulmonum brevi ſanata, 161
Vulnus abdominis utrinque penetrans ſanatum, 160
capitis letale 262
hepatis, 339
lienis & renis letale. 264
tarſi palpebræ inferioris, 460
thoracis letale, 263
ventriculi ſanatum, 454
letale, 204
veſicæ letale. 159
Vulva duplicata, 168
VVepferi pulvis mitigans nephriticus, 7

Corrigenda:

Pag. 4. Lin. 29. leg. lapillos. *pag. 30. 13.* excubitori. *pag. 39. 9.* aſſociandi. *pag. 47. 28.* rubor. *pag. 54. 11.* lenimentum. *pag. 86. 14.* acribia. *pag. 117. 22.* proclivitas. *pag. 120. 32.* efficacia; poſſemus. *pag. 163. 25.* ut ajunt. *pag. 182. antepen.* ſenſibiliter exacerbati. *pag. 183. 6.* vero. *pag. 258. 26.* vitam. *pag. 464. 22.* ſuccus. *pag. 481. 32.* ſymptoma. *pag. 482. 4. pro tibi leg.* ubi. *pag. 507. penult.* Lemni. *pag. 512. 14.* Tubercula. *28.* infuſorum. *pag. 518. 21.* An vero è re. *pag. 530. 2.* perizom. *11.* balænæ. *pag. 533. 8. del.* nivis. *pag. 544. 19. leg.* illæ. *pag. 575. 8.* genero. *pag. 600. pen.* medico. *pag. 603. ult. del.* A. R. D. *&c. pag. 610. pen. leg.* abiit. *pag. 627. 639. 631. lin. ult.* L I I I. *pag. 643. 10.* ipſo.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY